


DE INFERNO, ET STATV DÆMONVM ANTE MVNDI EXITIVM, LIBRI QVINQVE.

In quibus Tartarea cauitas, parata ibi cruciamentorum genera, Ethnicorum etiam de his opiniones, Dæmonumq; conditio, vsq; ad magnum Iudicij diem, varia eruditione, describuntur.

AVTHORE
ANTONIO RVSCA MEDIOLANENSI,
COLLEGII AMBROSIANI
DOCTORE.



MEDIOLANI,
Ex Collegij Ambrosiani Typographia. M. DC. XXI.
Cum Priuilegio.

Facultas Collegij Ambrosiani.

Tibi Antonio Ruscæ, Collegij Ambrosiani Doctori, Libros quinque de Inferno, & Dæmonibus, omnium Doctorum suffragijs, consensuque receptos, imprimendi facultatem damus.

Franciscus Bernardinus Ferrarius, Collegij Ambrosiani Præses, suo, & Collegarum nomine.

Commissum mihi librum à Reuerendiss. Patre Inquisitore Mediolani cui Titulus est: *Antonij Rusca de Inferno Dæmonibus* &c. Diligenter perlegi. Nec in eo quidquam, aut bonis moribus, aut sanæ Fidei repugnans comprehendi. Sed doctè omnia, & eruditè conscripta; ideò dignum impressione censeo, quòd testor. Mediolani 19. Iulii 1620.


D. Genesius de Viuo Neapolitanus ex Congregat. Clericor. Regular. Presbyt. Theol.

Locus ✱ Sigilli.

1620. Die 19. Iulii.

Attenta prædicta attestatione.

Imprimatur Fr. Io. Baptista Spadius Vic. Gen. S. Inquisit. Mediol.
F. Al. Bariola Augustinianus Consultor S. Officij pro Illustriss. Card. Archiep.
Vidit Saccus pro Excellentiss. Senatu.



IESV CHRISTO HVMANI GENERIS REDEMPTORI.

CHRISTE IESV, verè Deus, quia Æternum Patris Verbum, Paternamente, ſine principio, ab æterno genitum: verè homo, quià de Virgine Maria, mundiſſima Matre, in tempore natus: eâ, quâ poſſum, animi ſummiſsione, dico, ſacroquè adorandæ Maieſtati tuæ opus hoc, & authorem. Reddo quod tuum eſt, reddo quod accepi. [a] Mortalis imbecillitas non valet ex ſe aliquid cogitare, [b] omnis homo mendax, à te omnis veritas eſt, quoniam tu [c] Veritas ipſa. Ideò [d] qui

[a] 2. Cor. 3.
[b] Pſal. 115.
[c] Ioan. 15.
[d] Ioan. 8.

loquitur mendacium ex proprijs loquitur, qui verum loquitur, de t[illegible] loquitur. Tuum ergo est quidquid veri in hoc opere est, si quod mendacium, ex

[e] Act. 17. meo est. In te ipso (vita mea) [e] viuo, moueor, & sum: quidquid ergò habeo, quidquid possum, tuum est, præter peccatum, quod meum est. Dedisti, Deus meus, vt horrendum inferni chaos describerem: dedisti, vt spirituum rebellium initium, crimen, statum, & pœnas

[f] Matt. 10. recenserem. Tu, Saluator meus, [f] potes animam, & corpus mittere in ge-

[g] Apocal. 1. hennam, tu [g] clauem abyssi tenes, sine

[h] Matt. 8. te nequè in [h] immundum gregem intrare potuerunt Apostatæ illi. Supplex deprecor, fac, vt dicam in exitu meo ab

[i] Psal. 85. hac valle miseriarum, [i] Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Claude

[k] Iob 38. mihi [k] portas mortis, & ostia tenebrosa,

[l] Iob 10. ne [l] vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum. Memento Deus salutis meæ, quia propter

me,

me,terræ vermem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis, acceperis formam, tenuitatem, & naturam meam; affigi cruci, ac mori volueris. Obtestor, prostratus ad pedes crucis, in qua passus es, da, vt fruar beneficio mortis tuæ, da, vt te fruar. Sic dirigat manus tua, munificentia tua, gratia tua, huiusce peregrinationis meæ iter, vt dignus non sim, cum ad vitæ metam peruenero, qui mittar in caminum ardentem, in tenebras illas exteriores, quæ nullum admittunt lumen, nisi quod reuelet acerbioris cruciatus causas, in Tartarum illud, vbi intolerandum frigus riget, vbi fontes á nimio calore transeunt ad aquas niuium, [m] ab aquis niuium ad niminm calorem, in horridam illam speluncam, fœdissimis vermibus plenam, qui nunquàm morientur. Cupiunt hostes mei, Redemptor meus, in hasce miserias animam meam pertrahere: hostes inquam illi potentes, & validi, qui cum cęlo, & in cælo conditi, atquè diuina gratia aliquandò

[m] Iob. 24.

quandò ornati, meritò, turpis ſuperbiæ cauſa, è cælo pulſi, & gratia priuati, ignis æterni pænam ſentiunt. Vagantur, liuore perciti, vt irretiant me, vt faciant me ſimilem ſibi. Laudans inuoco te, ſal-

n Pſal. 17. a verſ. 1. ad 5. ua me ab inimicis meis. [n] Inuoco nomen tuum, fortitudo mea, firmamētum meum, refugium meum, & liberator meus.

o Pſal. 90. [o] Libera me de laqueo venantium, libe-

p Pſal. 12. ra me de ore Leonis, [p] ne quandò dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum.

q Cant. 1. [q] Trahe me poſt te, trahe me ad te. Curram ſi trahas. Si me derelinquas, peccatorum mole grauatus, mergar in profundum abyſſi.

Seruus tuo Sanguine redemptus.

Erudito Lectori.



Onorum ingeniorum insignis est indoles (*inquit Augustinus, amice Lector*) in verbis verum amare non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut, quid obest lignea, si hoc potest, quandò nihil quærimus, nisi aperire quod clausum est? *Quorsum hæc? Bono te ingenio esse reor, quisquis es lecturus nostrum opus, ideòq; non contempturum te illud confido, modò vera contineat, etsi rudi, & impolito dicendi genere conscriptum. Fuit vna consilij nostri ratio, ex Sacrosanctis Oraculis, antiquis Patribus, & reliquis notæ fidei Doctoribus, veritatem de inferis, ac dæmonibus inferno addictis, depromere. Si referata veritas, ne vltrà quæras clauis materiem: orationis leporem, aut condimentum sententiarum nè desideres: sed iuxtà Arnobij monitum, cum de rebus ab ostentatione semotis agamus, quid dicatur specta, non quali cum amœnitate dicatur. Alliciet fortasse te ad qualemcunq; laboris nostri amorem verborum veritas, etsi ornatus desit: sed aliud occurret, quod obiectes præter incultam. & inornatam verborum seriem. Compilasse me Doctorum volumina, atq; in meum scrinium transtulisse. Id olim Hieronymo opponebant eius calumniatores. Sanabo calumniam Hieronymi verbis, & responso.* Quod tu maledictum vehemens esse *existimas*, eandem laudem ego maximam duco, cum illos imitari volo, quos cunctis prudentibus, & *tibi ipsi* placere non dubito. Si enim criminis est, *Doctorum* benè dicta tranferre, accusetur Ennius, & Maro, Plautus, Cæcilius,

Aug. 4. de doct. Christ. c. 11.


Arnob. lib. 1. contra Gent.

Hier. Prologo in 2. l. sup Micheam ad Paulam, & Eustoch.

Cæcilius, & Terentius, Tulius quoq; & cæteri Eloquentes viri, qui non solùm versus, sed multa capita, & longissimos libros transtulerunt: sed & Hilarius furti reus sit: quòd in Psalmos quadraginta fermè millia versuum Origenis ad sensum verterit. *Nimirùm cum de rebus agitur ab oculis mortalium longè semotis, quarum absolutam notitiam, mortalis coniectura non assequitur, haud quærenda sunt noua inuenta, sed diuinæ Scripturæ, ac eorum Doctorum decreta, quibus affulsisse Spiritus Sancti lumen perspicuum est. Hos mihi duces, & magistros proposui. Neq; tamen actum prorsus egisse, aut sinè vtilitate scripsisse me puto. Scripserunt quædam alij de inferno, & malis spiritibus, dum Sacra volumina explicant, aut docent Theologicam facultatem, aut Christiani Oratoris muneri satisfaciunt, aut contra hæreticam prauitatem decertant: vnusquisquè pro sui instituti ratione. Nos sic egimus, vt, omnium sententijs in vnum collectis, atquè opinionibus etiam Ethnicorum auditis, eam hac de re tractationem daremus, quæ & Fidei nostræ veritatem faciliter, ac dilucidè explanaret, & prudenti curiositati satisfaceret. Si minùs propositi nostri scopum attigimus, ac tibi minimè satisfactum putas: eo saltem commodo fruere, quo non carent repetita à pluribus, de ijsdem quæstionibus volumina.* Non omnia *(vtor Augustini verbis)* quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt. Ideòq; vtile est plures à pluribus fieri *libros* diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat ad alios sic, ad alios autem sic. *Itaq; ne aspernetur humanitas tua hoc nostrorũ studiorũ specimen. Id si cognouero, dabo quàmprimum reliqua duo volumina,*

August. libr. 1. de Trinit. c. 3.

mina, quæ habeo in manibus de inferni incolis; quorũ altero docebitur, quæ sit ante mundi interitum, humanorum animorum conditio, qui exuto corpore, ab hac vita lethali peccato inquinati abeunt, atquè æterno carceri addicuntur; Altero exponetur dæmonum, ac scelestorum hominum status, tùm vniuersalis Iudicij temporè, tùm post Iudicium conflagrato iam orbe: cum nimirùm impuris animabus iterùm suæ carni sociatis, & vnitis, vniuersi homines, & Angeli, probi, improbiq; stabunt ante Christi tribunal, ac boni in regnum æterni Patris vocabuntur, mali in æternum ignem contrudentur. His absolutis, aliorum, quæ sub terra latent, receptaculorum Purgatorij, Lymbi puerulorum sinè lauacro salutari decedentium, ac sinus Abrahæ seriem persequar, fauente Deo; à quo tibi, mihiquè precor cœlestia bona.



SYLLABVS AVTHORVM,
Qui in hoc opere citantur.

A

Ægidius Romanus.
Ælianus.
Æneas Gazæus.
Albertus Magnus.
Albinus Alcuinus.
Alexander Alensis.
Alexander Aphrodisæus.
Alexander Guagninus.
Alphonsus à Castro.
Alphonsus Salmeron.
Alphonsus Tonstatus.
Alphraganus.
S. Ambrosius.
Ambrosius Ansbertus.
Ambrosius Catharinus,
Anastasius Cochletius.
Anastasius Synayta.
Anaxagras.
Andreas Cæsariensis.
Andreas Victorellus.
S. Antonius Abbas.
Antonius Gigæus.
Antonius Philoteus.
Antonius Posseuinus.
S. Anselmus Cant. Epis.
Apollonius Iunctus.
Apollonius Tyanęus.
Archangelus de Rubeis.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Ascanius Martinengus.
S. Athanasius.
Auctor lib. de cognitione veræ vitæ.
Auctor lib. de Mir. Sacræ Script.
Auctor ope. imper. in Matt.
Auerroes.
S. Augustinus Hipponensis.
Augustinus Eugubinus.
Auitus Alcimus,
Aulus Gelius.
Aurelius Cassiodorus.

B

Bartholomæus Medina.
Bathoiomæus Sybilla.
Bartholomæus Valuerdius.
S. Basilius.
Beda Venerabilis.
Benedictus Fernandus.
Benedictus Iuustinianus.
S. Bernardinus.
Bernardinus de Busto.
Bernardinus Scardeonius.
S. Bernardus.
Bonardus Eques Mant. Ital.
BIBLIA Sacra.
S. Bonauentura.

C

Cælius Rodiginus.
Cæsar Baronius.

Cæsarius



INDEX
CAPITVM
Totius Operis.

Liber Primus.
De Inferni Cauitate.

De

Liber Secundus.

De cruciamentis in Inferni cauitate existentibus.

Liber Tertius.

Gentilium de Inferno, eiusquè supplicijs sententiæ.

Liber Tertius.

Gentilium de Inferno, eiusquè supplicijs sententiæ.


Liber Quartus.

De Dęmonibus ab eorum creatione, ad patratum crimen.


Liber Quintus.


De Dæmonibus à patrato crimine, ad Mundi finem.

spiritus



Inferni,





A. Pag. 135. Iodochus Lorich. dat huiusmodi formam, & situm inferorũ ergastulorum. Vult latera ad circumferentiã terræ peruenire: sic ꝓbabilius formãtur.
A. Infernus. B. Purgatoriũ. C. Lymbus. D. Sin. Abrahæ. E. Terra.

B. Pag. 136. Bartholomęus Sybilla refert intrà pyramidalem figurã subterranea animarnm promptuaria ab aliquibus sic disponi, & collocari.
A. Infernus. B. Purgatorium. C. Lymbus. D. Sinus Abrahæ. E. Terra.

C. Pag 140. Rabbini & Barthol Sybilla vniuersum gehẽnæ corpus in septem mansiones partiuntur. Hanc formã & locorum dispositionẽ silẽt. Placuit sic delineare, quòd alias excelso, alias infimo loco collocent, et infernus dicatur Sphæricæ figuræ. Sybilla iuxta ordinem ethalium pecca torũ distinguit hasce mansiones Hebręi alia & alia peccatorum genera puniri in vnaquaque volunt, ac certis eas nominibus appellant. *A.*



A. Inferiora Terræ.
B. Vmbrã mortis.
C. Foueam.
D. Lutum cæni.
E. Silentium.
F. Corruptionem.
G. Puteum.





Inferni,

D. Pag. 141. 142. Idē Bartholomæus Sybil. testis est, quosdam Inferni cauernam in nouē cellas distinguere, ī quibus vnaquæque dæmonum classis cruciętur; nouem enim sunt, quoniam ex singulis Angelorū ordinibus ceciderunt aliqui. In ijsdem ergastulis improbos mortalium animos collocant; iuxta nequitiæ gradum, & peccati genus. In carcere. A. plectuntur dæmones, qui ex Ordine Seraphin corruerunt, & illæ animæ, quæ hic, Dei ammore simulato, inanem gloriam quæsierūt. In carcere, B. cruciantur mali Angeli, qui in ordine Cherubin fuerunt, & illi mortalium animi, qui neglexerūt ea cognoscere, quæ ad salutem sunt necessaria, aut certè abusi sunt scientiæ dono. Et sic de reliquis









E. Pag. 146 Circa Inferni oram, sine vllo inter se ordine, aliqui putant reliqua subterranea animarum loca posita esse, vt hæc figura declarat ex Bartholomæo Sybilla, & Francisco Suario.


A. Infernus. B. Purgatorium. C. Lymbus puerorum. D. Sinus Abrahæ. E. Terra.

F. Pag 146. Non improbabile putat Suarius, ità sub terra disposita esse diuersa animarum receptacula, vt Sinus Abrahę iuxta Euangelij verbum magno internallo distet ab inferno damnatorum.

A. Infernus. B. Purgatorium. C. Lymbus puerorum. D. Sinus Abrahæ. E. Terra.

Inferni, Purgatorij, Lymbi, Sinus Abrahæ, forma, situs, dispositio.





G. Pag. 147. Apud Bartholomæum Sybillam, & Suarium, aliqui suprà inferni circumferẽtiam reliqua subterranea animarum loca sic disponunt, quadrata, vel orbiculari forma.
A. Infernus. B. Purgatorium. C. Lymbus puerorum. D. Sinus Abrahæ. E. Terra.

H. Pag. 148. Vt animarum loca, in quibus nulla adest pœna sensus ab ijs longè distent, in quibus ignis cruciatum infert; atq; vt dœmones, ac mortalium animi, quibus non datur cælum petere, ad proprias mansiones perueniant, absq; eo quòd transeant per aliena s, sic ait Suarius, posse quem non incongruè opinari ordinata esse subterranea receptacula.
A. Infernus B. Purgatorium. C. Lymbus. D. Sinus Abrahæ. E. Terra.

I. Pag. 146. Nõ pauci Theologi sẽtiunt, omnia subterranea animarum ergastula esse quam proxima inter se, ordine quodam disponi, atq; inferiora à superioribus circũscribi per modum integræ Sphæræ. D. Thomas suprà Infernũ collocat Lymbum puerorum, quòd vtrobiq; adsint veri Dei hostes, qui nunquàm eius faciem gustabunt.




A. Infernus.
B. Lymbus puerorum.
C. Purgatorium.
D. Sinus Abrahæ.
E. Terra.



A

Inferni, Purgatorij, Lymbi, Sinus Abrahæ, forma, situs, dispositio.



K. Pag. 148. Multis partibus plures, vicinitatem locorum, ac figuram orbicularem probantes, censent suprà infernum collocatum Purgatorium, ob quandam ignis, & pœnæ sensus, affinitatem.

A. Infernus. B. Purgatorium. C. Lymbus. D. Sinus Abrahæ. E. Terra.

Incerta, leui, & improbabili coniectura, iuxtà propositum hic ordinem, Eques Bonardus, & Ioseph Rosacius Italici Scriptores in æquali distantia, intrà terræ corpus collocant hasce circumferentias infernarum sedium; atq; de magnitudine eorum ambitus, diametro, ac distantia à nobis differunt, à terræ circumferentia, eiusq; diametro, & semidiametro sumentes argumentũ. Refero eorum opinamentum sine censura, plura à pag 159. ad 170. sequuntur Erastho.enem, cuius supputatione.


F. Circumferentia terræ est milliarium 31500. Diameter m. 10022. Semidiameter 5011. Cum his confun sunt circumferentiam, diametrum, & semidiametrum Sinus Abrahæ.

H. Circumferentia Lymbi puerorum (arguunt isti ex hac opinione) est mill. 23625. Diameter m. 7516 distantia à nobis m. 1252.

I. Circumferentia Purgatorij mill. 15750. Diameter m 5011. distantia a nobis 2505.

K. Circumferentia Inferni dicitur mill. 7875. Diameter m. 2505 distantia à nobis m. 3754

A. Punctum, est centrum terræ profundissima Inferni pars, dicitur ab his distare à nobis hoc est, F. Terræ superficie milliar. 5011. hic enim est terræ semidiameter.



ANTONII RVSCÆ COLLEGII AMBROSIANI DOCTORIS,

LIBRI QVINQVE.

DE INFERNO, ET STATV DÆMONVM ANTE MVNDI EXITIVM.

Liber I.

De Inferni Cauitate.

CAP. I.

Quot censeantur subterranea receptacula, quæ diuina iustitia dæmonibus, certisquè animabus præparauit. Argumentum illorum, quæ agenda sunt de Inferno, & Angelis desertoribus.



SVBTERRANEA ergastula à Deo Optimo Maximo detinendis malis spiritibus, ac certis animabus exuta mortalitate, improborumq; corporibus in vitam reuocatis, destinata, quatuor distingui receptaculis Inferno, Purgatorio, Lymbo puerorum, & Sinu Abrahæ, vulgata Doctorum persuasio est. Huc Doct. in 2. Sen. d. 45.

 tendunt

tendunt quotquot ab hac vita migrantes, à possessione summi boni impediuntur. Empyreum cœlum, quintum quoddam receptaculum est, eminentissimum, ac præstantissimum omnium, quæ in hoc mundo sunt, corporum, illudq; colunt Beatæ mentes, quæ Deo perfruuntur. Abeunt hinc puri, castiq; animi, cùm disiunguntur à corpore, Christo Redemptore nato, ni quid supersit purgandum, rectâ in cœlum: Inferiores quasdam terræ cellas adeunt, ac adierunt quicunquè post huius lucis vsuram proprijs, seu peculiaribus peccatis detinentur, aut implicantur culpa, vel reatu eius criminis, quod vniuersæ mortalitati paradisi fores occluserat. Et quidem criminibus, quæ mortalium quisquè volens ipse admittit, duo inferorum loca iure tribuũtur. Grauia cum sunt, ac mortifera, æterno tempore ijs inuolutos excludunt à felici Patria, ac veluti immensum quoddam onus, demergunt miseros in profundissimam terræ cauernã, gehennę, infernique damnatorum voce explicatam, quò pulsi fuère quàm plurimi apostatæ Angeli, postquàm insolenti animo à Creatore defecerunt, ac velut absoluto vitæ curriculo, in cœpta malitia perstiterunt. Sin autem pœnitentia salutaris venenum scelerum extinxerit, & maculas absterserit, quanquàm quid temporaneæ pœnę, eorum causâ, sit persoluendum post mortem, manet animabus, extincto corpore, receptaculum illud, quod à munere purgandi, Purgatorium appellatur.

Originali autem peccato duo similiter loca á superioribus distincta conueniunt. Si namq; eius criminis culpa superfit, neq; instituta pro tempore medicinâ sanatum vulnus fuerit, eo solùm inquinati concluduntur in Lymbo, quẽ paruulorum dicunt, vbi perpetuò diuina luce destituti, ac æternæ beatitatis expertes degent. Curatâ autem plagâ, & sanata lue, antequàm æternum Patris Verbum mortalitatem nostram indueret, atq; sanaret vniuersos homines, qui in Adamo fuerant cõsauciati, omnes quantumuis Sancti, & Deo chari, humanæ naturæ defectu, ac reatu, Lymbum Patrum, seu Abrahæ sinum, quietæ expectationis locum, adibant, vbi quidè eius aduentum præstolabantur, quem certissimè no-

uerant

uerant delaturum claues, quibus, per tot secula clausas cœli portas, aperiret, ac dilataret. Hic vbi aduenit, atq; in Crucis patibulo, quia ipse voluit, pro omnium salute oblatus est, debellato Inferno, ac extractis inde Sanctis, & Venerandis illis Patribus, ità Paradisum patefecit, vt huiusmodi iàm non sit opus receptaculo: quicunq; enim Saluatoris nostri meritis çternam felicitatem est promeritus, ab eius consecutione, vel exiguâ temporis morâ, non retardatur, modò purgantibus flammis non indigeat.

S. Thomas Angelicum illud ingenium, religiosissimæ familiæ decus, quæ sub D. Dominici vexillo Christo militat, hac ratione, quinque numero esse comprobauit post mortem loca, animarum, quorum primum supremas mundi regiones habeat, reliqua sub terra lateant: [Receptacula, ait, animarũ distinguuntur secundùm diuersos status earum. Anima autem coniuncta mortali corpori habet statum merendi, sed exuta à corpore est in statu recipiendi pro meritis bonum, & malum. Ergò post mortem, vel est in statu recipientis finale præmium, vel est in statu, quo impeditur ab illo. Si autem est in statu recipientis finalem retributionem, hoc est dupliciter, vel quantùm ad bonum, & sic est paradisus: vel quantùm ad malum, & sic ratione actualis culpæ est Infernus, ratione autem originalis est Lymbus puerorum. Si autem est in statu, quo impeditur à finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personæ, & sic est Purgatorium in quo detinentur animæ, ne statim pręmium consequantur propter peccata, quę commiserunt: vel propter defectum naturę, & sic est Lymbus Patrum, in quo detinebantur Patres à consecutione gloriæ propter reatum humanę naturę, qui nondum poterat expiari.] S.Th.4.d.45. q.1.a.3.

Quinque igitur cum sint animarum promptuaria, Cælum, damnatorum Infernus, Purgatorium, Lymbus puerorum, & sinus Abrahę, de suprema cęli regione agere in præsentiarum, haud est suscepti oneris. Differendum de reliquis: eorumq; habitatoribus. Atq; præsenti quidem volumine de infimo omniũ, Gehenna nimirũ, ac dæmonibus gehennę ad- Operis diuisio, & argumentum.

dictis. Hanc tractationem quinque libris expediemus.

Primus nudæ Inferni cauitati explicandæ destinatus est. Differetur de illius nominibus, de veritate loci, quid ille sit, quàm stolidè multi de illo sint hallucinati, vbi terrarum existat. Dicendum etiam de eius forma, dispositione, situ, profunditate, altitudine, latitudine. Deniq; disputandum, qua eò petatur.

Sequenti libro recensenda sunt varia, sensiliaq; cruciamentorum genera, quæ omnipotentissima Dei iustitia in ea valle miseriarum collocauit ad puniendos sontes. Fermè autem disputabitur de igne, eiusq; natura, & materia, de fœtido sulphuris odore, de molesta, exiguaq; luce, de caliginosis tenebris, de frigore intolerabili, seu algentibus aquis, de venenato verme. Indagandum etiam num in Inferno, re, existant ea ipsa, quę plures mortalium per reuelationem, aut ecstasim intellexerunt, vel certo tẽporis interuallo à corpore soluti viderunt, reuelaruntq;, diuino consilio, in vitam restituti.

Tertio libro inquiremus, an externæ gentes in cœca gentilitatis, ac infidelitatis caligine, aliquid de inferis, eorumq; cruciatibus post mortem suspicentur; quidq; Ethnicorum sapientiores, antequàm Lux veritatis oriretur, de illis scripserint.

Aget quartus liber de prauis Angelis infami gehennæ ergastulo addictis. Maximè verò exponentur eorum exordia, & conditio ante patratum scelus. Quod nam fuerit scelus ipsum Luciferi, & assectarum. Esset ne primus Apostata supremus omnium. Atq; an cæteros ad peccandum allexerit.

Postremo libro explicabitur bellum Michaelis cum prauis Angelis gestum; Eorum è cęlis ruina; Mora multorum in hoc caliginoso aere, eiusquè ratio. Num inter perturbatos illos spiritus ordo quidam, seu dispositio reperiatur. An prouincijs, regnis, ciuitatibus, peccatorum varijs generibus, atquè vnicuiquè mortalium certi dæmones assideant. Quæ malorum spirituum tum in hoc mundo, tum in tartaro commorantium supplicia. Num eorum pœnæ æternæ futurę sint,

ſint, an à cruciatibus, diuina ope, tandem aliquandò liberandi. Deniq; an tormenta illa aliquam intermiſsionem, mitigationem, lætitiam, animiquè voluptatem admittant. Præcipua hæc capita huius operis, quod nunc aggredior, minutiora huc reducuntur, atq; inter legendum occurrent.

CAP. II.

De voce hebraica Sceol, *quæ latinæ* Inferni *reſpondet. Hanc ab aliquibus Iudæis, & hæreticorum plurimis, temerè accipi tantùm pro ſepulchro, & foſſa cadauernum.*

DICTVRVS igitur de inferno, ordior ab hac ipſa voce, cuius vim noſſe plurimum intereſt, amplectuntur ſiquidem multi nomen familiare ſacræ paginæ, tum hebraicum, tum græcum, tum latinum, quòd nimiũ apertæ impudentiæ, & impietatis ſit, aut ſacrorum oraculorum au ctoritatem in dubium vocare, aut manifeſtis eorum vocibus r eſiſtere; Cęterùm deſtruunt rem palio vocis, quam ita vſurpant, vt eâ tantum non ſignificent infernum, maximè cum detorquent ad tumulos mortuorum.

In primis ergo Iudæi quidam, ex Patro Galatino, verũ, ac germanum verborum ſenſum negantes, ac deprauantes, contendunt voce *Sceol* haud exprimi profundum quempiã locum, in quo animi poſt mortem detineantur, ſed ſepulchra mortuorum. Hanc Iudæorum inſcitiam ſequuti ſunt hæreticorum plurimi ſuperioris æui, qui cum ſtuderent maximè, infernum penitùs delere, ac hominum mentes ab eius cogitatione omninò ſeuocare, aptiorem ad id ipſum decipulam non inuenerunt, quàm perſuadendo illis, inculcari quidem infernum à diuina ſcriptura, eiuſquè ſæpius in illa mentionem incidere. Veruntamen inferni appellatione, non

Petrus Galat. l. 6. Cathel. ver. c. 7. & 8.

Hæretici infernum ad ſepulchra trahentes.

non nisi ea loca explicari, quibus creduntur corpora mortuorum. Id fecere audacter, & imperitè, Caluinus, Bucerus, Musculus, Beza, Mollerus, Tremelius, & omnis fermè eius æui colluuies, quibus quoties in diuinis litteris vox hebraica *Sceol* occurrebat, cui Latina *Infernus* respondet, toties eam pro tumulis mortuorum exponebāt, atq; metaphoricam prędicabant. Franciscus Feuardentius vir doctissimus, atque in refellendis hæreticis adeo accuratus, vt iure *Leo contra hæreticos* appellatus sit, hęc retulit: [Caluinus equidem in c. 37. Genes. in c. 32. Deut. in Psal. 6. 9. 15. 17. 29. 30. & alibi dictionem *Sceol* explicat nomine sepulchri, & foueæ, in quibus Bucerum, & Musculum sequitur. Beza Mollerum, & Tremelium imitatus, viginti tribus locis paraphrasium suarum in Psalmos, in quibus *Sceol* occurrit, nullius alterius inferni meminit, nisi sepulchri, atq; tumuli: & annotat. in Acta Apostolorum concludit, illam vocem nihil aliud, quàm sepulchrum declarare. Hoc enim vocabulo inquit (Beza videlicet) nemo est, qui nesciat sepulchra notari.] Quidquòd, vt idem Feuardentius testatur, statuerunt in omnibus conuentibus suis Caluinus, & Beza, ne cantillaretur de alijs inferis, quàm de foueis, & sepulchris.

Fran. Feuar. in Theom. Cla. l. 14. c. 1.

Fo. Rohenno in Epist. ad Ossanum Card.

In eodem errore fuisse mihi videtur Ioannes Mercerus damnatæ memoriæ auctor, qui etsi omninò eos non contemnat, qui aliquot sacræ paginæ loca, in quibus de inferno sermo est, ad supplicia impiorum referunt: ipse tamen, aut illis sepulchrum exprimit, aut mortem, & exitium, quemadmodum videre est in suis annotationibus in illud Iob. *Nudus est infernus coram illo, & nullus est operimentum perditioni;* In illud Prouerb. 15. *Infernus, & perditio* &c. In illud item Prou. 27. *Infernus, & perditio nunquam implentur,* & alibi sæpè.


Ioann. Mercer. cõment. in Iob.

Iob 26.

CAP.

CAP. III.

Non satis cautè nonnullos Catholicorum Doctorum sensisse, eadem vocem Sceol *in veteri Testamento haud significare tormentorum locum, sed sepulchrum, nec ibi de malorum carcere, aut bonorum regno, apertam mentionem fieri.*



NONNVLLI etiam ex Catholicis, in explicandis diuinis litteris haud ineruditi, quanquàm dispari ab hæreticis studio, existimarunt & ipsi in veteri Tastamento vocem illam *Sceol* non Gehennam, sed foueas mortuorum significare. Augustinus Eugubinus eius mentis fuit, inquit, enim, ad illud Genes. *Descendam ad filium meum lugens in infernum. Sceol* ad inferos aut fossam, vel sepulchrum referri. [Ne quid prauũ, ait, hoc loco suspicemur, quòd Iacob vir Deo amicissimus dicat se descensurum ad inferos. Hebraicè itaq; vbicunque Hieronymus, & Septuaginta infernum interpretati sunt, est *Sceol*, hoc est fossa, siuè sepulchrum. Neq; enim significat eum locum, vbi sceleratorum animas recipi antiquitas opinata est. Is enim ab Hebræis recentioribus gehenna vocatur, quod videntur à nobis accepisse, quandoquidem in veteri testamento, nusquam inuenimus Gehennam locum in sempiternum damnatorum significare. De quo loco Rabbi Moyses lib. de resurrectione, sic scribit. Supplicium verò, quo scelerati cruciantur, asserunt esse Gehennam, quem locum esse dicunt flammis ardentem, vbi vnà cum corpore exurendi suntimpij non vno suppliciorum, ac pœnarum genere, sed adeò varijs, ac exquisitis, vt longum sit referre.] Quarè, subdit, idem Eugubinus, *Sceol* impropriè significare gehennam. Atque eodem loco, iure Auen. Ezr. Caldaicum reprehendere, quod Gehennam exposuerit id, quod est *Sceol*, cum

Eugubinus in c. Genes. 37.

cum ex varijs scripturæ sacræ locis, facile sit intelligere, eo nomine semper sepulchrum declarari, quod multis locis probat.

Eug. in Psal. 29. Ex hac Eugubini opinione factum est, vt scripserit nullibi fermè in sacris antiquis paginis de bonorum, aut malorum præmijs, vel supplicijs agi. Ad illud Psal. *Domine deduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum*, hæc habet, [Posset etiam id ad corpora referri, quòd rarò in veteri testamento, vel salutem, vel damnationem animi reperias. Descendentes in infernum, aut barathrum, & voraginem, sunt, quos nemesis, grauissimis pœnis ob grauissima scelera in hac vita adiudicat. Hoc sæpiùs illo uetustissimo tempore factum inueniemus, nondum bonis, ac malis sempiternis declaratis.]

Psal. 29.

Cypr. Monach. Cister. in c. 7. Iob. Cyprianus etiã Monachus Cistercienfis idẽ omninò ac Eugubinus sẽsit, uoluitq; moris esse diuinæ ueteris scripturæ, uocem *Sceol* pro sepulchro usurpare, ac ea de causa nullam ferè ibi mentionẽ fieri de statu malorum post mortem. Eius uerba sunt ad illud Iob. *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descenderit ad inferos non ascendet.* [Inferos more sacrarũ scripturarũ sepulchrum dicit, nam toto ueteri testamento *Sceol* pro sepulchro sumitur:] Et paulò post. [De statu animorum post mortem, aut exigua, aut prorsùm nulla mentio fit in litteris arcanis ante Christi aduentum, ut hoc quoquè inter cætera Christo debeamus, quòd rem longè difficilem, & perobscuram nobis aperuit.]

Iob. c. 7.

Sequuntur hi doctores quosdam hebræos, à quibus non dissentiens Marcus Martinus in Lexico Habraico, cui titulus *Arca Noe*, inquit, uerbum istud *Sceol* significare foueam sepulchrorum, & locum vbi mortui sepeliuntur, & per metaphoram infernum, vel inferni partem, vt differat ab *Auadon*, quod propriè infernum significat. Non est tamen putandum, tametsi cit. doct. quoad eius nominis vim ab hæreticis, de quibus supra diximus, non discrepent, re conuenire; nam vti indicatum, hæretici ideò eam vocem ad foueas, & sepulchra deducunt, quòd inferni memoriam


Marc. Mar. in Arca Noe.

ac

ac gehennam ipsam delere studeant; Eugubinus vero, Cyprianus Cistercienfis, & quot quot Catholicè sentiunt, quod eam in esse nomini vim putarint, admittentes alioqui dari tartarea regna, vbi plectantur mali.

CAP. IV.

In veteri Testamento voce Sceol, *latina* Inferni *explicata, aliud prater tumulos mortuorum significari. Id quinque auctoritatum classibus comprobatum. In nouo Testamento idem esse indubitatum.*



NON disputabo in præsentiarum, num semper in sacris litteris, *Inferni* nomen, quo Latini loco vocis hebraicæ *Sceol* vtuntur, pro subterraneo animarum loco accipiendum sit; res enim & prolixa nimis, & aliena ab instituto meo, cui satisfactum profecto erit, si aliquot testimonia proferam in medium, in quibus *Inferni* vox apertè adeò significet latentem sub terra animarum sedem, vt nonnisi per summam impietatem, & stoliditatem trahi ad sepulchra possint. Quòd autem infinita propè sint, quibus ostendi id potest, ea ad quinque capita rouocabo. Primò cum per antithesim infernus Cœlo opponitur. Secundò cum in infernum peccatores conijci in pœnam dicuntur. Tertiò cum significant eo loci esse animas, vel dæmones. Quartò cum certi adduntur tituli, qui sepulchris conuenire non possunt, veluti cum immensa Inferni capacitas, vel profunditas declaratur. Quintò, & postremò, cum recensentur nonnulla, quę docent, vt euitari gehenna possit.

Fecit id multis Mart. Del rio. In 1 p. Adag. Sac. vet. test. Adag. 197.

In prima classe est in primis illud Iob. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde agnosces?* Vbi cum summo cœlorum vertici infernus opponatur, inanis esset antithesis, Iob. 11.

tithesis, ni, vt nihil cælo sublimius, ita nihil inferno esset profundius, nam quis nescit multa altiùs latere sub terra, quàm sepulchra, quæ vix à terræ superficie distant, immò aliquando supra terram eminebant. Quare Dydimus, Olympiodorus, Beda, & D. Gregorius in suis moralibus, cum locum de infima animorum sede accipiunt. Persimile huic est illud Psalmi. *Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades.* Vbi *Inferni* nomine nonnisi profundissimus terræ locus declaratur, quò viuentes animi peruenire possint. Ad extremum huc pertinet illud Isaiæ. *Et adiecit Dominus loqui ad Acaz dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Vbi quid infernus significet verba D. Hieronymi ad eum locum explicabunt. [Sicut, inquit, profundum, infernum significat, ita excelsum supra cœlos intelligere debemus, vt cum de inferno, siue de excelso signum acceperis credas futura quæ dixi. Vis inquit, vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant, qui in corde terræ esse dicũtur, an vt aperiãtur cęli?]

Dyd. Olym. Beda, Greg. in cit. c. Iob.

Psal. 138.

Isai. cap. 7.

D. Hier. in c. 7. Esa.

Quæ ad secundam classem reducũtur, obstruunt omninò hæreticorum ora. Quis enim audeat dicere, sacra oracula, cum scelestis manere in pœnam infernum aiunt, ea voce sepulchrum significare, quod bonis æque, ac malis commune est? In Esther legimus hæc verba. *Vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes.* An nefarijs tantùm patent sepulchra? An imperij perturbatoribus id saltem honoris tribui mandabat Aman, vt sepulturæ mandarentur? Minimè verò, quin probi æquè & improbi tumulantur, & volebat Aman pacis, regnique hostes iacere insepultos in escam ferarum, qua de causa dixerat, *nullus eorum misereatur* .i. sepulturæ mandet, non enim misereri, aut est mederi, aut iuuare, cum mortuis huiusmodi obsequia non præstentur. Illud etiam Iob. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*; de sepulchro accipi non potest, in hoc enim boni, ac mali descendunt, sed de certo quodã loco, quò truduntur ij, qui in hac vita delicijs, ac voluptatibus, posthabita virtute, se totos dederunt, qui locus Gehenna est, teste

Esther 13.

Iob. 21.

teste Origene, Beda, Gregorio, & Philippo presbytero. Accedit etiam alia Diuini Psaltis auctoritas, cum inquit. *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum.* Quem locum explicant Origenes, Athanasius, Basilius, Didymus, Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, & alij Patres de peccatoribus in inferno degentibus. Suppeditat aliud insigne testimonium idem met Dauid, qui de peccatoribus, & impijs ait, *Erubescant impij, & deducantur in infernum.* Quem locum, cùm Hieronymus, & Augustinus ad illud tempus referant, quo examinatis sceleribus, dicendum est iniquis, *Ite maledicti in ignem æternum*; satis patet non posse de sepulchris intelligi, post illud enim tempus, nec sepulchra, nec cadauera mortuorum supererunt. Huc etiam spectat illud sapientissimi Salomonis, quod hanc veritatem non obscurè confirmat. Ecclesiast. 9. *Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Si enim inferi sunt sepulchra, quod discrimen inter bonitatem, & malitiam? Non ne & corda filiorum hominum, quæ implentur religione, pietate, rectitudine, quæ summo in honore Deum, eiusq; legem habuerunt in vita sua deducentur in infernum, hoc est sepulchrum? Sanè certe.

Origen Beda Greg. & Philip. Presb in locũ cit. Iob. Psal. 9. Doctores h ad locũ Psa.. Psal. 54. Hieron. Augustin. Matt. 25. Eccl. 9.

Ad tertiam classem reuocatur in primis illud Psalmi. *Non derilinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* In cuius loci explanatione, quis dicat, animam siue Christi, de quo vniuersi ferè Sancti Patres, Diui Petri sententiam imitati, eum locum exponunt, siue Dauidis, vel alterius, mandatam esse tumulo, exiguo inclusam sepulchro. Infernus ergo certam animarum sedem exprimebat, nullo Catholicorum Doctorum dissentiente. Similis huius loco est ille Psal. 29. *Domine eduxisti ab inferno animam meam*, Vbi cum anima fuisse in inferno dicatur, inferno sepulchrum non exprimitur, neque enim anima sepelitur. Quemadmodum etiam eadem de causa illud eiusdem Dauidis. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*; ad sepulchrum nequit referri, sed ad pœnarum locum, a quo

Psal. 15. Psal. 29. Psal. 85.

Remig. in cit. Psal. animi sanctorum eruuntur. Quamobrem S. Remigius tractans hunc locum ait. [Ad litteram dicamus. Eruisti animam meam ex inferno inferiori, idest a loco tormentorum, licet non a loco tenebrarum.] Dauid .n. adijt Abrahæ Sinum. Præterea quis dicat incorporeos spiritus in sepulchra descendere, more cadauerum tradi tumulis? Nihilominus de Lucifero, qui ad cœleste solium per superbiam aspirabat, Isa. 14. dictum est. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci*; vt exponunt multi Patrum, inter cæteros Diu. Hieronymus ibi. D. Hier. in c. 14. Esa.

Ad quartam verò classem pertinent ea, in quibus nonnulla adiunguntur voci *Inferni*, quæ in sepulchra non quadrant. Talia sunt *Abyssi*. *Inferni Nouissimi*, *Inferioris*, et huiusmodi, quæ profundiùs latere inferos indicant, quàm tumulos mortuorum. Sap. 14. Ezech. 31. Deuter. 32. Prouer. 15. Psal. 85.

Quinta, & postrema classis sequitur, quam vltimo loco reseruauimus, quòd, duo quæ habebit testimonia, nonnisi insanissima temeritate detorqueri ad sepulchra, possint. Prouer. 15. Primum extat in Prouerbijs, estq; huiusmodi. *Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo*. Quo loci quis nisi imperitissimus infernum nouissimum pro sepulchro accipiat? Eruditio, & sapientia, si quem à sepulchro eximerent, eum certè exemissent, qui hæc ipsa protulit, fuit enim omnium sapientissimus, obijt tamen, & sepultus est. Scilicet mors æquè musæa doctorum, & tuguria ineruditorum pulsat. Infernus igitur nouissimus, locus tormentorum est, pœnalis gehenna, quam eruditi declinant, illi scilicet, qui terrena despicientes, quæ sursum sunt sapiunt, addiscuntq; præcepta, queis, & conformare mores, & vitam rectè instituere possint. Eadem Prouerbia dant aliud testimonium, non minus Prouer. 23. illustre superiori. *Noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga non morietur, & animam eius ab inferno liberabis.* Quis hîc non intelligat infernum, non esse sepulchrum, quod velint, nolint omnes eruditi, ineruditi adeunt, sed illum carcerem, vbi deprauati mores plectuntur, à quo liberantur illi, quibus virga non pepercit

in hac vita, hoc est, qui normam rectè viuendi, acceperunt, seruaruntq́; , qui ideò minimè moriétur, quòd eorum animi post huius lucis vsurā non tormentis, sed gaudijs superfuerunt.

Sed hæc sufficiant ex veteri Scriptura deprompta. Sacrosancta Apostolorum, & Euangelistarum volumina, adeò referta sunt testimonijs, & documentis, quibus intelligi potest, *Sceol* hoc est inferni nomen aliud, quàm tumulos mortuorum significare, vt necesse sit integras paginas occupare, si velim singula persequi. Hæc clara, & aperta sufficient. Matt. 11. *Et tu Capharnaum, nunquid vsq; in cælum exaltaberis? vsquè in infernum descendes*. Sanè hîc et hæretici sepulchra, tumulosq; mortuorum omittunt, explicantq; Inferni voce *ᾅδην*, idest infimam mundi sentinam, non autem sepulchra, ridicula enim anthitesi inferorum profunditas, si fossas mortuorum notaret, cęlo opponeretur, cum sepulchra vix quattuor vlnis aliquando sub terra lateant. Matth. 16. de vniuersa Ecclesia Christus Saluator dixit. *Et portæ inferi non praualebunt aduersus eam*. Quis hoc loco non dijudicet, Infernum aliud esse à sepulchro? Quid enim cadauera, quid fossæ mortuorum aduersus Ecclesiam Dei possunt, vel contenderunt vnquā? Quid clarius authoritate Luc. *Mortuus est autem et diues, & sepultus est in inferno*. An in sepulchro cadauera, ad modum viuētis spiritus vitæ munera obeunt? An vident? An colloquuntur? An crucianturflammis? Quid molestius acciderat diuiti, si infernus sepulchrum sonat? An Lazarus sepultura caruit? Apostolus de Christo. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Quinam sunt dolores, quos Christus soluit? Non ij certè, quibus anima à corpore separatur, quos consequitur corporis ipsius sepultura, hi enim adhuc manent. Ij igitur, qui secundam mortem consequuntur, hoc est damnationem ad inferos, quos Christi meritis, qui ꝑ nobis mortuus est, vitare homo potest. Sec. Petri c. 2. de Dęmonibus. *Et rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Vbi procul dubio de tenebricoso carcere agitur, in quo dęmones cruciantur. Spiritus

Matt. 11.

Matt. 16.

Lucæ. 16.

Act. 2.

2. Pet. 2.

ritus enim non clauduntur ſepulchro.

Apoc.20. Demum Apocal. 20. *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*. Infernus ſonare non poteſt ſepulchrum, ſed dęmones primos inferni incolas, ſicut etiam mors, homines damnatos ſignificat, qui verè mortui ſunt, gratiæ ſcilicet, & gloriæ. Eſt enim eo loco metonymia, qua de cauſa Andreas Cæſarienſis ibi, ait, ſic infernum, & mortem ſumi, ſicut vrbem vſurpamus pro ciuibus.

Andreas Cæſar in locum Apoc.

Hæc, quæ ex vtroq; teſtamento retulimus, ſi æquo animo legantur, intelligent profectò hæretici, ſacras litteras, aliud à ſepulchris receptaculum, dęmonibus, ſibiq; ſimilibus dare, ac apertè conſtabit, qua nam arte, quoue conſilio turpiter adeò, & impiè corrumpant illud Inferni nomen, nimirùm vt eius memoria, ac fides funditus euertatur, & deleatur, habeantq; in promptu reſponſionem, qua Scripturæ auctoritatem eludant, ea, quæ de gehenna traduntur, ad foueas, & ſepulchra accommodando. Intelligent etiam Eugubinus, & Ciſtercienſis in eiſdē ſacris antiquis paginis ſæpiſſimè inferni voce malarum animarum poſt mortem locum notari, proptereaq; de illarum poſt mortem ſtatu apertiſſimè meminiſſe.

Contra Eug. & Ciſterc.

Io. Cl. apud Gen. de ſāct. fruit. ſect. 6. Ioannes Climacus. [Peccatorum animas, inquit, omne vetus, ac nouum teſtamentum in inferni carcerem ablegari veluti in vincula teſtatur.] Atq; hac de re Doctores uniuerſi adeò certi ſunt, ut nihil de cęleſti regno, aut de inferno, ac peccatorum pœnis litteris mandent, quod, quantùm fieri poteſt, locupletiſſimis, tum ueteris, tum noui Teſtamenti, teſtimonijs non confirment, adeòque perſuadent ſibi de illis agi in diuinis oraculis, vt nihil a prophanis ſcriptoribus in eam rem congruenter dictum cenſuerint, quod non ſuffurati ſint a Moſe, Dauide, Salomone, alijsq; Prophetis, ut alicubi dicemus. Quin aiunt non indocti uiri, Chriſtum Dominum de pęnis inferni agentem teſtimonijs Prophetarum uſum eſſe, ſicuti Marci 10. Iſaiæ teſtimonio, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, ut notum faceret à Prophetis eſſe prædictas pęnas inferni, quas ipſe prædicabat. Veterum Patrum teſtimonia haud refero, apertè .n. intelligeretur, eos

Caiet. in cap. 10. Marci. Iſa. c. vlt.

nunquam

nunquam nō uſurpaſſe inferni nomen pro ſubterraneo animorum carcere, cùm probabitur, miro eos conſenſu Infernum in profundiſſima terræ parte collocaſſe.

CAP. V.

Hebræorum ſententiâ probatum voce Sceol *animarum post mortem locum exprimi. Idem hæreticorum teſtimonijs.*

PERITIORES certè linguæ Hebraicæ, quibus nefas ſit in præſentia fidem abrogare, diuinas paginas exponentes, *Sceol* ferè reddidere voce ᾅδου, aut *Inferni*, qua exprimunt profundiſſimum quendam locum, non corporum, ſed nonnullarum animarum receptaculum. Commētarij trium Rabbinorum in Prouerbia Salomonis, quos nuper emiſit in lucem Antonius Giggeius è noſtro Collegio, vir mihi in primis charus, tum inſigni humanæ, diuinæq; Philoſophiç eruditione, tum Orientalium linguarum peritia, quibus adeò familiariter vtitur, vt eas è materno vbere ſuxiſſe exiſtimes, multa ſuppeditant teſtimonia, ſed hęc luculentiora. A. Ben Ezra, ad eum Prouerbiorum locum. *Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum.* *Sceol* hoc eſt *Infernum*, accipit, pro gehēnę cruciatibus. Leui Gherſom: ibidem, ait, infernum appellari *Sceol*, quaſi locum in profundiſſima terrę parte conſtitutum, Idem Aben Ezra enarrans paraphraſticè verſiculum illum. *Semita vitæ ſuper eruditum, vt declinet de inferno nouiſſimo*, ait in id deſudare ſapientem, vt viam vitæ ſectetur, quæ ſupra eſt, flagratq; deſiderio redeundi ad Deum, inferni ſedibus deuitatis in ima ſede constitutis. Salomon Iſacides ad illud. *Infernus, & perditio nunquam implentur.* [Nunquam, inquit, ſaturantur infernus, & perditio, quin ſceleratorum piacula recipiant, admit-

Ant. Giggeus Coll. Amb. Doct.

A. Ben Ezra in c. 14. Pro.

Leui Gherſ. in cit. locum Salom.

Aben Ezra ad c. 15. Pro.

Sal. Iſac. in c. 23. Prouer.

Gil. Gen.l.3. de Trin. nu. 38
Rab. Leui.in c.16. Iob.
Rab. Abrahā in c.2. Ionæ,
Rab. Rachanethi ad cap. 22. Leuit.
Barth. Value. in assert. Pur. ex Hebr.

admittant vè.] Gilbertus etiam Genebrardus recenset authoritates Rab. Leui, Rab. Abraham, Rab. Rakanathi, qui semper voce *Sceol*, seu *Inferni* intellexère certam animarum sedem, ac stationem propè centrum, vbi aiunt infernum existere. Bartholomæus demum Valuerdius multos enumerat Hebræorum scriptores, qui memorata voce *Sceol* nonnisi animarum, quibus post mortem pœnæ dandæ sunt, loca significant.

Hæretici ipsi dissimulare non potuerunt hanc veritatem, summa enim inconstantia, vtinam salutari, euidentissimis sacri eloquij sententijs cogentibus, sæpè fassi sunt *Sceol*, seu *Inferni* vocem aliud significare, quàm tumulos mortuorum. De Caluino hæc Feuardentius. [Caluinus, ait, in Psychopannichia apertè confitetur *Sceol* interdum significare sepulchrum, sed contradicendo Bezæ statim subiungit. *Vt plurimum accipi pro statu damnatorum*. Idem rursus explicando caput 32. Deuteron. non vsurpat *Sceol* pro fouea, nec pro tumulo, vt vellet Beza, sed pro gurgite inferorum, vertens: *Tum ardebit vsque ad infernum inferiorem*. Temeritatem, & imperitiam successoris sui Bezę manifestè coarguens. Interdum in sua tralatione, & commentatione capitis 16. Numerorum, vbi Moses paucis versiculis semel, & iterum vsurpat vocem *Sceol*, Bezam suum relinquit torpere in foueis, tumulis, & sepulchris suis, vt editionem vulgatam Latinam sequatur vertendo, *Descenderunt in Infernum*.] Pauli præterea Fagij, Sebastiani Munsteri, Oecolampadij, Buceri, & aliorum hęreticorum testimonia, idem Feuardentius suppeditat, in quibus nonnulla sacræ paginæ loca tractantes, *Sceol* haud accepère pro fossis mortuorum, sed pro vero inferno, statuq; animarum post mortem. Sed haud recens est hęreticorum leuitas, quando pugnant cum veritate, maximè de inferno. Tertulliani æuo; similes neotericis hæreticis homines viuebant, perditi, flagitiosi, quos, aiebat Tertullianus, nonnisi ad libitum Tartarum carcerem pœnarum infernarum affirmare.

Feuar.lib. 14. Theom. Cal. c. 1.

Tertul. in Apol.c. 19.

CAP.

CAP. VI.

De nomine Gehennæ. *Quòd* Gehenna *fuerit amœna vallis, in qua Iudęi igne filios suos cremabant, & immolabant Idolo Baal; Quòd a Rege Iosia contaminata sit, & polluta. Quòd obsidionis Babilonicę tempore sordidissima fuerit infinitis cadaueribus. Quòd demum in ea exercitus Sennacherib extinctus, & combustus ab Angelo.*



GEHENNA, seu Gehinnom, est nomen similiter hebraicum, conflatum ex *ge*, quòd vallē significat, & *Ennom*; quæ hominis est propria nomenclatura. Hanc vallem amœnam olim fuisse, testis est Beatissimus Hieronymus, qui scribit de illa. [Hæc vallis, & parua campi planities, irrigua erat, & nemorosa, plenaq; delicijs, lucus in ea Idolo consecratus erat.] Ac in cap. 7. Ierem. ait. [Topheth, quæ est in valle filiorum Ennom, illum locum significat, qui Siloe fontibus irrigatur, & est amœnus, atq; nemerosus, hodieq; hortorum præbet delicias.] Hier. in c. 10. Math. Hier. in ca. 7 Ierem.

Hæc loci amœnitas effecit, vt Iudæi Idolo Baal (quod teste Lyrano æneum erat instar fornacis concauum, humanaq; formam habebat, seu vt vult Isidorus Clarius vitulinā, manibus extensis, quasi ad cruentum sacrificium inuitaret) filios suos igne incensos sacrificabant, secuti videlicet, quoad sacrificij locum, cœcam gentilitatem, quæ amœnis in locis Idola colebat, eisq; immolabat. De qua consuetudine Hieronymus. [Gentilitatis error omnes prouincias occupauit, vt ad capita fontium, lucosq; amœnissimos, victimas immolarent, & omnis prauæ superstitionis religio seruaretur &c.] Lyran. Leuit 10. Isid. Cl. Ier. 7. Hier. in c. 7. Ier.

De inhumano hoc sacrificio, quo ibi Iudæorum filij Idolo immolabantur, siue combusti post immolationem, siue viui adhuc in concauitate ænei Idoli inclusi, & succenso igne concremati (varias enim hac de re sententias Genebrardus refert) Ieremias locutus est his verbis. *Aedificauerunt excelsa Tophet, quæ est in valle filij Ennom, vt incenderent filios suos, & filias suas igne; quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo.* Et D. Hieronymus. [Idolum Baal fuisse iuxta Hierusalem ad radices Montis Moria non semel legimus. Hæc vallis plena delicijs erat, lucusq; in ea consecratus. In tantam autem dementiam populus Israel venerat, vt deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis delicijs vinceret, filiosq; suos dæmonijs incenderet, vel initiarent. Et appellatur locus ille Gehennom, id est vallis filiorum Ennom.]

Geneb. in Ps. 104. Ierem. c. 7. D. Hier. in c. 10. Matt.

Hæ verò huius vallis deliciæ iustè aliquando deletæ, contaminauit enim eam, & polluit Iosias Rex, & tempore Babylonicæ obsidionis, abominanda prorsus, & immunda effecta est ob ingentem copiam occisorum in ea hominum a Chaldæis, qui insepulti iacebant, & fœtebant. Quò Ieremias respexit, cum ait *Ecce dies venient dicit Dominus, & non dicetur amplius Tophet, & vallis filij Ennom; sed vallis interfectionis, & sepelient in Tophet, eò quod non sit locus. Et erit morticinium populi huius in cibos volucribus cæli, et bestijs terræ, & non erit, qui abigat.* Quo loci Hieronymus. [Tanta autem cædes erit, ut in loco prius religionis sepulchra sint innumerabilia.] Et c. 19. idem Ieremias. *Et ponam ciuitatem istam sicut Tophet. Et erunt domus Ierusalem, & domus regum Iuda sicut locus Tophet, immunda.* Iusserat enim Deus eo capite Ieremiam eam uallem petere, prædicereq; habitatoribus Ierusalem fore, ut loci deliciæ in sentinam sordium commutarentur, amœnissimusq; locus fieret tumulus mortuorum.

4. Reg. 23. Ierem. c. 7.

In hac ēt ualle extinctum exercitum Regis Assyriorū Sennacherib, & occisa esse centum octuaginta quinq; millia hominum testis est Thomas Aquinates dum inquit: [Tophet uallis filij Ennom, Gehenna, Eadē est vallis Gethsmani in

D. Thom. in c. 30. Esa.

in qua extinctus est exercitus Sennacherib &c.] Atq; hæc occisorum cadauera, aut ab Angelo cęlesti igne in cineres redacta sunt, ut Caietano, & Lyrano placet, aut certè, ut tradit Hieronymus ex hebræis, occulto ardore dissoluta in auras illęsis uestibus euanuerunt. Hæc Hieronymus de extinctione exercitus Sennacherib, & combustione cadauerum, paraphrasticè enarrando Isaiæ locum. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem: & subtus gloria eius succensa, ardebit quasi combustio ignis.* [Quia ista fecisti, & locutus es, quæ supra narraui, propterea mittet Dominus Angelum suum, & una nocte, centum octoginta quinque millia de tuo morientur exercitu, ita ut, potentissimi quiq;, quos pingues appellat, redigantur in tenuitatem, & in nihili, & sicut Hebræi tradunt, illęsis uestibus Assyriorum, corpora occulto crementur ardore.]

Caiet. 4. Reg. 19. Lyran. Is. 10. Hier. in c. 10. Esa.

CAP. VII.

A quo primò acceptum sit Gehennæ *nomen ad infernale barathrum significandum. Deductum ad id tùm ob crudele sacrificium, quo igne cremabantur infantes, tum ob loci certo tempore obscænitatem; tùm ob immanem strugem, qua tot millia hominum extincta, & cælesti flamma ambusta sunt. Placere alijs eo nomine appellari Tartarum, aut ob pœnæ perpetuitatem, aut ob loci profunditatem, aut ob inclusum ignem.*



ISVM est hæc de Gehenna præmittere, ut faciliùs pateret causa, quamobrem nomen istud ad malorum latentem sub terra carcerem significandum usurpetur. Quòd enim hac uoce infernus exprimatur perpetua, ac pęnalis malorum mansio, nullus ambigit, cùm ea Saluator noster sæpè usus fuerit, immò, ex D. Hieronymo primus eam in hoc

D. Hier. in c. 10. Matt.

sensu adhibuerit. [Nomen Gehenę (verba sunt Hieronymi) in veteribus libris non inuenitur, sed primùm à Saluatore ponitur. [Idem Beda ad verbum. Verisimile tamen censet Cornelius Iansenius, apud Iudæos, etiam ante Christum, acceptum esse hoc nomen ad significandos cruciatus inferni, cum nomen ipsum in veteribus libris sæpè occurrat. Sanè vt timore pœnarum Iudæi Idola, ac nefaria flagitia desererent, iussit Deus Ieremiam in ea valle congregato populo prædicare, ac vētura mala prænunciare. Quid quid sit, iustè ad tartara eorumque supplicia exprimenda eā vocē deductā esse, cognoscere facilè poterit, quicunq; ea meditetur, quæ superiori capite recensuimus. Vt enim humana feritate in ea valle ardentissimo igne discruciabantur infantes Iudæorum, ac Idolo sacrificabantur; sic, qui dœmones, veluti patrem coluerunt, eiusq; monita secuti fuere, viuacissimis flammis, ac sæuis incendijs cremabuntur, eò Iudęorum filijs miseriores, quòd isti exusti perirent, illi in æterna morte, ac sempiterno ardore æternùm viuent.

Cornel. Iansen. in Concor. Euan. c. 4.
Beda in c. 10. Matt.
Cur gehenna infernum significet.
Hier. in c. 19. Hierem.

Quod verò locus hic alias suauis, & iocundus, sordibus, putidisq; cadaueribus repletus sit, factusq; purgamentorum vrbis Ierusalem infame receptaculum, hac etiam de causa eo miserrimus ille carcer notatus est, quo impuri homines coercentur sordidati culpis, quibus esse locus non potest in cęlesti Ierusalem.

Hier. in c. 10. Matt.

Dedit vtramq; rationem D. Hieronymus in hęc verba. [Nomen Gehennæ in veteribus libris non inuenitur, sed primùm a Saluatore ponitur. Quæramus ergo, quæ sit sermonis huius occasio. Idolum fuisse iuxta Ierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis, & parua campi planicies irrigua erat, & nemorosa, plenaq; delicijs, lucusq; in ea Idolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus Israel venerat, vt deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret; & rigorē religionis, deliciæ vincerent, filiosq; suos dęmonijs incenderent, vel initiarent. Et appellatur locus ille Gehennom .i. Vallis filiorum Ennom. Hoc Regum volumen, & Parali-

3. Reg. 11.
4. Reg. 23.

 pomenon,

pomenon,& Ieremias ſcribunt pleniſſimè. Et comminatur Deus ſe locum ipſum impleturum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam vocetur Tophet,& Baal,ſed vocetur Polyandrium .i. tumulus mortuorum, futura ergo ſupplicia,& pęnæ perpetuæ,quibus peccatores cruciandi ſunt, huius loci vocabulo denotantur.] Et in c. 7. Ierem. [Tradunt Hebræi ex hoc loco,ideſt Gehinnom, vel valle filiorũ Ennom appellatã gehennam. Quòd ſcilicet omnis populus Iudęorum ibi perierit offendens Deum. In quo loco etiam filios in igne Idolis cõſecrarint,ſiue holocauſtum obtulerint.] Subſcribit D. Iſidorus, cum ait. [Gehenna eſt locus ignis, & ſulphuris, quem putant ita nominatum a Valle Idolis conſecrata, quę eſt iuxta murum Ieruſalem repleta corporibus mortuorum, ibi enim olim Hebræi filios ſuos immolabant Dæmonijs, & appellatur locus ipſe Gehennom. Futuri ergo ſupplicij locus, vbi peccatores cruciandi ſunt, huius loci vocabulo deſignatur,] Clariùs Cornelius Ian.[Duplici ratione,inquit,factum eſt,vt nomen illius loci Gehinnom acciperetur pro inferno. Primùm quia à Ioſia, & per vltionem Domini à Iudæis ſumptam contaminatus, ſummæ erat deinceps abominationis,in quem cadauera, & quęq; abominanda reijciebantur è Ieruſalem. Secundò, quia eò loci crudeli, & prauiſſima pęna exurebantur infantes. Hoc enim etiam reſpectu factam eſſe nominis tranſlationem ad ſignificanda inferni ſupplicia, hinc patet, quòd Iſaiæ 30. nomen excelſi, nempè Tophet, ad inferni ignem tranſumitur, priuſquàm locus redditus eſſet abominabilis.] Atq; hinc patet non iniuria Gehennâ tartaream domum ſignificatam, licet non ſit certum,an cum eam vocem Chriſtus adhibuit pro inferno, locus ille immundus fuerit, & D.Hieronymi ſeculo,qui omnia eius regionis loca perluſtrauit,vallis amęna eſſet,conſtat enim fœdatam aliquando fuiſſe, & in ea Iudæos igne filios ſuos crudeliter necaſſe.

2. Paral. 28. Ierem. 7. & 32.

D. Iſid. l. 1. 4. Orig. c. 9.

Cornel. Ian. in concor Euang. c. 40.

Gehenna, etsi amœna valis eſſet, iure infernum ſignificat.

Accedit verò etiam meritò declaratum eſſe nomine Gehennæ inferni gurgitem, quòd in ea valle interfecta ſint tot millia hominum, quibus vniuerſi mali ſignificantur,

eorum

eorum cadauera combusta igne, qui exemplar quoddam fuit infernalis incendij, quod animos, & corpora exuret, nec tamen, ut corporibus Assyriorum accidit, rediget in cineres. [Vallis Ennom (inquit Beda) dicitur hebraicè gehennom, cuius nomine in nouo testamento pœna inferorũ gehenna cognominatur, quia nimirum sicut in conualle Ennom, qui Idolis seruierunt in ea prophetis attestantibus perierunt, ita peccatores, ex his, quę peccauerunt æterna dãnatione punientur.]

Beda.l.30.Q. q.27.

Hæ huiusce appellationis sunt causæ. Alij alias adferunt, quas tamen ægrè nomen patitur. Theophilactus Gehennæ uocem inferno datam putat, quod eius pœnę nullum unquàm sint habituræ finem. [Gehenna, inquit, significat perpetuam pęnam, Gehenna enim dicitur à semper nascendo.] Abulensis ex Gręco ethymologiam ducit. [In Græco ait, Gehenna, aut Gehennom dicitur, quod nos infernum appellamus; illud tamen idem græce, quòd terra profunda significat, Ge, enim terra est, Ennom autem profundum.] D. Anselmus uoluit Gehennam idem sonare, ac terrã ignis. *Gehenna* inquit, idest terra ignis nominatur, γῆ enim terrã dicitur, cuius ignis cõparatione, noster ignis umbra dicitur.

Theophil. enar.in c.10. Matt.

Abul. Parad. 5. cap. 96.

Ansel. de Imag. Mun. c.21.

CAP. VIII.

An Gehennæ *vox significet alia animarum receptacula præter damnatorum carcerem. Affirmantium Hebræorum, & Origenis opinio. Contrarium esse probabilius. Data etiam causa cur* Gehenna *Infernum significet, cum prope Ierusalem esset, quæ umbra erat Paradisi.*



HOC porrò *Gehenna* nomen apud multos Hebręorum non uni damnatorum carceri conuenit, pro Sanctorum Patrum, iustorumq; receptaculo usurpatum reperio. *In Midras Tehilim* idest expositione Psalmorum in illud Psal. 48.

Etiam

Primum filij Adam, etiam filij viri, simul vel pariter dives, & pauper. Hęc leguntur, [Hic Adam, est Adam primus, licet alij dicant hunc esse Abraham, qui vocatus est Iosuę 14. cap. Adam magnus in gigantibus. Sequitur, etiam filij viri. Hi sunt filij Noe, qui vir iustus appellatus est. Sunt qui aiunt, hos esse septuaginta gentes, quę omnes descendebant in gehennam. Sequitur, simul vel pariter diues, & pauper. Diues scilicet in lege, & pauper in lege: omnes descendunt in gehennam; etiam si fuerint capita, vel principes, idest Sanhedrin, hoc est iudices ordinarij, quos Moyses ordinauit.]

Hæc ex Petr. Gal. de Cath. verit. l.6.c.7.

Gehennę nomen datum Lymbo Patrũ ab hebr.

Locus similiter ille, in quo animæ detinentur ad præfinitum tempus, expiatorijs pœnis purgandæ appellatus est Gehenna à multis hebręorum. Rabbi Isaac Alfeci scripsit, eos, quorum paria sunt merita, & demerita in Gehennam descēdere, ibiq; expectare donec exeundi tempus adueniat. Ex Doctrinali Hierosolymitano habetur, Discipulos sapientum, ire in Gehennam, ibiq; animas, quasi vestes in feruētis aquæ ollam coniectas purgari, & mundari, tum inde exire. R. Simon Ben Iocai, ait, quosdam mortuorum animos in Gehenna à peccatorum sordibus expurgari. In libro cui titulus Abkat Rokel .i. Puluis odoriferus, extat, igne Gehennæ lauari quosdam, fieri puros, ac mundos. Alij quoque Rabbini in eadem significatione illud nomen adhibent, quos in vnum collectos lector inueniet apud Bartholomæum Valuerdium.

Purgatoriũ ab Hebr. appellatum Gehenna voce.

R. Isaac. Alf. in Tr. Rof. Asan. c. 1.

Doct. Hierof. Tract. Chaguigah.

R. Simon Ben Iocai. in Zoar.

L. Abkat Rokel.

Barth. Val. in allert. ign. Purg. ex Heb.

Origenes etiam, quod fortè omnes pœnas temporaneas censuerit, cum Hebræis Gehennæ nomine exprimi purgatorium voluit, ob idq; affirmat non incongruè Gehennā, quæ pęnarum carcerem sonat, propè Ierusalem constitui, quę cæleste regnum insinuat, quòd animæ pœnis persolutis, igneq; instar auri, & argenti probatis, ac purgatis, ex ea sede extractę, adornaturæ sint supernam Ierusalem. [Inter legendum, ait, obseruauimus in sorte tribus Beniamin censeri gehennam, siue vallem Ennon, vbi erat etiam Ierusalem: cumquè amplius examinaremus, quid ita cęlestis Ierusalem contribuatur Beniamicæ tribui in qua & vallis

Orig. l. 6. cōtra Celsum.

Ennon

Ennom est, inuenimus eum locum pœnarum accipi pro tormentis animæ purgatorij, iuxta illud. Ecce Dominus venit, vt ignis conflans, & herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans tanquam argentum, & aurum, quod bellè quadret circa Ierusalem esse pœnas eorum, qui conflandi venirent, quia non nihil malitiæ in substantiam animæ admiserint, quæ figuratè plumbum dicitur: Vnde apud Zachariam, iniquitas plumbi talento insidet, cuius loci enarratio, nec vulgaris est, nec huic tempori conuenit: ac ne tutum quidem est talia mandare litteris, cum plerisquè non alia sit opus doctrina, quam de peccatorum pęnis.]

Gehennę nomen Inferno tantùm propriè cōuenit.

Ex diuina certè scriptura, aut Sanctis Patribus nullus occurrit locus, vbi Gehenna aliud receptaculum à loco damnatorum, significet, nullus enim dicitur in Gehennam detrudendus, qui non sit dignus æterno igne, cum tamen exploratum sit, multos in aliquibus inferorum promptuarijs detentos, qui, & cęlo digni erant, & eò volarunt. Eius etiam loci conditio, a quo deductum est nomen, omnino suadet, gehennæ vocem, in eam tantùm regionem quadrare, quæ detinendis in sordibus sceleſtis, ijsq; cruciandis igne destinata est.

Neq; verò immeritò ad significandum tantùm damnatorum locum gehennæ nomen acceptum; & si a muris Ierusalem non distaret; nā multi nonnisi cognita gehenna, id est inferni cruciatibus, intrant cęlestem Ierusalem, ac plerunq; timor pęnarū, plures auertit à lato itinere, quod ducit ad barathrum, & reuocat in semitam Paradisi.



C AP.

CAP. IX.

De græca inferni voce ᾅδης. *Hoc nomen non tumulos mortuorum, sed subterraneum animarum carcerem significare.*

DIXIMVS de voce hebraica *Sceol*, atq; de nomine *Gehennæ*, causamq; dedimus, cur eo infernus sit appellatus. Sequitur, vt agamus de græca voce ᾅδης, quæ pari conatu ac *Sceol* ab hæreticis adulteratur, atq; ad sepulchra deducitur, cũ tamen non modò septuaginta duobus Interpretibus familiaris sit, ad terram miseriarum explicandam, sed etiam Apostolis, & Euangelistis, qui Sacrosancta oracula græcè dederunt, ac non nisi diuino afflatu, ac Spiritu sancto dictante, ijs vocibus vsi sunt, ex quibus diuina volumina conflantur.

Theodorus igitur Beza impius ille, quem sequuntur malè de Inferno sentientes, vocem ᾅδην, à gehenna, quam verè significat, traxit ad locum, vbi cadauera computrescunt, eóq; venit impietatis, vt, blansphemus omninò in Redemptorem nostrum, locum Psalmi, qui de beatissima illius anima ad inferiores terræ partes descendente intelligendus est, de cadauere, ac sepulchro accipiat, scilicet vocem *anima* ad cadauer, vocem verò ᾅδου, hoc est *inferni* ad sepulchrum deducendo, sic enim eum vertit, *Non derelinques cadauer meum in sepulchro*, Loco eorum verborum, quæ in vulgata editione legimus. *Non derelinques animam meam in inferno*. Psal. 15. *Nõ derelinques* &c. Lege Franc. Feu. Theom. Cal. l. 14. c. 1.

Huius, & aliorum etiam hæreticorum impietatem, & imperitiam satis aperiunt, & refellunt Clemens Alexandr. Origenes, D. Chrysostomus, Hieronymus, & Basilius, quibus cum impurum Bezæ caput, nec auctoritate, nec linguæ græcę peritia, nec sacræ, humanæq; philosophiæ notitia, potest cõparari. Hi quoties gręcam vocem ᾅδης, vel vsurpant, vel interpretantur, toties eâ subterraneum, non cadauerum, sed animarum locum, exprimunt, aut quem petebant sanctorum Clem. Al. l. 5. str. Orig. ho. 9. in Ier. & 22. in Psal. 36. Chrys. hom. de diuite. Hier. & Basil. in Psal. 15.


animi ianua Paradisi adhuc non aperta, aut quem velint, nolint adeunt fontes, vbi excesserunt è viuis; confirmat hanc veritatem Andreas Cæsariensis, qui in c. 20. Apoc. circa vocem ᾅδην, inquit, ᾅδην, seu infernum esse locum inuisum, obscurum, incognitum, continentem animas ibidem vinctas. Immò Henricus Stefanus, Bezæ valdè amicus, dum in suo linguæ Græcę Thesauro agit de nomine ᾅδου non paucos auctores gręcos refert, qui ea voce significarunt inferni locum, neminem, qui tumulos mortuorum. Lucianus, cui Beza impietatis nexu est affinis, ᾅδην pro loco tormentorum accipit, definitq; esse subterraneam quandam cauernam, vastissimam amplissimam, profundissimam, & densissimarum tenebrarum, vbi impiorum animæ detinentur, & cruciantur non vno suppliciorum genere. Homerus, Plato, Xenophon, Demosthenes, Plutarchus, semper illud nomen in eadem significatione vsurparunt, gnari sepulchrũ voce τάφου declarari, qua de causa etiam inscriptiones, quæ oti sepulchrorum affiguntur, Epitaphia vocantur, infernum verò voce ᾅδου. Quòd dissimulare non potuit Beza, vt potè non imperitus linguæ gręcę, scribit enim Annotat. in cap. 2. Actorum. [Græci interpretes ᾅδην conuertunt, quasi locum tenebricosum: cùm hoc vocabulo græci poetæ soleant significare, quos Latini vocant inferos.] Atq; hac de causa, vt notauit Franciscus Feuardentius, coactus est multis in locis noui Testamenti, vocem ᾅδην pro inferno, animarum loco interpretari.

And. Cæsar.

Henr. Steph.

Luc. in Dial. de luctu.

Feuar. supra.



CAP.

CAP. X.

Cur infernus appellatus sit voce ᾅδου, an quòd eum primus Adam adierit; an quòd ibi nihil adsit suauitatis, sed perpetua quadam, & tenebricosa caligo.

SED demus causam, cur infernus illud nomen acceperit; Cùm Sibyllina oracula tractarē manibus (censent aliqui, ea, vt extant octo libris cōprehensa inter monumenta Orthodoxographa Patrum, ac à Ioanne Opsopæo edita, multa continere dubia, & apochrypha, præter ea, quæ habent antiquorum Patrum testimonia, vt notauit Antonius Posseuinus) incidi in quædam carmina Libri primi, quæ innuunt ea voce infernum dictum à παρὰ τοῦ Ἀδὰμ, quòd videlicet Adam primus omnium eò descenderit, postquàm consummato præsentis vitę curriculo telluri mandatus fuit. Eius libri carmina hæc sunt. Ant. Pos. in Ap. Sac. v. Sybill.

Graijs nomine dictus Sybill. orac. l. 1.
Est ᾅδης, quòd eò primus descenderit Adam
Vitâ defunctus, quando est tellure repostus
Hinc homines quot quot fuerint telluris alumni
Infernas Orci sedes dicuntur adire.

Subtile inuentum, at non satis Scripturę consonum, nō enim Adam primus infernas sedes petijt, nam eo viuente iustus Abel ab inuido Cain occisus est, illeq; primus infernum petijt, hoc est eam inferni partem, quæ Lymbus Sanctorum Patrum appellatur.

Dicitur ergo ᾅδης, vt ait Augustinus, quod ibi omnia sint tristia, & molesta. [In græca, inquit, lingua, origo nominis, quo appellātur inferi, ex eo quòd nihil suaue habeant, resonare perhibetur;] Quòd adnotauit & Diuus Isidorus. Aug. l. 12. de Gen. ad L. c. 34. Isid. l. 14. Orig. c. 9.

Alij dicunt Infernum dici ἀδὴν, quasi luce carentem, & illætabilem, ita vt sit αἰδὴς ex α priuatiuo, & ἰδῶ, seu ex ἰδεῖν aoristo secundo verbi ἰδῶ. Augustinus demum Eugubinus, ait nomen ἀδὴν conuenire inferno, quòd ea voce exprimatur informis quidam, turpissimusq; locus, fędissimorum incolarum fędissima regio.

Aug. Eugub. in Psal. 138.

CAP. XI.

De Latina Inferni *voce. An* Inferni *vocabulum conueniat tantùm receptaculo damnatorum, an verò alijs etiam subterraneis animarum locis. Augustini sententia, in diuinis litteris, accipi tantùm pro Satanico regno.*



INFERNI nomen opacæ Dęmonum aulæ, ac certæ animarum sedi conuenire, satis, opinor, & communis vocis vsus declarat, & multæ sacræ paginæ testimonia, quę iam recensuimus, apertè adeò conuincunt, vt non sit opus immorari. Num verò illud nomen semper odiosum sit, ac nunquam non significet malorum carcerem, incertum videtur.

D. Augustinus visus est aliquādo opinari, in diuinis litteris nomine inferni semper pœnalem locum significari, qua de causa alicubi dubitauit, num Abrahæ Sinus, in quo iusti quiescebant, ad inferos pertineret. [Non facilè, inquit Augustinus, alicubi scripturarum, inferorum nomen positum inuenitur in bono.] Et alibi. [Illud me nondum inuenisse confiteor, inferos appellatos, vbi iustorum animæ requiescunt.] Et paulò post. [Nondum inueni, & adhuc quęro, nec mihi occurrit, inferos alicubi in bono posuisse scripturā duntaxat canonicam.]

Aug. ad Dar. Ep. 57.

12. de gen. ad L. c. 33.

Vulgatum tamen est inter doctores *Inferni* nomen,

propria

propria vi, ac diuinæ ſcripturæ vſu, alijs quoq; animarum ſubterraneis ſedibus conuenire, ſcilicet Purgatorio, ac Lymbo Patrum, vt enim, non modò Sanctorum domicilium, appellamus Cœlum, ſed etiam reliquos orbes, Solis, Lunæ, Planetarum, immò & aerem, Chriſti teſtimonio dicentis *Volucres cæli*, hoc eſt aeris, ſic inferiora quæque loca, quæ animas poſt mortem recipiunt, inferni nomine commodè explicantur. Sacra oracula, multa dāt teſtimonia in quibus *inferni* vox reliquis animarum receptaculis tribuitur. Quoad Lymbum Patrum attinet, duo inter cętera clariſsima ſunt. Alterum eſt Geneſ. 37. Vbi Iacob triſti, obitus amati filij Ioſeph, accepto nuncio, dixit. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*; quod cum accipi non poſſit de ſepulchro, exiſtimabat enim eum à peſſima fera deuoratum, nec de pœnali aliquo carcere, nam tale quid ſuſpicari, nec probitas morum Ioſeph permittebat, nec ardentiſsimus patris in eum amor reliquum eſt, vt inferni voce, ea inferorum pars ſignificetur, quam occluſâ cæleſtis regni portâ, adibant eo tempore iuſti. Alterū teſtimonium eſt illud Pſal. 15. [*Non derelinques animam meam in inferno*. Quo loci diuinus Pſaltes de Chriſto loquitur, cuius beatiſſima anima triduo mortis infernum adijt, locum ſcilicet, in quo Sancti Patres quieſcebant, vt eos indè extraheret.

Matt. 13. | Geneſ. 37. | Pſal. 15.

Purgatorium verò non vno loco diuinæ litteræ inferni voce exprimunt. In Libris Regum. *Dominus mortificat, & viuificat deducit ad inferos, & reducit*. Quod Hebræorum plurimi accipiunt de ſubterranea ſede, quò deducuntur quædam animæ egreſſę corporibus, vt ibi ad certum tempus pęnas luant, donec Diuinæ iuſtitiæ ſatisfactum ſit, indeq; à Deo in cęleſte domicilium transferantur. Rabbi Iſaac Alfeci in Tractatu, quem appellat Ros Haſanah cap. 1. ſcribit [Tria hominum genera ſiſtuntur in iudicio perfectè iuſti, omnino impij, & mediam ſortem tenentes. Primi ad vitam futuri ſęculi ſcribuntur, & obſignantur. Secundi perinde ad Gehennam. Medij, quorum paria ſunt merita, & demerita, deſcendunt in gehennam, ibiq; expectantes clamant,

1. Reg. 2. | Rabi Iſaac.

mant,& ascendunt,quemadmodum scriptum est. *Dominus*
Psal. 15. *deducit ad inferos,& reducit*. Igitur hîc infernus idem est,ac receptaculum illud,quod adeunt extincto corpore quędam animæ,inde aliquando egressuræ, mediæ inter puras omnino, illicò dignas ęternis præmijs, atq; impuras, ac flagitiosas,sempiternis incendijs puniendas. In Psal. item 48. cum
Psal. 48. Dauid inquit. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni*; Inferni vox damnatorum locum non significat multorum sententiâ, quòd exploratum haberet Dauid in inferno nullam esse redemptionem. Intelligenda ergò est, aut de loco vbi dantur expiatoriæ pœnę, à quo se redemptũ iri confidebat, si eò aliquando deuenisset,aut de Sinu Abrahæ, vnde, Christo eò descendente,egressurum se non dubitabat,vt volaret in cœlum,sicut multi Patres exponunt. Alia
Fran. Feu. l. 11. Theor. Cal.c.16.& c. loca si lector velit,adeat Franciscum Feuardentium lib. 11. Theom. Caluin. vbi & auctoritates,& interpretes non deerunt.

Quanquàm verò nullus mihi locus occurrat, quo *Inferni* vox in sacris musis receptaculum paruulorum sine cœlesti lauacro decedentium significet, illi tamen hoc nomen cõuenire sat patet,cum sub terra lateat, ac Sinus Abrahæ eo superior,eodem verbo appelletur. Doctores verò sacri adeò frequenter Inferni nomen pro cæteris receptaculis vsurpant,vt inane sit hîc auctoritates seligere. Nunquam .n. non docuerunt, animas etiam iustorum antè Christi Saluatoris nostri in cœlum ascensum, in infernum iuisse, eiusdem Christi animam, infernum petijsse, ac inde eduxisse San-
D.Hier.epist. ad Paul. sup. obitu Blesil. filiæ. ctos Patres. Vnum adscribam Diui Hieronymi testimonium, qui epistola ad Paulam, inquit Abrahamum, licet in loco refrigerij esset,fuisse tamen apud inferos. Epistola ad
Hier. Epist. ad Dar. de Terra emiss. all. intell. In c.13.Ose. In c. 10. Zach. Dardanum ait, Abraham, licet diuersis locis cum Lazaro, videtur apud inferos,& Iacob vir iustus dicit, lugens, & gemens descendam in infernum. In Oseam, statuit infernum esse locum, in quo animę recluduntur, siuè in refrigerio,siuè in pęnis, demum in Zachariam,nomine Inferni Lymbum Patrum complectitur, & damnatorum carcerem.

Diuo

Diuo etiam Augustino non displicuit *Inferni* nomine Lymbum Sanctorum Patrum, aliaq; receptacula nuncupare. De Ciuitate Dei haud putat absurdum, antiquos Patres ad inferorum loca, quanquàm non pœnalia descendisse; Ac in Psalmum 80. Apud inferos duo distinguit receptacula, alterum inferius, quo truduntur impij, qui plurimùm peccauerunt; Alterum superius, vbi Patres degebant. Ijs igitur in locis, in quibus oppositum insinuauit, sub dubitatione quadam locutus est, quod ne gratis videar affirmare, subscribo eius verba Libro primo quæstionum super Genesim. [Solet, ait, esse magna quæstio, quo modo intelligatur infernus, vtrum illuc mali tantùm, an etiam boni mortui descendere soleant.] Quod fermè repetit q. 142.

August. de C. D. c. 15.


Aug. l. 1. q super Gen. qu. 126.

Animaduertendum tamen, hodie distinctè explicata vniscuiusq; receptaculi conditione, & naturâ, loquendi vsum obtinuisse, vt inferni nomine, Gehenna malorum ferè explicetur, in quam sententiam D. Chrysostomus de Inferni voce inquit. [Hoc pœnæ, hoc supplicij, hoc summi exitij nomen est.]

D. Chrysost. hom. in Psal. 48.

CAP. XII.

Cur damnatorum locus appellatus sit infernus. *Sic dictum, aut quod infrà sit, aut quod eò ferantur animæ.*



NOMEN ipsum *Inferni* satis explicat causam suę appellationis, Est enim sic dictus, eo quòd infrà sit ex D. Isidoro. [Infernus, inquit, appellatur, eo quod infra sit, sicut autem secũdũ corpus, si ponderis sui ordinē teneant, inferiora sunt omnia grauiora, ita secundùm spiritum, inferiora sunt omnia tristiora;] quæ uerba accepit a B. Augustino. D. etiam Anselmus in eandem sententiam. [Infernus, ait, ideò dicitur, quia

D. Isid. l. 14. Orig. c. 9.

Aug. de G. ad L. l. 12. c. 34.

Anf. de Imag. Mund. c. 12. quia inferiùs est positus, sicut enim terra est in medio aere, ita est infernus in medio terræ, vndè & nouissima terra dicitur.]

Nonnullis Philosophis placuit, illud nomen accepisse, quòd animę, vbi corpus dereliquerunt, hinc eò ferātur. [Philosophi autem, inquit Isidorus, dicunt quòd inferi pro eo dicuntur, quòd animæ illuc ferantur.] Quòd & placuit Aurelio Cassiodoro.

D. Isid. supra.
Cassiodor. in Psal. 9.

Licet autem, vti dictum est, omnibus subterraneis animarum sedibus inferni vox conueniat, quòd omnes lateant sub terra, ac quædam animæ eò ferantur, anthonomasticè tamen tartareus carcer, locus omnium profundissimus, inferni nomine notatur.

CAP. XIII.

De alijs inferni appellationibus. Multis nominibus, præter enarrata, in diuinis oraculis Gehennam exprimi. Præcipua recensentur, eorumq; ratio datur.



ACCEDVNT ad ea, de quibus diximus, Inferni nomina, nonnulla prætereà, quæ in sacris litteris miserrimum illū carcerem describunt. Petrus Galatinus sequutus Rab. Iehosuā filium Leui, septē ex veteri Scriptura decerpsit. *Seeol*, idest infernus, de qua voce iam dictum. *Auadon*, idest perditio, *Bor sahat*, idest puteus, vel lacus corruptionis. *Bir Seon* idest puteus tumultus, vel mugitus. *Tit hayauen*, idest lutum fecis. *Zal maueth*, idest vmbra mortis, Et *Erez tachtith*, idest terra contritionis, vel pauoris, vel terra inferior. Quę quidem nomina sigillatim satis declarant, data esse inferno ob eius loci miseriam, & extremam incolarum calamitatem.

Lege Pet. Galat. l. 6. de ar. Cath. ver. c. 7.

Iudic. 1.
Isid. l. 4. Orig. c. 9.

His alia adiunguntur *Barathri* ob immensam eius capacitatem, & profunditatem. [Baratrum enim, inquit Isidorus,

dorus, nimiæ altitudinis nomen eſt, & dictum Barathrum, quaſi vorago atra, ſcilicet à profunditate. *Loci Silentum*; Vbi enim in communi Pſal. traductione legitur. *Non mortui laudabunt, te Domine, neq; omnes, qui deſcendunt in infernum*. In textu hebraico legitur in *Dumath*, quod interpretatur *Silentium*; quòd in inferno omnes ſileant à diuinis laudibus, conſortio creaturarum priuati, quæ à pueris in fornace exiſtentibus, & à Propheta ad laudandum Deum opificem ſuum inuitantur. *Terra* Iob. 10. quia ſuſceptos ſtabiliter tenet, vt ait D. Gregorius. *Terra tenebroſa* ob fumum, & nebulam, fœtoris ex Anſel. *Terra operta mortis caligine*. Quòd morientium anguſtijs ibi præmantur mali, nec tamen moriantur. *Camini ignis*, ob immortalia, quę ibi continuò vigent incendia, in tormentum malorum. *Tartari*, vel quia illic omnia turbata ſunt, vel à timore frigoris. Apoc. 19. *Torcularis*, quòd in tetro illo carcere, veluti in quodam torculari, infinita damnatorum multitudo commiſcebitur, & à diabolis promiſcuè comprimetur, conteretur, ac miſerum in modum cruciabitur. *Stagnum ignis*. Apoc. 19. Quia vt lapis mari, ità animæ illuc immerguntur, vt ait Anſel. Quòd demum nullus ibi ſit voluptati locus, ſed omnia mortem, pœnas mœrorem, miſeriaſquè ſonent, infernus ſignificatur aliquando nomine *Carceris*; Coercebuntur enim in eo ſontes, & veluti compedibus detinebuntur, in fœtore, tenebris, vermibus, omniquè cruciatuum genere. Verùm in nominibus inferni ſatis iam ſumus commorati, ad rem accedendum.

Pſal. 113.
Franc. Geor. Ven. 3. de Orac. Proph. Sec. 7. c. 33. 4.
Greg. libr. 9. mor. c. 38.
Anſ. de imag. Mun. c. 21.
Matt. 13.
2. Pet. 2.
Apoc. 19.
Anſel. ſup.
Apoc. 20.



CAP. XIV.

Sit ne Infernus. Recensentur multi, qui negarunt post mortem superesse malis tormentorum locum. Irrisos olim fuisse Christianos, quòd de Gehenna dissererent.



SEQVITVR ergo, vt videamus, núm id reapse existat, quod nomini respondet. Res hic nobis est cum hæreticis, Catholicorum nullus dubitauit, quin gehēna esset. Hæretici ipsi, exceptis paucis, non erubescunt profiteri, amplecti se hanc de inferno ueritatem, cum tamen, quoduis potiùs credant, quàm infernum. Reperi paucos, qui verbis gehennam negarint, plurimos, qui sententijs.

Heretici Infer. negātes.

Epicurus hæreticorum, ac impietatis magister, quæ de tristi animarum carcere dicuntur, Poetarum esse figmenta putauit, & inferorum pœnas, quæ feruntur, in hac vita interpretatus est, vt Lactantius scripsit. Heracleon etiam hęreticus interire animos censuit, nec vllam eis superesse gehennam. Albigenses resurrectionem corporum negabant, Paradisum pariter, & infernum tollebant, cum in se Paradisum habere affirmantes, qui Dei cognitionę præditus esset: eum verò, qui mortale peccatum patrasset, in se infernum habere, tanquàm dentem putidum in ore. Idemq; Almaricus aiebat. Seleuciani, & Hermiani prædicabant nullum extare infernum præter hunc mundum, de qua hæresi Diuus Irenęus. Superiori seculo, quod hęreticorum copia infelix fuit, quotquot aduersus Catholicam veritatem senserunt, tot putarunt infernum quidem esse, sed huiusmodi eum pingebant coloribus, vt declararent apertè, nullum se, pœnis post mortem locum superesse, omnino existimare. Lutherus impurus ille homo, luto fœdiora verba, potius conculcanda pedibus,

Epicurus ex Lact. Firm. l. 7. de Diuino præm. c. 7.

Heracleon.

Albigēses ex Cæs. Heist. l. 5. Mir. c. 22.

Seleuciani, & Hermiani ex D. Iræn. de Hæres.

Lutherus.

pedibus, quàm sententijs impugnanda, de inferis protulit, [Quid, inquit infernus sit, ante diem extremum nundum certus sum. Nam esse peculiarem locum, vbi nunc sint animę damnatorum, id nihil est, mea quidem sententia.] Hæc Lutherus, quę Christophorus Ienęus eius discipulus, vt refert Feuardentius, hac notâ illustrauit digna magistro, digna discipulo. *Nullum esse credendum infernum.* Hinc per summam impietatem aiebat Lutherus, infernum, de quo Ecclesia Catholica, ac Sancti Patres eius alumni loquuntur, esse merum somnium, ac humanum Papæ figmentum. Caluinus, & Beza irriserunt ea, quæ nostri de inferis tradunt, consuerũtq; , vt sequẽtibus cap. intelligetur, eos esse, aut cõsciẽtiæ remorsum, eamq; solummodò pœnã, quàm peccata se se irrogant, aut destitutionem diuini auxilij, aut peccatorem ipsũ, aut quid simile, vt tandem recẽtâ voce, nullum te infernum esse, concluderent. Quod Conradus Schlusselburgius Lutheranę sectæ minister de Caluinianis omnibus Heidelbergensibus, & nominatim Bucero, refert in hæc verba. [Catechismus Heidelbergensium vocat in dubium, an vllus sit re vera infernus, & locus destinatus, in quo impij, & damnati post hanc vitam, vnâ cum malis spiritibus æternis pęnis affici debent, & hoc palàm præceptor eorum Bucerus in Commentarijs super Ioannis Euangelium affirmat.] Deniq, sine ambagibus conclud t. [Hinc videre est, quòd Bucerus nullum esse infernum credat.] Et paulo post.] Hic videmus, legimus, & audimus Cinglianorum patronum Bucerum audacter negare inferaum esse.] Ex quibus non obscurè colligitur, hæreticos omnes, quamuis varijs verborum anfractibus contendant quendam infernum fingere, in eius tamen destructionem conspirare. Hinc occinebat Theodorus Beza suis scholasticis.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas:
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.

Eadem cantilenâ placuit alijs Geneuę, ut Petrus Viretus refert. Hermanus etiam Rissuich Bezæ consilium lubentissimè

Fran. Feu in Theom. Cal. l.14.c.4.

Caluinus, & Beza ex Feuar. vbi sup.

Conr. Schlus. l. Theol. Caluin. ar. 17. ex Fran. Feu. l. 14. Theom. Cal. c. 4. n. 4.

Bucerus.

Virg. 2. Geor.

Petr. Vir. l. 2. de minister. ver.

Herman. Ris.

amplexus est. Eandẽ .n. esse aiebat, animæ, ac corporis cõditionẽ, atq; vt anima incipit cum corpore viuere, sic eo pereunte mori, vanamq; reputabat eorum sententiam, qui infernum, aut Paradisum superesse post mortem existimabant.

Nec verò, quanquam id non multis, ab hinc annis fecerint hæretici, nouum est, quosdam veritatis hostes negare, ridere, & irridere inferos, vix nata veritate Christo Domino, similis grassabatur pestis; Tertulliani æuo, qui tertio ad ducentesimum anno Christi nati summa cum laude floruit, ridebantur, iudicium, & Gehennam prędicantes, quòd & poetæ, & philosophi quidam non absimilia scripserint, qua de re conqueritur Tertullianus, quòd ea philosophi ipsi, & poetæ à nostris acceperint. [Ridemur, inquit, Deum prędicantes iudicaturum, sic enim, & poetæ, & philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur. Sic enim & Pyriphlegeton amnis apud mortuos est;] Et paulò post. [Vnde hæc (oro vos) philosophis, aut poetis tam consimilia? Nonnisi de nostris Sacramentis. Si de nostris Sacramentis, vt de prioribus. Ergo fideliora sunt nostra, magisq; credenda, quorum imagines quoq; fidem inuenerunt.]

Tertull. in Apoll. c. 47.

Arnobius vetustissimus scriptor eiusdem seculi, quanquam aliquibus post Tertullianum annis, nempè circa ducẽtesimum octuagesimum quintum, simili de causa lamentatur: [Audetis, ait, ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deijci ab earum hostibus, inimicisq; cognouimus?]

Arnob. lib. 2. cont. Gen.

Lucianus Dei fere nescius, ac pari impietate, & antiquitate author, à quo iã memorati hęretici lac venenatũ videntur hausisse, multa scripsit quidem ex Platone, & poetis excerpta de Inferorum locis, iudicijs, querelis, & pœnis, at ironice potiùs, quàm serio loquebatur, Epicureus enim fuit, & de immortalitate animæ impiè sensit, tametsi alias ea præcepta tradat de præsentis vitæ rebus, & actionibus, quæ illum haud dubiè de futura quoq; nonnihil cognouisse confirmare,

Lucian Inferos irridet.

firmare possint licet difficilè discernatur, num ibi non ludat more suo. Hic igitur in Dialogo, cui titulus est Iupiter cōfutatus. Optare se id vnum ait, vt præsens vita delicijs affluat, cęterùm nihili facere, quòd futura quibuslibet premantur angustijs. [An ignoras, ait, (verba sunt Iouis) Cynisse, quanta supplicia, & cruciatus post hanc uitam prauos; & sceleratos homines manere soleant, aut in quanta fęlicitate victuri sint boni? Cynis. Orcum mihi narras, & Tityos, & Tantalos. Ego vero, si quid talium rerum est haud obscurè cognoscam, vbi fato functus ero. Quantùm aut ad præsens attinet, vel in, vt quantumcunq; hoc temporis mihi in viuis exigēdum est, ego intereà omni fęlicitate perfunctus, tandem mortuus à sexdecim vulturibus iecur meum depascatur: verùm non vt hic in uitā siti prę̨ssus, quemadmodum fertur Tantalus, in beatorum insulis cum heroibus biberem in Elisio prato constitutus.] Ac in Dialogo de Luctu impiè ludendo, ait nescire se, qui nonnulli tanto illustrentur lumine, ut cognoscant Tartarum esse, qui tenebricosus locus censetur: Hęc Luciani uerba. [Vulgi quidem multitudo, quæ sapientes isti uocant Idiotas, Homero, Hesiodo reliquisq; fabularum authoribus, super his fidem habentes, & illorum poesim pro lege ducentes, locum quendam subter terram profundum esse putant, quem Tartarum vocant. Eum existimant magnum, & speciosum esse, caliginosum, atq; opacum, qui tamen istis haud scio, quo pacto illustrari uidetur, quo singula, quę illic sunt introspiciant.] Hęc Lucianus expers omnino eius lucis, quæ veritatem patefacit.

Lucian. in Dial. Iupiter.

Lucian. in Dial. de Luctu.

CAP. XV.

Certò dari post mortem locum vbi scelera puniantur, vnico argumento conuincitur.



VC usquè uenit quorundam hominum impietas, in qua refellenda, ac detegēda haud multis vtar, uniuersum .n. hoc opus, quòd sumus aggressi abundè probabit inter meridianā lucem cecutire, qui infernum negant, docente eo lumine,

mine,quo,naturâ,mortalium quisq; præditus est, nullum esse iustitię locum,proptereaq; nullũ Deũ,ni impunitis sceleribus aliquando puniendis,sit locus. Sanè Deum esse,& gentiles, qui philosophorum nomine non indigni habiti sunt, perspectum habuerunt naturali luce. Deus hic prouidentissimus omnino esse debet, ac iustissimus, proptereàq; curare, ut cuncta ritè,ac nõ sine quodam ordine eueniât, respondeatq; uirtuti præmium, uitio supplicium, alioqui non esset Deus. Cùm itaq; pręsens uita militia quędã sit, perpetuumq; bellũ, hominibus .n.continuò decertandũ cum ijs hostibus,(omitto dæmones)qui frequenter obsident animum, uitijs inquam, illecebris corporis, quibuslibet demum inhonestis uoluptatibus,quæ cęlestẽ hominis partem deturpant, necesse est cogitare,eundem Deum, quem naturaliter cognoscis, ueluti iustum,ac supremũ regem,nõ fraudare debitis coronis eos, qui strenuè usq; ad belli exitum decertant, fugant hostes, atq; gloriosam de ijs uictoriam reportant, illos uerò,qui lubentes, ac uolentes se se turpiter hosti dedunt, affici ab eodem Deo supplicijs, mulctari carceribus. Atquè hæc quidem seu præmia,seu supplicia in hoc seculo minimè dari, ambigi non potest,ubi uideas plerunq; eos,qui uiriliter pugnarũt in summis uersari miserijs,& calamitatibus,ignauos, & desides sũmo in honore haberi,uiuere felices,conculcari uirtutẽ,extolli vitia, bonis demũ malè, malis benè euenire. Aut ergo tolle diuinã prouidentiã,& iustitiã,eaq; de causa Deum,aut fatere post præsentem uitam,superesse aliam,ubi bonis benè, malis malè eueniat. [Nec .n. fas est,(ait Tertullianus)aut eum,qui sceleratus in uita feliciter fuerit,effugere quod meretur,aut eum, qui ob iustitiam miserrimus fuerit,sua mercede fraudari.] Demetrius Cydonius. [Si Deus bonus est, ait,necesse est uiris bonis coronas, ac improbis supplicia pręparata esse, quæ nisi hic luant, necesse est, ea illis post obitum reseruari.] Vbi autem digna sceleribus supplicia post hanc uitam persoluuntur, ibi infernus. Optimum sanè ad probandum argumentum, cuius uim agnoscunt quicunq; se homines profitentur. D. Ioannes Chrysostomus, aurea illa oratione,

Aut gehenna est, aut Deus non est.

Tertull.l.3.de fals.sapien.

Demet. Cyd. De contemnmor.

Chrys. hom. 47. ad popul. Antioch.

hoc

hoc argumento refellebat negantes gehennam. [Si quis, inquit, futurum non credit iudicium (adde & esse gehēnam), quæ sunt hic videat, in vinculis positos, in metallis, in stercoribus, dæmonibus obsessos, errantes, incurabilibus laborātes morbis, cum continua certantes paupertate, in fame viuentes, irreparabilibus consternatos luctibus, in captiuitate positos: Non enim hi nunc passi essent, nisi & omnes alios, qui talia peccarunt, vltio maneret, atq; supplicium. Si verò reliqui nihil hic passi sunt, hoc ipsum ergo te signum oportet facere, quòd omnino sit aliquid post nostrum hinc obitum. Non enim cum sit omnium idem Deus, hos quidem punisset, hos autem dimisisset impunitos, cum eadem admiserint, vel grauiora, nisi quam eis vltionem illic esset illaturus.] Hinc non modo ex peccatis, quæ Deus hic non vlciscitur, sed ex pœnis quas in hoc mundo iustè sceleftis irrogat prudens quisq; conijciet, esse post mortem pęnarū locum. [Non omnes hic Deus exigit pęnas, ait idem Chrysostomus, sed ex omnibus quosdam, nec illic omnes: sed hunc quidem hic, hunc autem illic: vt & multùm insensatos, per eos quos punit excitet, & faciat, vt expectent futura, per eos quos non castigat. An non vides, hic quosdam puniri, sicut turri oppressos, sicut illos quorum cruorem Pilatus commiscuit, ut qui præmatura morte apud Corinthios rapei sunt, eo quòd indignè misteriorum se fecissent participes: sicut Pharaonem, sicut Iudæos à Barbaris iugulatos, sicut alios multos, & tunc, & nunc, & semper? Et alij verò postquam multùm peccauerunt abire nullā hic dantes pœnam: sicut diues Lazari, sicut alij multi. Hęc autem facit, tum futura non credentes excitans, tum credentes, & segnes faciens alacriores. Deus enim iudex iustus, fortis, & patiens, nec iram inducens per singulos dies. Si uerò patientia nos abutamur, erit tempus, cū nec breue quid iam sustinebit, sed statim inferet ultionem.] Hæc Chrisost. Si peccata hîc Deus castigat, iustus igitur est, nec abibunt sine pœna, quęuis scelera maneant post mortē. Si quędā nō punit, locus aliquando iustitiæ, & ultioni futurus est, al ter neq; pro meritis, ac strenuè gestis, coronæ superessent. Si enim

Chrys. hom. 49. ad Popul. Antioch.

udicium

iudicium non est futurum, arguit idem Chrysostomus, neq; pro malis actibus supplicia soluemus, sequitur, ut neque pro sanctis laboribus præmia capessamus.]

Chrys. hom. 13 in cap. 4. Matt.

Sed ait Epicureus homo: Esse quidem Deum, ac rebus omnibus prouidentissimè consulere, licet nullus post mortem infernus detur, vbi persoluantur pęnæ, inordinatus enim animus satis sibi pœna est, vitia namq;, & peccata natura suâ continuò torquent animũ, eũq; corrodunt. Præterquamquòd, etsi nulla esset extincto corpore, pœnarum sedes, adhuc scelera non abirent inulta; quoties enim in hac vita Deus de peccatis vindictam sumpsit? quoties permisit, hîc in summis versari calamitatibus scelestos, & impuros homines?

Sanè aliqua pęna est naturâ suâ peccatũ, animiq; inordinatio, ijs maximè, qui conscientiæ stimulos sentiunt. At quid hic doloris ex vitijs percipiunt illi, qui in vitijs exultant, eisq; iam obduxerunt callum, ac animus iustæ molestię mortuus est, quam scelera secum ferunt? Post mortem ergo hæc peccatorum pœna, alijs tamen iuncta supplicijs, cruciabit.

Quòd verò quidam hominum scelestissimi adhuc viuentes à Deo puniantur, non est inficiandũ, post mortẽ esse supplicijs locũ. Quos punit in hoc mundo Deus mitissimè punit, & alij supersunt, quos hic non punit. Pertinet ad diuinę prouidentiæ ordinem, in hac vita aliquos punire, aliquos non punire. Punit hic Deus aliquos, ne putes eiusdem Dei prouidentiam, hæc quoq; inferiora non respicere, ac dissimulare peccata; Non punit omnes, ne putes, nullum post mortem superesse supplicijs locum, si vniuersa hic flagitia plectantur. Audi Chrysost. [Neq; ab omnibus hic Deus exigit vltionẽ, ne resurrectionem vtiq; desperando, iudicium quoq; desperes futurum, quasi omnium, iam hic supplicijs persolutis. Nec tamen omnes sinit impunè transire; ne cuncta prorsus absq; vlla esse prouidentia suspiceris: Sed & non punit, & punit: propter ea quidem, quæ punit, ostendens, ibi ab eis, qui hic immunes supplicijs fuerint, exacturum se esse rationem, propter ea verò, quæ non punit, sperare nos faciens, esse terribile

Chrys. hom. 13. in cap. 7. Matt.

protsus

prorsus post ista iudicium.] In quo quidem iudicio Diuinæ iustitiæ satisfiet, nec aliqui tantum punientur, aliqui relinquentur inulti, vt hic euenit, sed omnes, qui deliquerunt punientur, vt iustitiæ ordo seruetur.

CAP. XVI.

Cur omnes ferè hæretici Catholicam de inferno veritatem in dubium reuocent. Duplex assignata causa. Quòd nollent puniri scelera; Quòd vellent liberum sibi, alijsq; patere peccandi campum.



CVM verò aperta adeo sint argumenta, quæ suadent concedendum esse supplicij carcerem, vbi praui animi à corpore discesserunt: mirum mihi semper visum est, cur hæretici ferè omnes, aut infernum negent, aut ita explicent, vt eius pœnæ, & exiguum molestiæ secum ferant, & omninò nõ multi faciendę sint. Nam cum homines sint ratione, menteq; præditi, qui fieri potest, vt adeò obtenebrati sint, & obcęcati, quin intelligant ratione duce, & rem monstrante luce, quam Deus ipse disseminauit in terris, aut in Deo nihil esse prouidentiæ, & consilij, aut post mortem, ea nostri parte superstite, quâ homines sumus, dari pœnis, ac supplicijs locum?

Sed rem meditanti occurrit, moris esse flagitiosissimorum hominum, cõnscientiâ meritorum, optare inultas esse culpas, peccatis non manere supplicia; malunt enim non esse post mortem pœnis locum, quàm esse sibi; quamobrem non absimile verò est, multos prædicare, non dari inferos, quòd id potiùs optent, quàm credant. Gregorius Nazianzenus. Ex Arnob. li. 3.C.G.

Cuncta mali hæc rideant, & amant præsentia tantum; Naz. Carm. de hum. nat.
Nec curat pœnas gens scelerata graues.

Accedit alia causa ei non absimilis, qua Lactantius Firmianus vtitur, dum quærit, quamobrem mali tãtopere iustos Lact. Fir. l. 5. de Iust.

ſapientiſſimus ille intellexit, qui ſcriptum reliquit in ſuis oraculis, adeò cordi eſſe præſentis vitę delicias ijs, qui nullā haberi poſt mortem benè, maleuè factorum rationē putant, vt ſe mutuis hortationibus ad huius ſæculi commoda inuitent. Ecclеſ. 9.

Itaq; hęretici homines, qui vitijs palium quęrunt, quiq; anxiam, ac moleſtam futuri ſupplicij cogitationem reputant, diſſimulant infernum noſse, oderuntq; Sanctorum Patrum volumina, quæ nullibi eius non meminerunt, & deniq; ægrè ferunt ob oculos ſibi proponi gehennam, quanquàm aliqui læto, & alacri animo haud negent eſſe poſt præſentem vitam locum gaudijs. Quare licet nequaquam ab ore, ab impuro tamen corde erumpunt eæ voces, quibus ſimile hominum genus alloqui Eccleſiarum magiſtros, D. Hieronymus ſcripſit. [Nolite nobis videre, quę recta ſunt, nec gehennæ flammas comminemini, ſed promittite nobis regnum cœlorum, vt poſt luxuriam, & delicias pandatur nobis Paradiſus.] Quæ verba ſequutus Carpocrates, aiebat, nullum damnari, ſaluari omnes. Nimirùm iniucunda eſt flagitioſis hominibus gehennæ cogitatio, ideò nullam eſſe animum inducunt ſuum: Norat Chryſoſtomus huc tendere negantium gehennam conſilia, ideo in hanc ſententiam eos alloquebatur.] Noui & vnde venias ad iſtos ſermones. Multa tibi peccata ſunt, lapſus es, fiduciam non habes. Interim, inquis, gehennę expectatione animam non conficiam. Licet gehenna ſit, ei perſuadebo non eſſe, interim hîc gaudebo.] Vis veritatem exemplo cognoſcere? Contenderat omnibus neruis Caluinianę hęreſis miniſter delere Catholicam de Purgatorio veritatem, placet primarijs quibuſdam, accedunt ad miniſtrū, enixè rogant, vt pari conatu ſtudeat infernum deſtruere, ne amaro illius metu minuatur præſentis vitę fęlicitas. O verè inſipientes. [Cum Caluinianus quidam miniſter, ait Franciſcus Montanus, in Gallia Purgatorium accerrimè oppugnaſſet, illùdq; opinione ſua è medio ſuſtuliſſet, nobiles nonnulli eum adierunt, & obnixè rogarunt, vt eandem operam nauaret deſtruendo inferno, quam nauaſſet demoliendo Purgatorio; vt in poſterum, non modo ſine metu Purgatorij,

D. Hier. l. 9. in Eſ. c. 30.

Carpocrates Apud Iræneū l. 1. c. 24.

Chryſ. hom. 50. ad Popul. Antiochen.

Franc. Mont. Apol. pro Ieſuit.


ſed etiam abſq; formidine inferni vitam iucundá degerent.] Ecce tibi, quò tendant hæreticorum ſtudia in euertenda gehenna. Vt dare ſe voluptatibus ſolutis habenis poſſint, remouent id omne, quo, tanquam freno, intra virtutis limites, aliquo modo, contineri poſſunt, in primis inferni metum. Deploranda cęcitas, quæ dum gehennam non agnoſcit, miſeros in gehennam ducit. Vtinam id cogitarent recentes hęretici, de quibus multis ante ſæculis Chryſoſtomus. [Alij, inquit, Dominum quidem confitentur, iudicium autem, & pœnas propoſitas auferunt breui iucunditate magnum ſibi ementes ſupplicium, & dum volunt ſe recreare, quòd gehennæ non meminerint, per hanc ſecuritatem, motuſq; vacuitatem, in magnum ſe barathrum imprudentes immittunt.] Eò etiam imprudentiores, quòd minimè intelligant, hac gehennæ obliuione, non exiguam, reliquis peccatis, pœnam accedere. [Si præuaricatis, gehennam tamen eſſe credis, ait Chryſoſtomus, peccatorum duntaxat pœnas luens abibis. Si verò & iſtam addideris impietatem, & cogitationis huius extremas dabis pœnas, & frigida tibi facta conſolatio perennis erit vltionis materia.]

Chryſ. hom. in Pſal. 11.

Chryſ. hom. 30. ad Popul. Antioch.

CAP. XVII.

Quid ſit infernus. Vana eorum opinio, qui putant gehennam eſſe horrendum quoddam animal.



SIT, inquis, certiſſimum, dari poſt hanc vitam Infernum puniendis ſceleribus deſtinatum, Quid hunc eſſe Infernum exiſtimandum eſt? Satisfaciam enarratis priùs, & confutatis erroribus. Principio, gehennam, immanem quandam eſſe feram, illamq; animatam ſenſere nonnulli; fortè quòd in tabellis, veluti draconis immenſum caput, latiſſimis faucibus flammas euomentibus, dentibus acutiſſimis, efflantibus ignes naribus, oculis ſcintillantibus, exprimát pictores, dum

Ex D. Hier. in c. 5. Eſa.

dum infernum delineant. Nec modò pictores, instar voracissimę belluæ infernum pingunt, sed sacra oracula Tartaro animam videntur concedere. Esaias *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; vllo termino.* Et D. Iob infernalibus ergastulis os tribuit, dum inquit. *Saluabit me de ore angusto, latissimè, & non habente fundum.* Es. 5. Iob. 36.

Sed vanum prorsus deliramentum, opinari infernum viuere. Plures in inferno animæ sunt, nullam tamen Infernus animam habet, quâ viuat. Nisi velimus desipere cum ijs philosophis, qui viuere hanc rerum vniuersitatem existimabant. Res clarior, quàm indigeat probatione. Nec enim illi vis vegetatiua inest, cui alimento opus, nec sensitiua, quæ hanc exigit, & certam insuper membrorum diuersitatem, & dispositionem organorum postulat, nec rationalis, quæ nulli inest, ni insint priores. Iure tamen Sacræ litteræ, & Christiani pictores animam, os, formamq; sæuissimi animalis orco tribuunt, ut eius loci miseriam, acerbitatemq; tormentorum intelligant mortales. In quanta enim miseria sunt, qui uiui deglutiuntur asseris? Aut certè obijciunt spectantibus ingentem eius loci capacitatem, & insatiabilem animarum cupiditatem, quæ tanta est, ut nunquam dicat, sufficit. D. Hieronymus ad citata Esaiæ uerba. [Infernus autem, inquit, habere animam dicitur, non quòd animal sit iuxta errorem quorumdam, sed quòd uerbis humanæ consuetudinis, rerum insensibilium exprimamus affectum, quòd insatiabilis sit, & nunquam mortuorum multitudine cōpleatur.] Et Cyrillus Alexandrinus uerba illa Esaiæ. *Propterea captiuus ductus est populus meus &c.* Et illa. *Propterea dilatauit infernus animam &c.*, ad Iudaicæ gentis calamitatem referens, inquit. [Abibunt sanè captiui, & seruient inimicis, ac tanta erit per omnem regionem mortuorum, inedia, & siti pereuntium multitudo, vt Infernus prælargo, & inexplebiliore, hiantibusq; faucibus absorbens eos, qui descenderent, suisq; thesauris spolians, lasciuia quodammodò sit exultaturus. Nam cum inferni animam dilatatam nobis dicit, aliud nihil, quàm quòd dixi, significare eum uelle existimandum

Cur gehēna instar animalis pingatur.

D. Hier. in c. 5. Esa.

Cyr. Alex. l. 1. in Es. c. 5.

dum

dum est.] Nam scriptura diuinitus aspirata, nominibus figuratè utitur, & quasi metaphoricè etiam in rebus, quæ animabus carent, immò quæ nec in ordine, ac serie animaliũ numerantur, perinde, quasi hoc verè essent.] Intelligi etiam ex his potest, cur eadem Scriptura os, illudq; angustum inferno tribuat, significat enim, gehennam, vbi amplo suo sinu iniquos semel recepit, eos in posterum non dimittere. Hieronymus. [Ore autem angusto inferi ideò appellantur, eo quòd amplum sit ad recipiendum, angustum ad dimittendum, quoniam mortuos intra se teneant, & eos ad vitam non patiantur exire.] Quò & D. Anselmus respexit dum inquit, Infernum esse inferiùs dilatatum, superiùs coangustatum. Animæ tamen damnatorum, dicuntur quodammodò inferni animæ, non quòd dent inferno vitam, sed quòd in inferno viuant cruciatæ. [Quæ est, inquit idem Cyrillus, inferni anima? Locus potiùs est infernus, & animarum miserarum carcer horridus. Animæ igitur eorum, qui in hac vita delicijs, & voluptatibus effęminantur ad infernum descendent, & implebunt quasi eius animum.]

D. Hier. in c. 36. Iob.

D. Ansel. de imag. Mund. c. 21.

Cyril. supr.

CAP. XVIII.

Error dicentium Infernum nihil esse aliud præter peccatum mortale.

Albigen. circa ann. 1200. Cæs. Heister. l. 5. mir. c. 22. Ant. in sum. Tit. 11. cap. 7. §. 5.



HAERETICI Albigenses, de quibus meminimus, cum eos recensuimus, qui nullum infernum credunt, circa annum Domini millesimum ducentesimum, hanc pestem disseminarunt. Non esse quidem negandum, infernum quendam dari, at neq; esse carcerem, neq; locum cruciamẽtis plenum, sed peccatum mortale, quo anima inquinatur. Homines scilicet prauitatis hostes, qui adeò peccatum, Deiq; offensam odere, vt eam non modò gehennæ æquiparent, sed velint esse gehẽnam ipsam. Verùm notæ hęreticorũ

artes, notę fallacię. Nihil esse gehennam volunt, præter læthalem culpam, ne horrore gehennæ, cuius adeò acerbos cruciatus Catholica veritas prædicat, deliciæ, voluptatesq; huius sæculi, quibus annexa iniquitas est, horrori sint mortalibus. Quis enim timeat Infernum ingredi, vnde exire horum sententiâ, facilè quisq; potest? Si nihil est infernus præter mortale peccatum, aut falsum est, & absurdum vulgatum illud de gehenna, *In inferno nulla est redemptio*, aut certè, vbi quis in hac vita semel lapsus est, emendationi locus non datur. Est quidem peccatum mortale, via quædam ad gehennam, at minimè gehenna, vbi enim humana imbecillitate peccauimus, Christi Saluatoris nostri ope, resurgere possumus à peccato; vbi uerò, quem peccata ad gehennam duxerunt, inde exeundi facultas non datur. Verùm sequenti capite clariùs elucebit dogmatis absurditas.

CAP. XIX.

Multorum hæresis, qui Gehennam eiusq; tormenta ad vnam synderesim, conscientiæq; remorsum, referunt, aut ad destitutionem Diuini auxilij, Deiq; in peccatorem iram.



A SVPERIORIBVS hæreticis non multùm discrepant, qui infernum, eiusq; cruciatus cõstituunt, in una, accusantis peccatorem conscientię pœna. Huc inclinauit Lutherus, qui licet aliquando ignorare se fassus sit, quid infernus esset, atq; animo obtegẽdę nõnihil uerbo tenus impietatis dixerit, tartarum esse quasi quoddam sepulchrum animę, extra hunc corporalem mundum, sicut terra est sepulchrum corporis, non potuit tamen ex ore fœtido non erumpere aperte blasphemia, quę omnes gehennę pœnas, & carcerem ipsum ad unam accusantem conscientiam, ac fidei, & uerbi Dei

Luth. ad c. 9. Eccl. ex Zach. Boer. De m. 3. symb. ar. 19.

Dei carentiam, reuocat. [Nobis sanè videtur (verba sunt Lutheri) hunc tartarum nihil aliud esse, quàm conscientiæ remorsum, qui scilicet fide, ac verbo Dei caret, in quo anima sepulta, & conclusa, vsq; ad nouissimum diem continetur.] Idq; etiam Caluinus affirmat, qui nec pilum viri boni habuit. [Per Tophet, inquit, Esaias Gehennam haud dubiè intelligit, non quòd locum aliquem somniare oporteat, in quo mortui impij concludantur, sed conditionem ipsorum miseram, extremosq; cruciatus, & tormenta significat.] Atq; his insistendo, subdit de pœnis gehennæ. [Explodendæ sunt crassę huiusmodi imaginationes, cùm figuratè prophetam loqui intelligamus.] Dum verò de Christi ad inferos descensu agit, contra Catholicam veritatem, ac Sanctissimos, doctissimosq; Patres, negat beatissimam illius animam eò ijsse, sed eo tempore, quo dixit. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem*. Et. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* verè in inferno fuisse, ob eos conscientiæ terrores, & angustias, quibus, impiè dixit, tunc Christum Dominum concidisse, atq; ob molestam animi cogitationem, qua cognoscebat se à Deo derelictum. Quare sic infernum definit. [Sentire te à Deo derelictum, & alienatum, & cum inuocaueris non exaudiri, terribilis est inferorum abyssus.] Et lib. 3. Insti. c. vltimo, ac in Psychopan. docet nihil esse aliud pœnas damnatorum, quàm terrorem, & anxietatem consciẽtiæ cogitantis Deum esse sibi iratum, & infestum. Quibus declarat Caluinus (quòd de cœteris quoq; eius asseclis cẽsendũ, qui concordes pręceptori subscribũt) se nomine inferni haud intelligere tristem quendam locum, aut carcerem vbi recludantur impij, sed diros quosdam animæ, conscientiæq; cruciatus, qui in sola animi apprehensione consistunt, quos quidem dolores, & propterea infernum ipsum, blasphemauit Christum passum esse, dum cogitauit de peccatis hominum, quæ sibi arrogarat, implorauitq; à Deo auxilium, nec potuit impetrare.

Cal. Com. in c. 30. Esa. ex Feu. l. 14. Theom. Cal. c. 2.

Cal. l. 2. Insti. ca. 6. §. 10. & 11.

Matt. 26.

Matt. 27.

Ex Feu. supr.

Refelluntur hæretici.

Equidẽ non leuis, immò maxima pœna est conscientiæ proprię accusatio, semper enim peccatorem oppugnat, sem-

per

per illum pungit, nec ab eo recedit vnquàm. Adeò vt multi hanc peccati corrosionem expressam putent in sacris litteris nomine *vermis*, eamq; Ethnici summopere horruerint, atq; vt par erat, plurimi fecerint. Seneca, [Prima est, & maxima peccantium pœna peccasse.] & Iuuenalis. Esaiæ vlt. Senec. ep. ad Luc.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet authori. Prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur. Iuuen. L. 5. Satyra 13.

Et posteà.

——————— *cur tamen hos tu.*
Euasisse putas, quos diri conscientia facti
Mens habet attonitos, & surda verbere cadit
Occultum quatiente animo terrore flagellum?
Pœna autem vehemens, & multo sæuior illis
Quas & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamantus
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Verùm enim verò, licet grauissima sit hęc pęna, haud tamen, vel in hoc tantùm seculo cruciat, vel sola in futuro cruciat. Aderit sine dubio post hanc vitam ea conscientiæ vellicatio, quæ malũ quemq; torquet, immò grauiùs tunc torquebit, quòd apertiùs intelliget quisq; eam peccati fœditatem, quam obcæcata mens in hoc corpore non permittit planè cognosci. Sed hic in anima nudata corpore conscientię cruciatus, haud solus infernum facit. Supersunt multa prætereà, quæ miserè sontes discruciabunt. Carcer videlicet, vbi cruciabũtur, ignis, vermes, tenebræ, & similia. Hęc pręsentes hęreticorum discipuli post hanc vitam experientur, atq; iam eorum magistri uitâ functi, qui errores dissemina-runt, experiũtur, optimèq; intelligũt lõgè diuersum esse infernum à pœna, quam hîc irrogat conscientia accusatrix, ac serò etiam cognoscunt, Doctores nostros, quibus nullam habuerunt fidem, iure tartareas pœnas recensentes, molestos conscientiæ stimulos non omisisse, atq; his statim, scripturæ diuinę memores, corporea supplicia adiunxisse, locum, ignem tenebras, & huiusmodi. [Anima uitijs subiecta, ait Dorotheus Abbas, semper à malitia, & iniquitate sua torquetur, atq; in Dorot. Abb. doctr. 12. de timore, & pœnis infer.

G perpetua

perpetua memoria, dolore, & amaritudine est passionum quæ ipsam adurunt,& incendunt. Et præter hæc, quis possit fratres horrenda illa loca narrare? Tortores terribiles animas infelices diro cruciatu torquentes, ignem incorruptibilem,& semper ardentem,tenebras inexplicabiles,asperos, & rigidos iudices, & vltores,atq; alia dira, & innumerabilia tormenta .]

Quòd verò quis à Deo opem non impetret,quòd quis à Deo derelinquatur, magna profectò hæc calamitas, & bona inferni pars, in alio seculo, nimirum pœna damni. At vbi pœna sensus æternùm subeunda? Scilicet hæretici non multi faciunt carere Deo,modò nullum sensu dolorem percipiant. Deinde cum & in præsenti vita contingat quem sentire sibi Deum iustè iratum,& infestum, erit ne propterea in inferno? Affirmat Caluinus. Caluinus igitur ipse viuens, cœteriq; Hæretici adhuc superstites in Gehēna erant. Immò multi,qui nunc in cœlo Deo perfruūtur, in inferno aliquādo fuerunt. Multi enim Sanctorum ob nonnulla crimina,pro quibus satisfecerunt,Deum sibi iratum senserūt in hac vita.

Nihil hîc dico de Caluini horrenda in Christum blasphemia, quòd inferni dolores, quos ille pinxit, sustinuerit, rem enim integram in id volumen reseruo, quòd de Sinu Abrahæ aget: contentus animaduertere, non solùm Caluinum iustè ob impia hæc dogmata in hac vita suum infernum, eiusq; pęnas subijsse, sed etiam non obscura dedisse signa in ipso vitę termino,imminere sibi & Dei iram, & diuinę iræ, ac iustitię opus. Vnde enim execrandæ illæ voces futuræ damnationis certissimum argumentum, quas ex putido ore moriens eructauit, nisi ex conscientię stimulis certo cognoscentis infensum sibi esse diuinum numen, nec longè distare malefactorum pęnas? Hieronymus Hermes in vita Caluini,testis est,eum,Dęmone inuocato,periurijs,& horrendis blasphemijs immundum spiritum exhalasse.[Dęmonibus,inquit,inuocatis iurans,execrans, & blasphemans miserè expirauit. Cuius illi testimonium perhibuere,qui decumbenti ad extremum vsque halitum ministrarunt, ad-

Horribilis Caluini interitus.

Hier. Herm. Bolsec. in vita Cal.

dentes,

dentes, diem, atque horam detestatum, & execratum, quàm studijs impendisset]

CAP. XX.

De errore Philonis Iudæi, quòd Infernus nihil sit aliud, quàm vita scelerati, & execrandi hominis. D. Hieronymum eandem heresim Origeni, & Ruffino tribuere.

PHILO Iudęus quatuordecim antè Caluinum seculis natus, inter fabulas & ipse numerauit ea, quæ de inferno philosophi, & poetę scribunt, voluitq; eum nihil esse aliud, pręter vitam impuri hominis, & flagitiosi longè à Deo reiectam. Sic ait lib. de congres. quæren. erud. grat., loquendo de Elipha filio Amalech, atq; hæc nomina ad animam allegoricè reuocando. [Brutus, & immoderatus impetus affectuum appellatur Amalech, quod interpretatur populus elingens. Sicut enim uis ignis absumit obiectam materiam, eodem modo & affectus excandescens abligurit, corrumpitq; quicquid inuenit obuium: huius affectus pater Eliphas iure censetur, nam hęc vox interpretatur Deus me dispersit. An non quàm primum dissipatur, & reijcitur anima à Deo, statim hic brutus affectus nascitur, nam perspicacem, & religiosam mentem, ceu generosam vitem propagat radices extendens in æternitatem, & vbertatem ei donans ad vsumfructum virtutum; & hoc est, quòd Moses precatur inducens plantabis eos; vt non intra vnum diem arescat, sed immortalis, longæuaq; fiat Dei plantatio. Nam iniustam, impiamq; vitam fugatã à se ipso, dissipat in locum voluptatum, concupiscentiarum, & facinorum: qui locus impiorum vocatur, aptiùs, quàm ille fabulosus apud inferos, reuera .n. infernus nihil aliud est, quàm vita miseri scelerati, execrandiq; hominis.]

Phi. Iud. l. de congr. quær. erud. grat.

L. de Mundi Opif. L. de profugis.

Alibi verò, dum explicat, quid nam sit mors animę, ait, esse corruptionem virtutis, & assumptionem vitij. Aut eum in loca impiorum damnatum esse, qui morbo insanabili, hoc est inueteratę malitiæ obnoxius est. Aut esse vitam cum vitio.

D.Hier.lib.3. Peri.& l.2.Apol.aduersus Ruf.

D. Hieronymus tribuit Origeni, & Ruffino non absimilem errorem ei, quem Philo amauit, & recentes hæretici renouarunt, quod nimirum infernum, eiusq; tormenta in una conscientia peccatorum posuerint. Sufficiat hęc notasse: non enim morabor in hisce authoribus conuincendis, cum satis refellantur ijs, de quibus supra diximus, ac dicemus in posterum, maximè cum de igne inferni agemus, atq; Origenis, & Ruffini hac de re sententiam exponemus.

Lib. 2.

CAP. XXI.

Insana hæresis Infernum cum morte corporea confundentium.



VITAM scelerati hominis cùm inferno inconsideratè permiscuit Philo. Multi recentium hęreticorum temerè, & impiè eundem Infernum cùm morte corporea confuderunt, & cùm extremis quorundam morientium angustijs contulerunt. Lego id fecisse Caluinianos. Nec multum ab his distant Zuinglius, & Oecolampadius, qui effutierunt aliud nō fuisse Christum in Infernum descendere, quàm pati, mori, ac mandari tumulo.

De Caluinianis Feu. L. 16. Theom. Cal. in confutat. Catec. Caluin. n. 137. De zuin. Feuar. sup. L. 6. cap. 1. De Oecolam. Gul. Lin. in Dup. L. 1. c. 3.

Hęresis omnium absurdissima. Quis enim dicat omnibus adeundum esse infernum? Quis nihil discriminis cōstituat inter probum virum, & flagitiosum? Quis affirmet malos non proprio vitio, sed naturæ necessitate descendere in infernum? Si Infernus est separatio animæ à corpore, quid animę separatæ à corpore peccatis maculatę continget? An peribit? Epicurei estis. An supererit gaudijs? Ignari estis diuinę iustitię, & æquitatis. An mulctabitur pœnis? Verùm quidem dicitis, at hoc pacto infernus haud est mors, sed mor-

tem

tem consequitur. D. Hieronymus. [Inter mortem, & inferos hoc interest. Mors est, quâ anima separatur à corpore. Infernus locus, in quo animæ recluduntur, siuè in refrigerio, siuè in pœnis pro qualitate meritorum.] Mors enim est alterius hominis partis, corporis videlicet interitus. Infernus haud est interitus, sed eius hominis partis, quæ post extinctum corpus superest, ac inquinata sceleribus in corpore vixit, receptaculum, vbi mali, nunquàm moriendo, semper moriuntur, quòd acerbiores morte angustias perferant. Nam mors ità depascet eos, vt radicitus herbam non euellat, supererit enim semper ad pœnas sensus, nec tamen mortis deerit cruciatus, cum ibi futura sit mors viuax, & vita moriens. Idem Hieronymus. [Quòd autem aliud sit mors, aliud infernus, & Psalmista demonstrat dicens. Non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi, & in alio loco, Veniat mors super eos, & descendant in infernum viuentes.] Et Theophilactus. [Inuenire queas discrimen quoddam inter infernum, & mortem, quia infernus animas contineat, mors verò corpora; Nam animæ sunt immortales.] Quasi, qui non distinguunt inter mortem, & infernum, animas faciant mortales, velintq; post mortem corporis, nullum eas, instar cadauerum, sentire dolorem.

D. Hier. in c. 3. Oleæ.
Psal. 88.
Hier. sup.
Psal 6.
Psal. 54.
Theophil. ad c. 5. prior. ad Corinth.

CAP. XXII.

Nonnullorum Gentilium, & aliquorum hæreticorum error, Infernum esse mortale hoc corpus, in quo anima veluti in quodam carcere viuit, ac nonnunquam doloribus afficitur.



NIHIL hîc de Origenis errore, sentientis animas inductas esse in corpora, vt pœnas luerent scelerũ, quæ patrarant antequàm truderẽtur in corpus, de quâ hęresi Epiphanius, Theophilus Alexandrinus, Hieronymus, & Cyrill. Alexandri-

Epip. l. 2. Pan
Theo. Alex. l. 1. Pas.
Hier Ep. ad Pamm.
Cyr Alex. l. 1. Com. in Ios

xandrinus, qui inter cæteros illam refutauit doctè, & copiosè, Res. n. ad id volumē spectat, quòd aget de Purgatorio. De ethnicis, ac hæreticis dicendum, qui alia gehennæ supplicia non agnouerunt, præter miserias in quibus versatur anima in corpore degens.

Multi igitur Macrobio teste, Philosophia veritatis indagatrice aliquantulum adhuc ignota mortalibus, non alios esse inferos reputabant, quàm corpora, quibus animæ includuntur. [Antequàm studiū Philosophiæ, ait Macrob., circa naturæ inquisitionē ad tantū vigoris adolesceret, qui per diuersas gētes auctores cōstituēdis sacris cęremoniarū fuerunt, aliud esse inferos negauerunt, quàm ipsa corpora, quibus inclusæ animæ carcerem fœdum tenebris, horridum sordibus, & cruore patiuntur. Hoc animę sepulchrum, hoc ditis concaua, hoc inferos vocauerunt, & omnia, quæ illic esse credit fabulosa persuasio, in nobis met ipsis, & in ipsis humanis corporibus assignare conati sunt.] Hinc quæcunq; Poetę sub fabulis, animabus impijs post mortem contingere scripserunt, ea ad pręsentis ęui calamitates, ac immoderatas viuētis in corpore animi affectiones referebant, qua de causa, tunc aiebant animam labi in flumen Letheū, eū oblita decoris, in quo constituta erat, antequàm corpori iungeretur, adeò inhiat terrenis, vt summam felicitatem censeat degere in corpore. Phlegethontem ad iras, & cupiditates reuocabant. Acherontem, ad tristitiam. Cocytum ad ea quæ in acerbos luctus, & lachrymas compellunt. Stygem ad rixas, & odia. Per vulturem immortale iecur rodētem, eos cruciatus intelligebant, quibus anima torquetur, dum se summis flagitijs refertam animaduertit, laniaturq; veluti à fera pessima recordatione admissorum scelerum. Per Tantali famem inter epulas, auari pœnas describebant, cui maximè accidit inter lautissimas mensas inedia tabescere, ac egenum esse in summa rerum copia, & vbertate. Illos radijs rotarum pendere affirmabant, qui nihil consilio pręuidentes, nihil ratione moderantes temerè aggrediuntur quodcunque opus. Ingens verò saxum eos voluere, qui vitam terent inefficacibus, ac laboriosis conatibus.

Macr. lib. 1. in Somn. Scip. c. 10.

Ab his multi hæreticorum nō discrepāt. Caluinus Beza, & alij asseclæ.

Genti-


Gentilibus ſemper amici fuerunt hæretici, cum præcipuè in atheiſmum propendet; Perſpicuum enim fiet ſuperiora legenti, multos præſentis vitæ angores appellaſſe infernũ, quòd eas moleſtias, quas probi ſentiunt ex peccatis nihili facerent ipſi, nec vellent alias extincto corpore ſupereſſe. Id apertè ſentiebant Albigenſes, qui ea tantùm peccatorum supplicia nouerunt, quę patimur in hac vitâ. Ac D. Iræneus refellit ſimile genus hominum, qui nullum alium ab hoc superiore mundo, vbi viuunt homines, infernum dari mentiebantur, nec enim impugnabat eos, quòd in abdito quopiam huiuſce terræ ſuperioris angulo, locum cruciandis animabus poſt mortem deſtinatum eſſe affirmarent, non enim id apertè ſapit hęreſim, ſed quòd non alium eſſe inferni ſtatum prædicarent, quàm eum, in quo miſeri in hac vita degunt.

Albigēſ. hęreſis.

D. Iræn. l. 5. c. 32.

Affirmantes infernum in hoc mundo eſſe confutati ab Iræneo.

Hos ſicut & ſuperiores lux ipſa naturę conuincit. Quid enim ijs accidere putandum erit, qui vſq; ad extremum ſpiritum in hoc ipſo corpore, in quo vixerunt ſe ſe flagilijs, ac ſceleribus dedere, feliciſſimum æuum, vt illi quidem putabant, traducentes? Si corpus infernus animæ fuit, aut impurus ille ſpiritus poſt corporis interitum, & ipſe interit, aut in delicijs, & voluptatibus, vel in miſerijs, & doloribus ſupereſt. Profecto non extinguitur meliorum philoſophorũ conſenſu. Itaq; cum viuat, aut feliciſſimè, aut miſerrimè uiuit, ſi feliciſſimè. Quis iuſtitiæ, & aquitati locus, cum peccatis præmia reſpondeant, ſi miſerrimè, alium ergo infernum fatere, præter præſentem vitam, alias pœnas, & calamitates præter eas, quibus uiuentes mortali corpore induti afficiuntur.



CAP.

CAP. XXIII.

Ioannem Ferrariensem existimasse D. Augustinum recitatæ hæresi fauisse aliquando, & eam retractasse. Improbabile id videri, quòd naturali mentis lumini repugnet, nec vel retractatus hic error in Augustini scriptis legatur.



TQVE hoc quidem cùm adeo euidens sit, & apertum, ut, qui oppositum opinetur, pugnet cũ naturali luce, quam Deus naturæ auctor indidit omnibus hominibus, adduci non possum, ut credam, perspicacissimum D. Augustini ingeniũ illi quãdoq; adhæsisse, siuè postquã salutaribus aquis tinctus fuit, siuè nondum agnitâ, & acceptâ fidei ueritate; Quod tamen illi tribuit Ioannes Ferrariensis, dum inquit. [Perstringam paucis Aurelij dubiosam opinationem, quam retractauit in libris eius. Is enim cùm libris gentilium, atq; poetarum fabellis non paruam operam dedisset, essetq; refertus admodùm humanitatis studijs, in quibus excellere pulchriùs putabat: non alio modo accipiendas inferorum pœnas, quàm Macrobius docet, scilicet retorquendo non ad locum, non ad corpus, non ad portenta, sed ad hominum mores, & obscœnitates. Nec aliud esse inferos putauerunt, quã ipsa corpora, quibus inclusæ animę velut in carcerem fędum, tenebris horrendum incolunt, ac fędari sordibus patiuntur.] Et paulò post. [Nec his commentarijs prorsus indidissem, nisi ob singularem poetæ animi cultum, quem ad capescendum D. Augustinus contriuit vires.]

Io. Ferrar. de Cœl. vita. l. 3. c. 2.

Nihil mihi tale occurrit, etiam retractatum legenti D. Augustini volumina, licet aliquid de inferis retractarit, quod videlicet disputando videbatur docuisse, Inferni locum non esse corporeum, ac sub terra non latere, vt iam intelligetur.

Aug. L. 2. Retract. c. 24. In li. de Gen. ad litt. l. 12. c. 32. 33. 34.

telligetur. Cœterùm, quamuis librorum gentilium fuerit studiosissimus, tamen eo, quò pollebat ingenij acumine, optimè norat refellere inimica veritati, probare amica: maximè cũ nonnulli philosophi, & poetæ non multùm à verò aberrauerint de inferno scribentes: etsi malè affecti homines errores inde hauserint, multi enim, vt lib. 2. huiusce voluminis explicabitur, alios inferos prædicant, quàm corpus, animiq; sordes, quod D. Augustinus intellexit: inquit enim 12. de G. ad L. c. 33. [Nec audiendi sunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poetica figmenta interpretentur, nos ab auctoritate diuinarum scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quanquàm possimus ostendere, illorum quoq; sapientes de inferorum substantia minimè dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum.] D. August.

Atq; nondum in catalogum Ecclesiæ Catholicæ adscriptus, optimè nouerat, malis, derelicto corpore, alia manere supplicia: ipsum audi de se ipso loquentem. [Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiarũ, ego fiebam miserior, & tu propinquior, aderat iam, iamq; dextera tua erepturа me de cœno, & ablutura me, & ignorabam. Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij tui, qui per varias quidem opiniones, nũquàm tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cùm amicis meis Alipio, & Nebridio, de finibus bonorum, & malorum. Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem, post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quòd Epicurus credere noluit.] Vbi licet intelligere D. Augustinum semper statum quendam animarum post mortem cognouisse, nec vnquam subscripsisse ijs, qui reuocant ad præsens æuum, quæcunq; de gehenna dicuntur. Aug. l. 6. Cõfess. c. 16.

CAP. XXIV.

Sit ne Gehenna nudus impuræ animæ status extrà corpus.

D.Greg.Nyſ. de immort animæ,& reſurrect.



IVVS Gregorius Nyſſenus Sancti Baſilij frater in Dialogo de immortal. animæ, & reſurrectione, ſenſiſſe videtur, Gehennam haud eſſe locum quempiam, ſed animæ extra corpus exiſtẽtis conditionem, ac ſtatum, ſic enim ait. [Vbi eſt vulgo iactatum nomen inferorum, quod & in vitæ cõſuetudine, & in ſcripturis tàm externis, quam noſtris circumfertur, in quod tanquàm in aliquod receptaculum omnes arbitrantur hinc migrare animas? Non enim elementa dixeris. *Magiſtra*. Cùm dixi animæ tranſitum ab eo, quod non videtur, ad id quod non cernitur, exiſtimabam nihil loci eſſe relictum quæſtioni de inferis. Neq; enim mihi videtur hoc nomen aliud tàm in externis, quàm in ſacra ſcriptura ſignificare, in quo dicunt eſſe animas, quàm tranſitum ad id quod non apparet, nec cernitur.] Atq; rem paulò apertiùs deinde explicans, inquit. [Si ergo ſingula mentem abducunt à corporali intelligentia eius, quod narratum eſt (explicarat iam Gregorius narrationem Diuitis in inferno ſepulti ſpiritaliter eſſe intelligendam) conſentaneum eſt, inferos quoq;, quorũ nunc facta eſt mentio, non putare locum aliquem, qui ſic nominetur, ſed quendam vitæ ſtatum formæ expertem, & incorporeum, in quo docemur à ſcriptura animam vitam agere.]

Theoph.in c. 16 Lucæ.

Atq; ad D.Gregorium Nyſſenum fortè reſpexit Theophilactus, cũ inueſtigãdo, quid ſit infernus ait. [Quidã dicunt eſſe locum ſubterraneum tenebroſum. Alij autem, tranſitum animæ à lucido in obſcurum, & immundum, dicunt infernũ. Quandiù enim in corpore eſt anima apparet propter operationes ſuas, poſtquàm autem à corpore emigrauit, inuiſibilis

fit.

fit. Hoc igitur dixerunt esse infernum.]

Quātum attinet ad inferni explicationem, ea nec sufficiens est, neq; congruit cum sacris litteris. Etenim quòd anima sese stet nudata corpore, etiam inquinata sordibus, quas contraxit in corpore, id infernus esse non potest. Quæ enim pœna ob patrata scelera accessit animę solutę à corpore, quā in corpore non perferret? An dissolutio ipsa pœna est? At, & animi sanctorum recesserunt à corpore. An ipsa peccati turpitudo? At hæc quoq; animam in corpore polluebat. Quis ergo hic vitæ status formæ expers, & incorporeus, in quo anima vitam agit? Certè vitæ statū, in quo sontes animæ viuunt, & formæ nō expertem, & corporeum, licet in corporeæ animæ sint, nobis diuinæ litteræ explicant, cùm docent malos futuros in igne, futuros in tenebris, futuros in horrido carcere, descensuros in infernum.

Infern. aliud est, quā animę status, formæ expers.

Si verò quis vim faciat in authoritate D. Gregorij Nysseni, cuius testimonium plurimi apud sensatum quemq; æstimandum est. Id habeo quod respondeam. Eius Dialogi scopum esse, vti paulò post dicemus, de immortalitate animę potissimùm agere. Quamobrē haud solicitus fuit Gregorius accuratiùs de loco pœnali animarum disputare, modò firmum, ac stabile maneret immortalitatis animæ decretum, quod à loco inferni non dependet, qui siuè esset corporeus, siuè incorporeus, siuè uisibilis, siuè inuisibilis, adhuc staret animę immortalitas.

Greg. Nyss. explicatur.



CAP. XXV.

Hæreticos recitatis erroribus insistentes contendere, Infernum, de quo Diuinæ Scripturæ loquuntur, esse quid metaphoricum. Inane eorum fundamentum indicatum, & euersum.



VOD verò memorati de inferno errores, esse nimirum, vel mortale peccatum, vel sentire sibi iratum Deum, vel accusantis conscientiæ pœnam, vel impij vitam, vel mortē, vel incorporeum vitæ statum, pugnēt cum sacris oraculis, quæ de inferno veluti de quopiam loco, horridoq; carcere loquuntur. Qui hasce hæreses amant, quærentes mendacijs palium, volunt metaphoricè loqui Diuinam Scripturam, cum in ea infernus veluti locus quidam pingitur, in quo impij recipiantur. Vt enim, aiunt, D. Thomæ Aquinatis testimonio, vermis, quem apud inferos esse, & excruciare malos Scriptura tradit, haud animal quodpiā est verū, corporeūq; sed metaphoricum quid, quod vim doloris, & conscientiæ peccatis pollutę pœnam subindicat: sic Gehenna haud locum quempiam explicat, vbi detineantur mali, sed miseram illorū conditionē, vel animæ fœditatem, vel quid simile.

Sic. Polyander Caluin. præceptorē tuetur. Lege Ansf. Cochlet. de infer. Cal. c.11.

Impiè, vt cœtera. Est decretum inter Theologos receptissimum, haud facilè putandum esse metaphoricas locutiones adhiberi in scripturis sacrosanctis, nisi necessitas, euidensq; ratio cogat; nō minùs .n. cauendum D. Augustini sententia, figuratam locutionem, idest translatam, quasi propriam sequi, quàm propriam, quasi figuratam. Vis modum inueniendę locutionis, propria nè sit, an figurata? Audi Augustinum. [Quid quid in sermone diuino, neq; ad morum honestatem, neq; ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratū esse cognoscas.] Metaphorica locutio est, quę tribuit Deo,

D. Aug l.3. de Doctr. Chr. c. 5. & 10.

Deo, Ignem. Pennas. Rugitum Leonis. Plaustri stridorem, ac humana membra; Quòd hæc fidem superent, certumq; sit propriè Diuinæ naturæ non conuenire; At vbi verus, germanusq; verborum sensus quadrat, non est ad tropos, & metaphoras confugiendum. Cur enim dicamus Deum non verè, non propriè, sed metaphoricè esse bonum, iustum, misericordem, infinitum, immensum, incorporeum? Cùm itaq; Diuinæ litteræ, & Sancti Patres exprimant inferorum gurgitem veluti durum quendam carcerem, infamemq; fossam, quò pellendi sint mali; Quid causæ est, vt ad metaphoricam locutionem confugiamus, &, quod propiùs ad impietatē accedit, metaphoricū esse dicamus id, quòd tali locutione declaratur. An id repugnat veritati fidei? Cuius nisi Luteranæ, & Caluinianæ, quæ haud fides dicenda est, sed sinagoga mendaciorum? An euertuntur boni mores Catholicorum Doctorum documentis, corporeo carcere detineri in summis pœnis, & cruciatibus improbas animas post mortem? Quid vehementiùs segnes, & desides ad vitæ honestatem incitat, quàm diri eius carceris memoria, & assidua cogitatio? Sed ità est. [Si animum præoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.] Verùm pingantur, vt inquis metaphoricè inferi, vbi nam de illis non tropicè, non figuratè agetur? Exprimantur metaphoris, quemadmodùm aptè nonnunquam exprimuntur; ineptè omnino, & impiè, metaphoricum esse dicitur id, quòd metaphoris exprimitur; Est quidem metaphora, quòd ignis, pennæ, rugitus leonis, & cœtera tribuantur Deo, verùm quod tali metaphora significatur, haud est metaphoricum, alioqui Deus non esset.

Deut. 4. Psal. 16. Ioel. 3. Amos. 2. Esa 40.

Aug lib. 3. de Doct. Christ.

Quamuis ergo aliquibus placeat nomine *vermis* metaphoricè adumbrari perpetuam corrosionem inquinati animi, quæ à peccato venit, nihilominus, nec conscientiæ remorsum, ea voce explicatum, metaphoricum esse contendunt, nec idem affirmant de vocabulo inferni, ignis, ac reliquorum cruciatuum. Præterquàm quòd Sanctissimi Patres, & notæ authoritatis Theologi, inter inferni cruciatus corpo-

Hæreticorū cauillis respondetur.

reum vermem numerant qui corporibus, & animabus damnatis summæ erit molestiæ.

CAP. XXVI.

Infernum ex sacris litteris, antiquis Patribus, & suadente etiam ratione, esse locum quendam, vbi sontes in doloribus detinentur.


ARIIS erroribus refutatis statuendum est, quid, iuxtà Catholicam veritatem, censendum sit esse gehennam. Atq; si rem à Diuinis Scripturis quæramus, perspicuum erit esse quid ab anima distinctum, vbi anima viuit in doloribus ob admissa scelera. Probant id non obscurè ea loca, quibus alibi demonstratum est, inferni vocem non tumulos mortuorum, sed locum animarum significare. Cùm enim legimus, Impios deducendos in infernum; Dœmonem in profundum inferni detractum esse: dari abyssum, & inferni nouissima: Infernum inferiorem: malos mittendos esse in gehennam ignis, in stagnum ignis, & sulphuris, in ignem æternum, dubitari non potest, quin doceant nos diuina Oracula alicubi detineri improborum animos in alijs cruciatibus, & pœnis ab ijs, quibus recordatione scelerum afficiuntur, atq; nec mundum istum, nec corpus in quo anima viuit, esse infernum.

Hoc lib. c. 4. Psal. 30. Ezech. 31. Es. 14. Apoc. 9. Deut. 32. Psal. 85. Matt. 5. Apoc. 20. Matt. 25.

Sin autem hac de re vetustissimorum, & doctissimorũ Patrum sententias postulemus; Hi omnibus suffragijs confirmabunt, Infernum esse funestissimum quendam locum, miserrimum quendam carcerem, profundum quẽdam gurgitem, ac fœtẽtem fossam, vbi recluduntur post mortẽ impij in æternum cruciandi. Eorum decreta lector habebit, cùm probabitur testimonijs Patrum infernum sub terrâ constitutũ esse. Interim audiendi sunt Tertullianus, & D. Cyprianus.

Tertul-

Tertullianus quidem explicans quid sibi, atq; adeò cœteris Apostolicæ doctrinæ studiosis inferi essent, ait. [Nobis inferi non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur. Sed in fossa terræ,& in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Siquidem Christum in corde terrę triduum mortis legimus expunctum, idest in recessu intimo,& interno, & in ipsa terrâ operto, & intra ipsam cauato, & in inferioribus adhuc abyssis superstructo.] Et paulò post. [Habes regionem inferûm subterraneam credere, & illos cubito pellere, qui satis superbè non putant animas fidelium inferis dignas. Serui super Dominum, & discipuli super magistrum?] Atq; in Apologetico Gehennam ità definit. [Est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus.] Quibus cùm abrogare fidem nefas sit, tùm ob venerandam Tertulliani authoritatem, tùm quod ętati Apostolorum ferè suppar fuerit, euertuntur penitus machinę hęreticorum, quibus obscurare Catholicam veritatem conantur. Cùm enim Infernus haud sit subdiualis aliqua mundi sentina, sed vasta quædam in terræ visceribus profunditas, recessus intimus,& internus in ipsa terra opertus, & intra ipsam cauatus, & in inferioribus abyssis superstructus, subterraneus ignis thesaurus; Quis non videt infernum, nec esse sepulchrum mortuorum, neq; mortale peccatum, neq; conscientiæ remorsum, aut destitutionem Diuini auxilij, neq; vnã scelerati hominis vitã, neq; metaphoricum quid, neq; dissolutionem animi à corpore, nec demum corpus, in quo viuit animus, sed amplam, ac vastam quandam voraginem in terræ gremio constitutam, recipiendis animabus, corporibusq; malorum idoneam.

Tertul. lib. de anima c. 55.

Tertul. in Apol. ad gent. c. 47.

D. Cyprianus sanctitate, doctrina, & antiquitate insignis, Apostolicæ veritatis memor, posthabitis figmentis in propriam, aliorumq; sequacium perditionem ab hæreticis excogitatis, infernum ità describit. [Sæuiens locus, ait, cui Gehenna nomen est magno plangentium murmure, & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam spissę caliginis noctem, sæua semper incendia camini fumantis expirat:

D. Cypr. de laude mart.

globus


globus ignium artatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæuiendi plurima genera, tùm in seipsa conuoluit quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit.]

Iustinus Mar. Apol. 2. pro Christ. ad Ant. Pium.

Iustinus Tertulliano, & Cypriano, ant quior, ac duplici laureola venerandus, quid existimat gehennam esse? [Gehenna, ait, locus est, in quo luent pęnas ij, qui iniustè vixerint, nec euentura ea crediderint, quæ Deus per Christum docuit.] Quid hîc Hæreticè? An vbicunq; peccatores sunt, eiulatus exaudiuntur? An per vniuersum orbem diffusæ tenebræ? An vbiq; incendia? Sceleftis, & flagitiosis certo in loco horrido, & squallido parantur supplicia, necvbi ad manus iudicis peruenere, potestatē habent huc, illucq; diuagandi; coercentur statim carceribus, detinentur vinculis, puniuntur cruciatibus, nec vnum peccasse, pœna est. Igitur à supremo, æquissimoq; Iudice latâ sententiâ in impuras animas, haud liberum illis erit abire quo lubet, aut non alia pœnâ, quàm culpâ punientur, quæ illis iucundissima fuit, sed trudentur instar nocentum læsæ diuinæ Maiestatis in infame pistrinum, in tetrum carcerem, quem Sacræ litteræ, & antiqui Patres infernum, & gehennam vocant.

CAP. XXVII.

Num inferni locus sit corporeus, an spiritualis. Subindicasse nonnullos Patres Gehennam esse quid spirituale, non corporeum. Gregorij Nysseni, & Augustini testimonia.



ERVM enim verò, cùm satis pateat, gehennam esse statam quandam, certamq; sedem torquendis sontibus destinatam; sciscitabitur quis corporea ne sit, an spiritalis.

Greg. Nyss. Dial. de immor. anim.

Non est quòd hic referam Stoicorum, & Epicureorum hæresim, qui absurdum adeò reputabant animam

mam extincto corpore versari in loco corporeo, vt eam interire hac de causa affirmarent, quòd viuere in nullo corpore posset, vt potè dissimilis, diuersæq; naturę. Tacendum etiam de Caluino, qui inter somnia, ac deliramenta recensuit vulgatam apud omnes gentes sententiam, malos nimirùm exacto pręsentis vitæ curriculo, in quopiam loco miserrimo, ac teterrimo concludi: tollunt enim hi penitùs infernum, vt alias dictum, nec ideò existimant, impios vitá cùm morte commutatá in loco corporeo non degere, quòd incorporeũ, & spiritalem admittant, verùm quòd, aut putent non superesse animum post mortem corporis, aut si supersit nullum esse supplicij locum. Cùm ijs agendum, qui minimè de inferni veritate dubitantes, visi sunt dubitasse corporea ne esset an spiritalis inferorum substantia. D. Gregorius Nyssenus in primis non obscurè indicauit, sentire se infernum esse locum incorporeum, & spiritualem. Hęc eius verba. D. Greg. Nyss. Dial. de immor. animæ.

[Si ergo singula mentem abducunt à corporali intelligentia, eius quod narratum est, consentaneum est inferos quoq;, quorum nunc facta est mentio, non putare locum aliquem, qui sic nominetur, sed quendam vitæ statum formæ expertem, & incorporeum, in quo docemur à Scriptura animam vitam agere.]

D. autem Augustinus sibi ipsi obijciens spiritualis naturæ conditionem, quę, vt ab omni materia, corporeaq; mole aliena est, sic detineri per vim nulla re materiali potest, existimasse aliquando videtur loca, quò post mortem animę deferuntur, haud esse corporea, sed spiritualia. Quamobrem super Genes. ait. [Si autem quæritur cùm anima de corpore exierit vtrum ad aliqua corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus similia: an verò, nec ad ipsa, sed ad illud, quod & corporibus, & similitudinibus corporum est excellentius, citò quidem responderim, ad corporalia loca eam vel non ferri, nisi cùm aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrum habeat aliquod corpus, cùm de hoc corpore exierit, ostendat qui potest; ego autem non puto, spiritualem enim arbitror esse, non corporalem. Ad spiritualia verò pro Aug. 12. super G. ad L. c. 32.

meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus. Qualia sæpè mostrata sunt ijs, qui rapti sunt à corporeis sensibus, & mortuis similes iacuerunt; & infernales pœnas viderunt, cùm & ipsi in se ipsis gererent quandam similitudinem corporis sui, per quam posset ad illa ferri, & talia similitudinibus sensuum experiri. Neq; enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cùm iacente sine sensu ipso corpore, nondum tamen penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex illa subductione viuis redditi narrauerunt, & non habeat, cum perfecta morte penitus de corpore exierit. Aut ergo ad illa fertur pœnalia, aut ad alia itidem similia corporalibus &c.] Hæc Augustinus, quibus multa subnectit in horum explicationem, ac tandem concludit hoc decreto. [Est ergo prorsus inferorum substantia, sed eam spiritalem arbitror esse, non corporalem.]

Quòd verò hanc de animabus ad loca incorporalia corporalibus similia ductis opinionē, nō leuiter videntur damnare ea, quæ Diuinæ litteræ docēt de veritate inferorum, eorumq; supplicijs, quæ enim apprehensione tantùm, & imaginatione quadā molesta existimantur, non multum vis habent ad cruciandum, accipe quod scribit eodem libro, veluti occurrēdo obiectioni. [Quamuis ergo, ait, non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene, seu male, cùm ipsæ corporibus suis similes sibimet appareant, sunt tamen vera lętitia, & vera molestia facta de substantia spirituali, nam & in somnis magni interest, vtrum in lætis, an tristibus simus. Vnde quidam in rebus, quas cōcupiuerunt constituti, se euigilare doluerunt, & rursus grauibus terroribus, atq; cruciatibus exagitati, atq; vexati, cū experge facti essent dormire timuerunt, ne in eadem mala reuocarentur. Et vtiq; dubitandum non est, quod expressiora sint illa, quę inferna dicuntur, atq; ob hoc vehementiùs sentiantur. Nam & qui subtracti sunt sensibus corporis, minùs quidem, quàm si omnino morerentur; sed tamen ampliùs, quàm si dormirent expressiora se vidisse narrauerunt, quàm si

Aug. de G. ad L. l. 12. c. 32.

si somnia narrauissent.]

Hęc & similia occurrent legenti eum D. Augustini librum de Genesi ad Litteram, quibus significasse videtur esse quidem inferos post mortem, hoc est molestias, pœnas, & dolores malorũ, verùm non esse corpus aliquod ab anima distinctum, quod eam malè afficiat, vt sunt ampla cauitas, adurens ignis, & huiusmodi, sed horum similitudines quasdam, & veluti idola, quibus non secus spiritus crucientur, ac corpora corporeis cruciatibus.

Auctor etiam libri de Cognitione verę vitæ (Theologi enim Louanienses decreuerunt non esse Augustini) disertis verbis affirmauit incorpoream esse inferorum substãtiam. Eius verba sunt, cùm de animabus loquitur, quæ adhuc in hoc corpore constitutæ pęnas inferorum vident. [Sciendum est, quòd hæ animę non penitus corpus reliquerant, sed sensus tantùm corporeos suis officijs destituerant, corpus autem non ex toto spiritu vitali carebat; vnde ea, quæ audierant, nõ res corporeæ, sed similes corporearum rerum erant, quas reuersæ alijs in corpore constitutis pro ædificatione referre poterant. Postquàm verò corpus funditus exuerãt, longè res aliter erat, quę priùs videri non valebat. Sicut nos aliquando iuxtà parietem positi, vmbram uenientis hominis, non ipsum uidemus, remoto autem obstaculo muri, ipsũ uti est cernimus. Animæ etiam defunctorum cum viuentibus apparent, corpus aereum induunt, in quo corpoream vocem, vel verba audibilia exprimunt. Hinc colligitur, quòd infernus sit incorporeus, substantia spiritualis corpori similis, cuius pęna tanto fit intolerabilior, quantò spiritus corpore est subtilior. Omne enim corpus vetustate deficit, diuturnitate dissolutum interibit; Vnde si infernalis ignis esset corporeus, restat, vt corporalibus instrumentis nutriatur, & sequitur vt illis consumptis intereat; sed constat ignem gehennæ non deficere, ergo spiritualis est.]

Auct. lib. de cognit. veræ vitæ c 40.t.9. Oper.D.Aug.

CAP. XXVIII.

Infernum esse locum corporeum.

DOCET tamen Catholica veritas infernum malorum carcerem esse locum quendam corporeum, & materialem, qui Dei hostes in perpetuis calamitatibus detineat, quod apertè adeò testantur diuina oracula, & Sancti Patres conformi ore comprobant, vt non liceat absq; temeritatis nota aliter suspicari. Illa quidem, quid aliud innuunt, cum gehennã appellant profundum abyssi, terram miseriarum, stagnum ignis, & sulphuris, quàm funestissimum quoddam, solidumq; ergastulum, quod animas scelestorum coercet, ac suo tempore coercebit & corpora? Nisi fortè quis hæc spiritaliter, seu metaphoricè accipiat, quod primũ Catholico dogmati repugnat de corporibus malorum rursus iunctis animabus aliquando in gehenna discruciandis; quî enim corpora occupent in corporeum locum? Si repugnat spiritalem animam concludi loco corporeo, nec congruet profectò corpoream molem esse in spiritali ergastulo. Deinde nimium quantùm faueret hęreticis, qui ea ratione sacra testimonia exponeret, latumq; aperiret campum totius sacrosanctæ paginæ ad insanos sensus detorquendę, quę congruentissimè, etsi de nudis malorum animabus cogitemus, destinauit eis, exuto corpore, corporeum quoddam receptaculum, longè ignobilius, quàm postulẽt naturę suæ dignitate, vbi facinorũ luerent pœnas. Nimirum qui conditi erant cœli gratia, atq; cęleste illud domicilium neglexere, iniuriosi in Deum Creatorem, creaturę causa, iustè veluti cõpedibus vincti in abiectissimam sentinam conijciuntur.

Patres vetustissimi, doctissimiq; vnanimi consensu gehennam perpetuò descripserunt veluti amplam quandam fossam, quam inexcogitabilia cruciamentorum genera, eaq;

corporea

corporea ad os vsq; repleant. Apertissimæ sunt Tertulliani, & Cypriani sententiæ, quas paulò antè retulimus. Nequè enim spiritalis locus vastitatis, profunditatis, aut latitudinis habet discrmina, intra terram cauatur, operitur humo, aut esse potest corporeorum suppliciorum officina. Decreta aliorum Patrum lector abundè accipiet, cum probabitur eorum sententiâ infernum sub terra constitutum esse, probabunt enim illa corporeum esse, & materialem. Cap. 16.

CAP. XXIX.

Neq. D. Gregorium Nyssenum, neq. Augustinum sensisse Infernum esse quid spirituale. Contrarium insinuasse. Demum argumentis, & coniecturis declarasse, substantiam spiritualem posse corporeo loco detineri.



ONENDVM tamen hic Diuuos Gregorium Nyssenum, & Augustinum duo Ecclesię lumina, nunquàm absurdum reputasse, animas malorum corporeo carcere concludēdas. Atq; quod ad Gregorium attinet, licet negari non possit, quin multa legantur in eo Dialogo à Platone, & Origene accepta, quæ non satis receptis Sanctorum Patrum sententijs congruunt, nihilominus haud negauit, impiorũ animos, in subterraneo quopiam carcere, uel in aliqua orbis parte cruciari. Ibi enim Gregorius in hunc modum Macrinam interrogat. [Et quo modo inquam subterraneum locum in eo dici putas, illumq; animas, quasi publico recipere diuersorio, tanquàm quoddam spacium capax eius naturæ ab vniuersa humana vita eas ad se trahens.] Macrina, quæ doctoris vices gerit, sic respondet. [Sed nihilo magis lędetur dogma per hanc opinionem, si verum est, quod à te dicitur.] Atq; vbi exposuit sententiam, quæ corporeo

Gregor. Nyss. Dial. de imm animæ. Aduerte hic nosse qui ver sionem Dauidis Augentij.

corporeo carcere animas malorum concludit, hæc subdit. [Quandiù precedens dogma non labefactat, quæ fit obiectio, nempè, quòd post vitam, quæ fuit in carne, sint animæ, de loco nihil nostra pugnabit oratio, vt quę corporum tātum sentiat proprium esse in loco situm: animam autem cum sit incorporea, nequaquam necesse habere ex sua natura, vt illis locis detineatur.] Quòd si accuratiùs non explicauit, Gregorius qualis nam cēsendus esset infernus, id fecit, quòd hoc minimè postularet ea tractatio. Sibi enim immortalitatē animæ probandam proposuerat, agebatq; de illa iuxtà proprię naturę conditionem, quæ, vt existat, naturæ necessitate, nullum corpus efflagitat; atq; Stoicos hoc pacto, & Epicureos refellit, qui obijciebant Apostolo, superesse animam post mortem corporis non posse, quòd in nullo corporum esse possit; contra quos, nihil solicitus de loco diligentiùs inuestigare, statuit, animam ex natura sua non pendere à corporeis locis, atq; siuè corporeo, siuè incorporeo loco detineatur, stare tamen eam post mortem corporis, ac immortalem esse. Quin eodem libro Nyssenus Stoicos, & Epicureos notat tanquam tardi, & rudis ingenij, quòd eius argumēti futilitatem non intelligerēt, quo probare sibi videbantur, animam extincto corpore, viuere in alio corpore non posse. Neq; enim (ratiocinatur Gregorius) quod anima sit spiritus, atq; distinctę conditionis à corpore, ideò putandum est, esse in corpore nō posse. Nam talia proferentes aut animam non haberent, aut uiuerent sinè anima, & celebrata adeo etiā à philosophis Dei immensitas arctaretur certis finibus, siquidem, quòd Deus naturâ, dignitate, & perfectione infinitè distet à creaturis, esse in illis haud posset. [Si quoniam non est anima, (Gregorij Nysseni uerba sunt) eiusdem naturæ cuius sunt elementa, ideo nusquam eam esse censent, isti qui contradicunt: ij primùm quoq; eam, quæ est in carne, uitam statuant esse inanimam. Non est enim aliquid aliud corpus, quàm concursus elementorum. Igitur nè in his quidem dicant esse animam per se uiuificantem id, quod est coagmentatum: siquidē fieri non potest posteà, ut opinantur, ut si sint elemēta,

Greg. Nyss. sup.

anima

anima quoq; sit: adeò ut nihil aliud, quàm mortuam esse nostram uitam ab eis ostendatur. Si autem nunc in corpore non dubitant esse animam, quomodo eo in elementa dissoluto, animam extingui sentiunt. Deinde in ipsam quoquè diuinam naturam eadem audeant. Quomodo enim dicent intelligentem, materięq;, & formę expertem naturam humida, & mollia, calidaq;, & solida peruadenté in essentia, ea: quæ sunt continere, cum nec cum ijs, in quibus existit, ullam habeat cognationē, nec in eis esse possit, propterea quod sit diuersi generis?] Acuta sanè tela, quibus confodiuntur hęretici existimantes risu dignum in loco corporeo detineri malos spiritus; Cum & anima concludatur corpore, & Deus omnia repleat. Nunquã ergo dubitauit Nyssenus, quin diuina vi corporeo carcere mali post mortem coercerentur.

Caluinus Beza, & alij.

D. porrò Augustinus in libro de Genesi ad Litteram sub dubitatione quadam differebat, ac potiùs de ijs cogitando, quę spirituali naturæ ex se conueniunt, quàm de ordine Diuinæ iustitiæ differendo, quo scelestos, et improbos statuit plectere. Etenim Libro octauo eius operis, vbi hac de re agit, apertè testatur, se de graui adeò quæstione nolle quicquam temerariè definire, vel disputare, quod satiùs sit de occultis dubitare, quàm litigare de incertis; Subditq; certum quidem esse Diuitem illum fuisse in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum, sed quomodo sit intelligēda illa flamma inferni, ille Sinus Abrahę, illa lingua diuitis &c. vix huiusmodi à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam inueniri. Eoq; loci minimè reijcit concludentes corporeo loco animas. [Si quisquam, inquit, putat animas cùm à corpore excesserint, locis corporaliter visibilibus contineri, cùm sine fine corpore, afferat sententiam suam.]

Aug. lib. 8. de Gen. ad Litt. c. 5.

Luc. 16.

Sanè D. Augustini sententiã inferi sub terris sunt, cùm enim hac de re citato super Genesim libro dubiè loquutus videretur, correxit se se in hanc sententiam. [In duodecimo (scilicet de Gen. ad Litt.) de inferis magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quàm rationem reddere, cur

Aug. 12. de Gen. ad Lit. c. 33. 2 Retr. c. 24.

sub

ſub terris eſſe credantur, ſiuè dicantur, quaſi non iſta ſit. [Si autem vel ſuſpicatus eſſet inferos eſſe ſpirituales, quòd ſpiritui locus corporeus non conueniat, haud affirmaſſet ob eandem cauſam intra terræ corpus contineri. Hinc etiam retractauit, quod Libro de immortalitate animæ ſcripſerat, nempè. [Anima ſi caret corpore in hoc mundo non eſt.] Indicabat enim id, vel animam poſt mortem non contineri in quapiam huiuſce mundi parte, vel inferos in hoc mundo non eſſe, quę veritati minimè conſona cenſebat. [Quid ſit etiam (ait Auguſtinus) quod anima ſi caret corpore in hoc mundo non eſt, non potui recordari. Nunquid enim animæ mortuorum, aut non carent corpore, aut in hoc mundo non ſunt? Quaſi verò inferi non ſint in hoc mundo.] Erit igitur, Auguſtino teſte, praua anima in hoc mundo corporeo, immò in centro mundi, intra terram; quamuis nequaquam modo corporum.

Aug.l.1.Retr. c.5. L. de immor. an.c. 13.

Adde his idem omnino iuditium ferendum eſſe de inferni cauitate, atq; de igne in ea contento, aut enim vterq; corporeus eſt, aut vterq; ſpiritualis, ignem autē inferni apud Auguſtinum corporalem eſſe dubitari non poteſt. [Cur non dicamus, ait de Ciuitate Dei, quamuis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo ſi eis nulla ſunt corpora ſpiritus Dœmonum, imo ſpiritus Dœmones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipſi quibus adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ cōſtēt ſpiritu, & corpore, ſed vt dixi miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pęnam, non dantes ignibus vitam, quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærēt ſpiritus, & animalia fiunt omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt.] Quo quidem teſtimonio nihil clariùs Auguſtini mentem declarat. Etenim ſi anima hominis cum incorporea ſit, corporeo ergaſtulo clauditur, ac

Aug.21.de C. D.c.10.


Dœmones

Dœmones, quamuis ſpiritus ſint, adhærent nihilominus corporeis ignibus cruciandi, negari non poteſt, quin diuina vi malorũ animi, ac Dœmones detineri loco corporeo poſſint.

Neq; verò cum de ſumma Dei poteſtate agitur, officit, quòd ſubtilitate ſua penetrare quæcunq; corpora ſpiritus poſſint; Id enim vltrò fatendum, ſi relinquantur ſibi, nec Omnipotentis iuſtitia poteſtatem hanc in pœnam frenet, ac retineat. Quod illi quidem facillimum eſt, cum & quędam hominum corpora, quæ ſe ſe continuò vocantur ad terram in eminentiſſima cęli parte Diuino priuilegio æternùm futura ſint. [Occultus aliquis modus, inquit Auguſtinus, operationis Dei, cuius omnipotẽtiſſima volũtate Plato dicit, nec orta interire, nec colligata poſſe diſſolui, cũ multò mirabiliùs incorporea corporeis, quàm quæcunq; corpora quibuſcunquè corporibus copulentur, poteſt molibus præſtare terrenis, vt nullo in ima pondere deprimantur, ipſiſq; animis perfectiſſimè beatis, vt quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, vbi volunt ponant, & quò volunt agant, ſitu, motuq; facillimo.] Idem ergo Deus Omnipotens miro quodam modo occulto nobis ſpiritales ſubſtantias, quibus naturâ cõceſſum eſt nulla mole corporea impediri, quominùs velociſſimè pergant quò velint, certis coercebit finibus, concludet digno flagitijs carcere, vt ęquè reſpondeant ſupplicia ſceleribus, ac præmia meritis. D.Aug.13.de C.D.c.18.

CAP. XXX.

Quo ſenſu Gregorius Nyſſenus, & Auguſtinus ſcripſerint, loca quò feruntur improborum animi poſt mortem, non eſſe corporalia.



SED, quod nam fuiſſe exiſtimandum eſt Nyſſeni, & Auguſtini conſilium, cum inferorũ ſubſtantiam appellauere ſpiritalem? De Gregorio Nyſſeno iàm dictum, multa in eo Dialogo recitari, de quibus ſententiam non tulit, quod cum

animi immortalitate minimè pugnarent, de qua sibi propositũ erat disputare; hęc autem potissimùm sunt, quæ ad locum animarum pertinent. Quanquàm, cum notatis uerbis affirmauit, infernum non esse locum quendam corporeum, exponi non incommodè posit, quòd ibi ageret de historia
Lucæ 16. Diuitis, & Lazari, in qua certum est, multa non esse corporaliter accipienda; quemadmodum oculi, lingua, digiti &c., ut ergo declararet, qua ratione intelligenda essent, dixit. [Consentaneum est inferos, quorum nunc facta est mentio non putare locum aliquem, sed quendam uitæ statum formę expertem, & incorporeum, in quo docemur à scriptura animam uitam agere.] Quasi admoneret, ibi tantùm agi de interpretatione eius narrationis.

De Sanctò Augustino, aiunt Scholastici, ibi scripsisse de natura spiritalis substantię secũdũ ea, quę se ipsâ postulat, substantia enim spiritualis, ut à corpore non dependet, uiuit .n. sinè corpore, sic necessariò nõ requirit corporeum locum.
Palud. in 4.d. 44. q. 6. [Respondetur, ait uir doctus, imitatus pręceptorem suum, Augustinum uelle animam separatam, sicuti quemlibet Angelum, non requirere necessariò corporalem locum, potuit siquidem Deus tàm Angelos, quàm animas produxisse ante
D.Th. in Addit. ad 3.p.q 100. alias 69. a.1. mundum corporeum.] Angelicus etiam Doctor more solito benignè eum exponit, aitq; ea scripsisse, quòd nobis ignotum sit, quo pacto spiritalia sint in loco corporeo, nec ibi sint, modo corporũ, sed modo spiritus, nã corpora tãtùm videmus
Aug. Ep. 120. Honor. loco contineri, qua dè causa Augustinus iple alicubi dixit. [Localia spacia non occupat nisi corporum moles.]

Cæterùm nunquàm Augustinus negauit. [Determinari quædam corporalia loca substantijs spiritualibus, vt inquit idem Sanctus Doctor, per congruentiam quandam secũ
D.Thomas vbi sup. cor. dũ gradus dignitatis earum, in quibus sint, quasi in loco, eo modo, quo incorporalia esse possunt in loco, secundùm quod magis, vel minùs accedunt ad primam substantiam, cui locus superior per congruentiam deputatur, scilicet Deum, cuius sedem cœlum scriptura esse denunciat. Et ideò animas, quæ sũt in participatione perfecta Deitatis, in cœlo ponimus,

quæ

quæ à participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari.]

CAP. XXXI.

Vbi sit Gehenna. Absq; curiositatis nota id inuestigari, quamuis contendendum in primis, vt eius loci miseriam declinemus.



D eam nunc quęstionem veniendum est, quę ordine præcedentes consequitur. Vbi nam terrarum tartareus carcer, funestumq; damnatorum receptaculum existat. Hæretici quidem, nollent Catholicos Doctores exquisitè adeò de Gehenna differere, tribuuntq; nimię cuiusdam curiositatis crimini, cum diligentiùs inquiritur de loco inferni, an sit in valle Iosaphat, an in Ætneis antris, an in corde terræ, an alibi, iactantes velle Christum nos perpetuò meminisse Gehennæ, vt eam declinemus, non vt ista hæc, quæ voluit sapientibus esse abscondita, curiosiùs indagemus. O homines hominum salutis studiosissimos; quorum consilio semper gehenna in oculis habenda est, nihil pręterea quærendũ de illa. Sed cuius gehennæ meminisse volunt? Eius, quam ipsi pingunt, quæ gehenna non est. Nimirùm statuunt non esse subtiliùs de gehennæ loco inuestigandum, ne, quæ verè gehenna est, esse deprehendatur, eiusq; memoriâ ab erroribus, hæresibus, & sceleribus mortales auocentur. Lege Anast. Cocl. de infer. Calu.

Equidem non negem studendum esse in primis, vt ea fugiamus, quantùm in nobis est, quæ trahere nos in gehennã possunt. Quid enim refert nosse, vbi nam gehenna sit, si opera fiant digna gehennâ? Antè hæreticos hosce id Chrysostomus monuit: [Non erit, inquit, quo fuerint hæc loco sita, sed magis quo pacto euitari possint, quęrendum.] Nihil prodest, quæ maneant peccatores tormenta, aut vbi Io. Chrysost. homil. de Præm. Sanct. &c.

parata sint cognoscere, nisi ad hoc demus operam, vt possimus euadere, vt integro capite probat Gregorius Magnus.

D. Greg. l. 9 Mor.c. vlt.

Verùm insanus sit, qui neget, pium esse studium, quo de Gehennæ loco disseritur. Is curiosus est, qui inutiliter perquirit, quæ sua nihil intersunt. At velle ea cognoscere, quæ ad se nonnihil pertinent, haud curiosi est, sed studiosi. Vtiliter autem de loco Satanici regni disputatur, tùm quòd cõfirmetur re ipsa dari, tùm quòd, etsi id celassent sacra oracula, subtili indagatione hominum ingenia exerceantur, voluit enim hac de causa Deus, ut D. Augustinus monet, quędam in Diuinis litteris occultari. [In scripturis sacris, inquit, aliquãdo Diuina ipsa authoritas nõ siletur, aliquando occultatur, vt & manifestis lector instruatur, & obscuris exerceatur.] Videamus ergo, vbi nam Deus tormenta sempiterna, æternumq; carcerem malis prępararit.

Aug. l. contra Adiman. ca. 17.

CAP. XXXII.

Sit ne Gehenna per vniuersum orbem diffusa, vbicunq; videlicet peccatores adsunt. Affirmantium hæresis refutata, ac probatum in certo loco esse, etiam Hæretici testimonio.



MIRVM, homines, qui student omnem inferni memoriam delere, totiq; sunt in impugnanda Catholica de illo veritate, nullibi fermè terrarum non collocare inferos. Id faciunt quotquot mentiuntur infernum, aut esse vellicationem conscientię, aut ipsam scelerati vitam, aut corpus, in quo anima viuit, aut quid tale, de quibus alibi dictum. Ioannes verò Brentius primæ notæ hæreticus apertè testatus est, infernũ haud habere certam sedem, sed ibi esse vbi mortales in hoc mũdo de sui damnatione tentãtur [Vbicumq; (Brentij verba sunt) fuerint dãnati homines, vel etiam tentati de æterna sui damna-

Brentũ hæresis ex Feuard. L. 14. Theom. Cal. c 3.

damnatione in hac vita, ibi infernus sit necesse est;] Ex quibus consequitur, nullum terræ angulum inferno carere, immò nonnunquam in eadem ciuitate, in eadem domo esse cælum, & infernum, multos cœlos, multos inferos. Vbi enim terrarum non sunt improbi, & scelesti? vbi terrarum homines non degunt? Vbi terrarum dęmones omni conatu non sollicitant homines ad ęternã damnationem? Erunt ergo inferi in Hispania, Mediolani, Romæ, Neapoli, Constantinopoli, in India, in Peruana regione, vbicunq; demum homines adsunt. Nimirùm id illi fatentur. Sed quo consilio? Nempè, vt homines leuis fidei intelligentes, vbinam sit infernus quem isti prædicant, nullum verè esse, sibi persuedeant, neq; animum inducant suum, tantas miserias, & calamitates paratas esse improbis post mortem, quantas diuinæ litteræ, Sãctiq; Patres docent. Quis enim existimet damnatos in horrido carcere detineri, igne vri, cruciari frigore, torqueri à Dœmonibus, miris demum affici cruciamentis, qui cogitet non alibi infernum esse, quàm vbi sit peccator, ac tentatus de æterna sui damnatione. Certè ni alibi sit infernus, infernus non est.

Sed ad Brentium propiùs accedo. Si infernus ibi sit necesse est, vbi homo de sui damnatione tentatur; Gehenna nonnunquàm erit vbi degunt sanctissimi viri. Scimus enim inuidum hostem fortiùs eos sępè tentare, qui cæteros sanctitate antecellunt. Scimus sanctissimos homines in exitu vitę ab hac cruenta bestia fuisse tentatos, quos in inferno fuisse, quis dicat, nisi Brentius? Necesse ergo est confiteri non esse infernum vbi peccatores adsunt, vbi quis à Cacodęmone tentatur, sed vbi peccatores puniuntur post mortem, vbi cruciantur ij, qui diabolicis suasionibus in hac vita concenserunt. Non puniuntur autem per vniuersum orbem, sed certo in loco. Verùm lubet hîc hæreticos conuincere manifesta argumentatione ad eos ipsos directa. Vel, boni viri, eundem esse putatis corporis, animiq; interitum, nec apud vos extincto corpore superest animus, aut certè, mortuo corpore, nõ extinguũtur animi, sed illi fœlicissimè viuunt, qui pro

be

bè vixerunt, infelicissimè, qui scelerate, Non opinor tantum impietatis in vobis esse, vt mori cum corpore rationalem animam dicatis, vultis enim saltem externa specie nō Epicurei, non Athei haberi. Si ergo aut præmio, aut pœnis supersunt animæ, qualecunq; sit præmium, qualescunq; pœnę, non enim hac de re vobiscum hîc contendo, alicubi sint necesse est, vbi vel gaudeant, vel puniantur. Aut ergo confusa societate degent cùm viuis, qui adhuc mortalitate induuntur, quod experientia falsum esse deprehenditur, ac repugnat eius prouidentiæ, qui disponit omnia in pondere, numero, ac mensura; Aut liberæ, ac solutæ uagabuntur pro suo arbitratu, quod reis criminis diuinę læsæ maiestatis, uilissimisq; dœmonum mancipijs, & peccati seruis non conuenit; Aut demum aliquo in loco seruabuntur, ubi luant flagitiorū pœnas, nihil enim prętereà dicendum superest. Quod cum necessariò fatendum sit, iniuriâ negatis certam aliquam sedē destinatam esse à Diuina prouidentia malis defunctorum animabus. Quod Theodorus Beza hæreticorum magister negare non potuit, qui ex sacris litteris intellexit probis, post huius lucis vsuram, eminentissimum locum, qui cœlum dicitur, incolendum esse, malis item manere certum, ac determinatum locum in infima terræ parte, qui infernus appellatur. Hęc enim protulit sana certè, si sano animo. [Nos sicut cęlum, in quo cum Christo æterna fœlicitate perfruemur certum, ac definitum locum esse mūdo ipso superiorem ex Scriptura credimus: ita & Inferos ex ijsdem Scripturis, certum, ac definitum locum esse, quem nō frustrà ex Scriptura abyssum, Tartarum, Infernumq; vocarit Ecclesia, horrendis, & æternis Satanæ, & impiorum supplicijs destinatum.] Disce Brenti, sed tibi consta Beza, neq; huius cordæ obliuiscere.

Theod. Beza l. cōtra Brēt. et Feuar. 14. Theom. Cal. cap. 2.

At, aiunt, superare fidem, vnum quendam, ac certum locum præparatum esse ad cruciandos malos, cum tanta futura sit damnatorum multitudo, vt quiuis determinatus locus capere eam non possit. Rectè per iocum Bullingerus Sacramentarius respondet. Non esse, ꝙ Vbiquetarij timeant, se ob loci angustias, ab inferno excludēdos, satis enim fore capacē

omnium vbiquistarum, & sceleratorum. Adde Bullingeri, Sacramentariorum quoq; & hęreticorum omnium.

Si quis pluribus probare velit certum quendam locum malis puniendis à Deo præparatum esse, legat Gulielmum Parisiensem, qui multis id argumentis conuincit. Gul. Paris. p.p. de Vniu. p.p. c. 47.

CAP. XXXIII.

Plutharchum in concauo Lunæ, alios in Coelo Martis malorum carcerem absurdè constituisse. Probatum haud torqueri malos in igne Coelo Lunæ proximo.

PLVTARCHVS quanquàm multa aptè de inferis, eorumq; pœnis scripserit, vt suo loco notum fiet, ineptè tamen, & stolidè omnino tormentorum loca, ac impiorum voraginem in recessu quodam, & abdito Lunæ sinu collocauit, censebat enim in Lunæ cócauo, perinde ac in ista, quam colimus, terra, altissimas esse cauernas, ac profundissimos hiatus, quorum altissimum destinabat ijs, quibus scelerum pœnæ persoluendę essent. Subindicauit suam hanc existimationem Libello de his, qui serò à numine puniũtur, & apertiùs, ac enucleatiùs explicauit libro de facie in orbe Lunæ, vbi sic inquit. [Sicut nostra terra sinus habet profundos, ac magnos, quorum vnus per columnas Herculis hac ad nos infunditur: alter foris est maris Caspij, ac rubri: sic in Luna etiam cauernæ sunt, & profunda. Cauernarum eius maximam penetralia Hecates vocant, vbi animæ eorum, quæ iam natæ egerunt, aut passæ sont rationem reddunt, ac pœnas dant, sumuntq;.] Hæc Plutarchus, absurdiora fabulis. Plut. lib. de his, qui serò à num. pun. & de facie in orbe Lunæ.

Non minus absurdè alij, Platonis auctoritate, Infernũ posuere in cęlesti igne, hoc est cęlo Martis, quod ardentissimo Ex Abulen. parad. 5. c. 90.

ſimo igne conſtare authumabant. Cum enim aiebant hi Platonicę doctrinæ ſtudioſi, nihil in hac rerum vniuerſitate exiſtat pręter quatuor hęc elemēta,& ea corpora, quę cōflātur ex eis, atq; inter elemēta nullum ſit ad infernum, hoc eſt inferendos cruciatus magis idoneum, quàm ignis; Infernus in cęlo collocandus erit, quòd ibi vigeat ardentisſimus ignis; ideò enim cœlum ab antiquis appellatum eſt æter, quod ſit ignitum quoddam corpus, nam æter ignem ſignificat, vnde Tullius. [Ex terra aqua, ex aqua aer, ex aere æter.] Quoniam autem Cœlum Martis ardentiori calore influit, exiſtimabant illud ex ardentisſimo igne conflatum, ac proptereà in eo locum tormentorum conſtituebant.

Cicero 2. de Nat. Deorū.

Multis capitibus impugnari hæc ineptia poſſet, ijs potisſimum, quibus facilè conuincitur, Cœlum nec eſſe elemētum, nec ex elementis conflatum, ſunt enim cęleſtia corpora omnino interitus, & corruptionis expertia, quodlibet autem elementorum, licet totum extingui non poſſit, nonnihil tamen detrimenti quoad certas ſui partes à contrario ſibi elemento plerunq; patitur. Hoc argumento probaret philoſophus in cœlo ignem non ardere. Nos ad rem dicamus indecens omnino eſſe, & indecorum, locum miſeriarum, & pęnarum, locum luctus, & doloris, locum Dęmonum, & malorum, intra męnia cęleſtis regiæ fabricatum eſſe, vbi omnis fęlicitatis fons ſcatet, vbi Angeli, Sanctiq; degunt, vbi Deus ipſe inhabitat. Scilicet inferni cogitatione intelligunt vniuerſi homines, docti, indocti, ſqualidam quandam regionem horridam, fœdisſimam. Superior autem huiuſce mundi pars neminem non rapit in admirationem decoris, ſplendoris, ac pulchritudinis ſuæ, nemoq; horreret eò pergere.

Infernus non eſt in igne cæle Lunæ propinquo.

Hinc immeritò etiam quis ſuſpicaretur gehennam eſſe in igne ſupremo elementorum, cęlo proximo. Pellendi enim ſunt quam longisſimè à Dei aula, Dei hoſtes. Statuit Deus malos ſpiritus, ac improbos homines ardentisſime igne cruciare; At ſummâ prouidentiâ diſpoſuit, alibi cruciantem ignem ſeruare, quàm in natiua ignis ſphera. Vbi licet calor adſit, quòd tamen elementum illud

proximè

proximè ad cęlum accedat, ibiq; in maxima puritate, & tranquillitate consistat, non congruit turbato, ac sordido spiritui ad habitationem, neq; consentaneum, est improborum animos peccatis onustos, ac terrena, & caliginosa eorum corpora animis iterum sociata, quæ sua mole, ac iniquitatum pōdere deprimentur ad terrā, detineri in superiori, leuissimoq; igne omni impura qualitate immuni, vbi luant malorum pœnas. Plato certè cuius auctoritati nituntur, qui infernum in suprema quadam mundi parte collocant, nonnisi sub terra illum constituit, voluitq; tristia inferorum flumina, non sublimes cęli regiones, sed infimas terræ partes irrigare.

CAP. XXXIV.

Aliquibus visum Gehennam in aere caliginoso positam esse.



AVLO inferius alij infernum posuerunt, nempè in caliginosa aeris regione. [1] Dicuntur fuisse in hac sententia [2] Gregorius Nyssenus, [3] Chrysostomus, [4] & Auctor operis imperfecti in Matthæum, at nihil tale scripsisse videntur, licet dixerint Gehennam alicubi esse extra hunc mundum. Fauere tamen huic sententiæ videtur, quod in historia Fursæi apud Bedam legitur. Visos scilicet ab eo in aere ignes, quibus mortales scelerum causa discruciabātur. Cū in altū esset eleuatus (inquit de FursęoBeda, ex quodā libello de illius vita) iussus est ab Angelis, qui eū ducebāt respicere in mūdo. At ille oculos in inferiora deflectens vidit quasi vallē tenebrosā subtus se in imo positā, vidit & quatuor ignes in aere non multo ab inuicem spacio distantes: Et interrogans Angelos, qui essent hi ignes, audiuit, eos esse ignes, qui mundum succēdentes essent consumpturi. Primum mendacij, cum hoc quod in baptismo abrenuntiare nos Satanæ, & omnibus operibus eius promisimus, minimè implemus. Secundum cupiditatis,

1 a Bellar. T. 1. Contr. l. 2. de Purg c. 6.
2 Greg Nyss. Dial. de añæ immor. & resurrect.
3 Chrys. homil. de Pręm. Beat. & hom. in 2. dom. aduent.
4 Auct. oper. imperf. hom. 53. iac. 2. Mat.
Beda l. 3. hist. Angl. c. 19.

cum mundi diuitias amori cœlestium præponimus. Tertium dissensionis, cum animas proximorum etiam in superuacuis rebus offendere non formidamus. Quartum impietatis, cum infirmiores spoliare, & eis fraudē facere pro nihilo ducimus. Crescentes verò paulatim ignes vsq; ad inuicem se extenderunt, atq; in immensam adunati sunt flammam. Cumque appropinquassent, pertimescens ille dicit Angelo. Domine, ecce ignis mihi appropinquat. At ille, quod non incendisti, inquit, non ardebit te. Nam etsi terribilis iste, & grandis esse rogus videtur, tamen iuxta merita operum singulos examinat: quia vniuscuiusq; cupiditas in hoc igne ardebit.] Infernales sanè videntur ignes, quos Fursæus in aere conspexit, cū ibi grauibus inquinati sceleribus pœnas darent, & subdat Beda incensam fuisse viri Dei maxillā, quod mali spiritus in eum iactassent, nescio quem ex ijs, quos ignibus eò loci torquebant. Cōfirmat id authoritas Apostoli, dicentis, non esse nobis colluctationē aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritales nequitias in cęlestibus: Vbi innuit perpetuum bellum, quod mortalibus gerendū est contra dœmones in cęlestibus, hoc est in aere existentibus, nec enim cœlum, locum Sanctorum significat, vbi Angeli apostatæ nō degunt. Cum itaq; indubitatum sit, Spiritus nequam inferni cruciatibus torqueri, videtur Gehenna ibi esse, vbi cruciantur, eaq; de causa in aere.

Apostol. ad Ephes. c. vlt.

Confutantur ponentes gehēnā in aere.

Veruntamen sacrorum oraculorum testimonijs, cōmuniq; hominum existimatione, non obscuris nixa argumentis, satis euidens est, alibi esse, quàm in aere, tormentorum locum. Docet Scriptura infernum ardentissimo igne abundare, ob id enim & Gehenna ignis vocatur, & Christus reprobis dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum*. At quis cogitet hæc extare in aere, vbi nonnunquam ingentes imbres gignuntur, conglobantur niues, & grandines, quibus nō modico frigore opus? Ais, Deum crucianti igni vnum torquendi munus reliquisse, omnemq; ademisse vim, qua perturbare huius vniuersi ordinem, aut commodum potest, dæmones,

Matt. 25.

Obiectio.

mones enim, & damnati extra infernum nõnunquam diuino permissu degentes, gehennalem ignem secum ferunt, neq; tamen mali spiritus amburunt, quos obsident, aut dœmones ipsi, vel damnati naturæ munera impediunt, vbi degunt. Non ineptè quidem, potuisset enim Deus minimè læso huius mundi concentu, ita detinere in aere perpetua incendia, vt nullo essent impedimento naturæ functionibus, at non detinuisse, inde manifestum, quòd haud dicuntur mali ascendere ad infernum, vbi ardet æternus ignis, sed in gehennam descendere, idq; non vno Diuinæ Scripturæ loco. Solutio. Num. 16. Iob. 21 Eccl. 9. & alibi.

Quid de visione illa Fursæi? Multa sæpè in reuelationibus, aut visionibus ostẽdi in aliquo loco propter aliquã significationem, vel occasionem, non quia in tali loco illud opus fiat. Nec tamen de fide reuelationis, aut visionis dubitandũ; Deus enim tũc aliud intendit, quàm docere, vbi nàm existant ea, quæ ostendit, ac reuelat. In hac ergo visione, diuinæ mentis consilium erat, aperire Fursæo acerbitatẽ tartarei ignis, ac pœnarum, quibus afficiuntur peccatores, vt inter sacras conciones faciliùs incredulos ad Christum deduceret, & reuocaret à vitijs, & credentes in fide, ac amore Christi, & virtutum confirmaret, quod optimè factum, etsi nihil ibi de loco sit reuelatum. Probat id Suarez. T. 4 in 3. p. disp. 45 Sec. 1. n. 7.

Apostolus autem significat quidem dęmones quosdam in aere versari, quibuscum nobis colluctandum sit, at ibi infernum esse, non significat. Sunt enim præter dœmones in hoc aere existentes, quibus ab eorum principe, tentandi homines prouincia demandata est, alij innumeri ergastulo infernali mancipati, quibuscum nobis haud est colluctatio. Atq; hi verè in Gehenna sunt. Vagantes verò per aeream regionem, licet meritis supplicijs non careant, molestiasq; & cruciatus inferni secum ferant, non ferunt tamen locum. Qua de re tertio huius Tractatus libro. Dæmones in aere, non sunt in inferno.

CAP. XXXV.

Gehennam, in aqua suprà terram, non esse.



ROXIMVM aeri elementum est aqua, quæ multis in locis cōgregata, vt locum habitationi terræ relinquat, flumina, fontes, stagna, lacus, paludes, & maria gignit. Communem malis omnibus pœnarū locū in hoc superioris aquæ elemento esse, nullus est, qui affirmet. Repugnant enim, quæ de Gehēnalibus ardoribus creduntur à fidelibus, ac traduntur à Scripturis, & Patribus. Scio persuasum esse Islandicis populis improbas animas in gelidissima glacie iuxta Heclā montem cruciari frigore, indeq; in feruentissimum ignem duci, vbi torqueantur ardore. De qua eius gentis opinio-

Dith. Blef. l. 3. de mont. mir. Island. ne, hæc Dithmarus Blefkenius. [Sub initium Iulij, tempore anniuersario, glacies magna copia, noctu ex improuiso, circa Heclam alluit, ac vagatur rumor per totam insulam, immò creditur, damnatas animas in hac glacie torqueri, alternis vicibus in flamma in monte, & deinde in glacie.] Subditq; causam, quamobrem id opinati sint, quòd videlicet lugubres quidam gemitus, & veluti vlulatus ibi exaudiri viderentur. At vana est ea existimatio, vt Dithmarus ipse, re deprehendit; strepitus enim illi veluti plorantium oriebātur ab ipsa glacie à ventis allisa ad scopulos.

Non me fugit prætereà id, quod de palude quadam, fędoq; lacu, scripserunt Theophilus, & socij in vita D. Macarij,

Theoph. Serg. & Hygin. in vita D. Macar. torqueri nimirum ibi, Christi, eiusq; fidei desertores. At, & ea narratio dubia est, vti indicabitur non multò post, & si quid haberet authoritatis, dicendum esset, peculiari Dei dispositione factum, vt eo loci aliqui cruciarentur, latenti nobis causa, nam & alios certis in locis cruciari, doctores tradunt.

CAP. XXXVI.

Sit ne Gehenna in aliqua huiusce terræ parte. Cogitatum ab aliquibus, infernum esse in valle Iosaphat, quòd Gehenna, de qua in veteri Testamento, ad eandem Vallem pertineret. Ab alijs esse sub vtroq; cardine ob frigus, & tenebras. Ab alijs versus Antipodas. Ab alijs in tristi orbis angulo. Ab alijs extra hunc mundum.



IN nullo eorum corporum, quæ supra terram eminent, Gehennam esse, iam expositum est. Sequitur, vt dicamus, nùm terra ipsa infernum contineat; Et primò de superiori eius ora habendus sermo.

D. Io. Chrysostomus tradit, sensisse nonnullos Infernũ esse in valle Iosaphat. Ita Homilia de præmijs beatorum. Vberiùs alibi, hancq; sententiam appellat fabulam. Chrysostomi hæc verba sunt. [Vbi nam autem, inquiunt, & quo tandem in loco Gehenna hæc erit? Quid tu hac de re solicitus es? Hoc est, quod quęritur, vt eam esse demonstretur. Vbi nam autem reseruetur, & in quo loco noli quærere. Quidam enim fabulas narrantes, dicunt in valle Iosaphat Gehennam esse, quod de bello quodam dictum est iam elapso, si quidem in valle Iosaphat iusto iudicio puniens aduersarios, funditus perdidit, quorum ad septem annorum spacium arma suffecerunt habitantibus Hierusalem ad ignẽ succendendum; Et nunc ad Gehennam hoc trahunt: at hoc non dicit Scriptura.] Quòd igitur ibi Deus seuerè aliquando vindictam de hostibus sumpserit, existimasse videntur, ibi esse infernalium pœnarum locum. Angelicus Doctor similiter testatur, Iudæos quosdam conijcere, in valle Tophet, de qua Esaias cap. 30. esse infernum, quod duæ, quæ ibi existunt.

Chrys. hom. de præmijs beat. Hom. in 2. domin. aduent.

Ioel. 3. Eze. 39.

S. Thom. in c. 30. Esa.

palmæ,

palmæ continuò fumum emittant.

Ponentes infernum sub vtroq; cardine.

Antiquorum nonnulli, sibi persuadentes summam scelestorum pœnam fore frigus, & tenebras, existimarunt Tartarum sub vtroq; cardine esse. [Nonnulli antiquorum, ait Natalis Comes, tartarum locum esse crediderunt, sub vtroq; cardine, vt aiebat Crates, tum ob frigoris acerbitatem, tum etiã ob diuturnitatem tenebrarum.] Fortassè *Tartari* vox id suasit, eâ enim infernus nuncupatur, D. Anselmo teste, ob frigoris vehementiam. Antiquorum opinionem in hanc sententiam refellit Natalis. [Meo iudicio, ait, falluntur, quia multò maiores sunt tenebræ nocturnæ sub æquante circulo habitantibus, quàm prope cardines: Nam etsi continui sunt sex menses vna nox sub Arctico cardine, dũ Sol à principio Libræ, usq; ad finem Piscium signa meridiei percurrit, tamen non est adeo obscura nox, vt litteræ legi non possint.] Tùm subdit. [Ego sanè potius Zezæ opinioni accesserim, qui Tartarum subterraneum incendium esse credidit.] Adde vt inam densiores tenebræ, ac vehementius frigus, si naturam loci consideres, quam in centro terræ, quò nec scintilla quidem Solaris lucis, aut ardoris peruenit? Præterquamquòd à veritatis Magistro docti fuimus, non frigore tantùm, non caligine torqueri malos, sed ardentissimo potissimùm igne.

Natal. Com. Mythol. l. 3.

D. Anselm. de imag. Mundi cap. 11.

Matt. 25.

Dur. in 4. Sen. d. 44. q. 9. n. 7.

D. Isidorus posuit dãnatorũ carcerẽ (vt illi tribuit Durãdus) in aliqua huiusce orbis parte tristissima, miserrima, opposita terræ, quã nos incolimus, scilicet versus Antipodas, cũ enim scripserit fore, vt post iudicium, ac mundi finem Sol, & Luna stent in ordine, quo creati sunt, scilicet in Oriente; & Occidente, ne impij in tormentis fruantur eorum luce; cõsequens est, vt sibi persuaserit infernum minimè occludi in terræ visceribus, etsi enim Sol, ac Luna vsitato cursu vniuersam terram illustrarent, aut in quauis cæli parte consisterent, nihil inde lucis acciperent damnati.

D. Greg. Nys. Dial. de imm. & resurr. Ex versione Daniel. Augent.

D. Gregorius Nyssenus, explicauit & ipse alicubi, vt concipi possit Gehenna veluti diuersorium quoddam, & spaciũ animarum capax, in terra existens, quanquàm nihil hac de re statuat. [Eò, inquit, quòd sibi cõtinuus, & indiuulsus cælestis

polus,

polus, qui suo orbe omnia continet, & terra in medio, & quæ sunt circa eam considerentur, & omnium, quæ in orbem vertuntur motus sit circa id, quod est firmum, ac stabile, omnino, inquit, necesse est, vt quidquid ex elementis est in superna parte terræ, id quoq; sit ex aduerso, cum vna, & eadem essentia totam eius magnitudinem in orbem ambiat. Et quo modo cum Sol ortus est super terram vertitur eius vmbra sub eo quod est ei ex aduerso, cum orbiculata figura non possit simul in orbe intercipi ambitu redij, sed omnino necessario in quamcunq; terræ partem se Sol applicarit radijs, in centro aliquo ex orbe existens rectà diametro in altero fine erunt tenebræ: Et sic assiduæ cursu Solis ex aduerso rectæ radij lineæ simul obeunt tenebræ; Adeo vt ex æquo, & subterraneus locus, & is qui est super terram, sit vicissim in luce, & in tenebris. Sic in alijs quoq; omnibus, est consentaneũ, quidquid in nostro terræ hæmisphærio cernitur, idem etiam in altero esse, non dubitare. Cum autem in vniuersa terra sit vnus, & idem elementorum ambitus, neq; contradicendum, neq; suffragãdum arbitror ijs, quæ de his obijciuntur, quòd oporteat locum aliquem in terra esse deputatum ex corporibus exsolutis animis.]

D. Io. Chrysostomus alicubi extra hunc mundum Gehennam collocauit. Sic enim respondet interroganti vbinam sit. [Alicubi extra hunc mundum, vt mea quidem fert opinio. Nam quemadmodum regum carceres, & metalla longe distant, sic alicubi extra huncorbem terrarum est Gehenna.] Chrys. homil. in 2 dom adnent. & h'om. de Gehenna.

Idem Auctor operis imperfecti sensit, idq; ex eo collegit quod sontes in tenebras exteriores mittendos esse, Christus prædicarit. [Considerandum est, ait, vt quid non dixit, mittite eum in tenebras interiores, sed in tenebras exteriores. Quidam dicunt, non tantum esse infernum deorsum, sed extra mundum ipsum esse aliqua tenebrosissima loca, & ignea, in quibus puniuntur, qui digni sunt.] Auct. op. imp. in Matt. hom. 35.

CAP.

CAP. XXXVII.

Theophilum Sergium, & Hyginum Monachos, lacum tormentorum, & suppliciorum, in quo sontes dabant scelerum pœnas, propè vltimos Orientis fines, inuenisse. Quid censendum de fide eius narrationis.



ON erit, opinor, iniucundum lectori audire, quid de infami quodam lacu, ac pestilenti palude, narrarint Theophilus, Sergius, & Hyginus Monachi, in vita S. Macharij Romani, qui ab eis inuẽtus est propè Terrestrem Paradisum. Hi extremos terræ fines inuisendi studio, longa peregrinatione Orientem versus suscepta, vbi multas regiones lustrassent, Hierusalem, Persarum terram, Assiam, Indiam Chananeorum plagam, Pygmeorũ loca, & inacessibiles deniq; terrarum tractus, columbæ ductu ad Absidam quandam peruenere, quæ ibi Macedonis Alexandri Imperatoris iussu collocata fuerat, cum Darium Persarum Regem persequeretur. Absidæ inscriptione edocti, vt tenderent ad sinistram, post quadraginta circiter dies accessere ad ingentem lacum, horrendamq; fossam, è qua miserabiles vlulatus exaudiebantur, & emergebant nonnunquàm horrendi serpentes, flammam, fumumq; spirantes. Flebiles autem voces, quemadmodum cęlitus edocti intellexerunt, ab ijs emittebantur, qui, eo in loco ab igneis serpentibus cruciati, luebant scelerum pœnas. Sed præstat rem totidem hîc verbis subscribere, quot eam illi ipsi recitarunt. [Nobis valde afflictis in oratione persistentibus (pertransierant iam densissimarum tenebrarum loca) post dies septem affluit columba, quæ nobis appropinquans, & diù circa nos volitans pennulas fortiter percutiens, quasi ad ambulandum

nos

nos confortabat, tunc nos Deo agentes gratias surreximus, illaq; præcedente per deuia iter fecimus; & ecce ante nos maximam inuenimus absidam in circuitu inscriptam. Videntes vero scripturam illam gauisi sumus,& collaudauimus Dominum. Hæc autem erat scriptura. ABSIDAM istam fecit Alexander Philippi Macedo Imperator, quando percussus est Darium Regem Persarum,qui terram hanc ingredi voluerit ad manum sinistram vadat: ad dexteram enim terra inuia, & rupibus, & angustijs est PLENA. Nos igitur ad læuam intrantes,ambulauimus dies multos. Et factum est post quadraginta dies, euntibus nobis, venit pessimus, & intolerabilis fœtor, ex quo veluti exanimes effecti, cadentes in terram, orauimus Dominum, vt iam clementer recipi iuberet animas nostras. Post modicum verò surgentes à terra adspeximus lacum magnum, & multitudinem serpentium in eo ignitorum,& audiuimus vlulatum,& planctum magnũ quasi populi innumerabilis; & de Cœlo vox insonuit dicens, locus iste Iudicij, & pœnarum est, in quo cruciantur, qui Christum negauerunt.]

Hucusq; Theophilus Sergius, & Hyginus, quorum visa non esse numeranda inter fabulas,aut Dæmonum spectra Rhaphaelis Archangeli ad Macharium verba testantur. Dum enim eos certiores redderet Macharius actę vitę,suęq; in ea loca profectionis, ait inter cœtera venerandum quendam senem,qui dux fuerat itineris,hæc sibi locutum,vt eum solaretur ægrè ferentem discessum suum. [Noli turbari dilectissime ego enim sum Angelus Raphael in adiutorium tibi missus, qui te huc perduxi præcepto altissimi. Dominus autem viam hanc prosperam fecit. Loca siquidem tenebrarum,loca tormentorum, loca pęnarum pertransisti in lucem venisti,fontem aquę viuę,& loca iustorum vidisti,idcircò noli timere;sed surgens viam tuam proficiscere.] Angeli ergo Raphaelis testimonio,lacus ille à Deo deputatus erat malorum pœnis.

Theoph. Ser. & Hyg. in vita S. Mach. Rom. apud Rosuet. in vitis Pat. L. 1.

Verùm ità ne se res habet,Christianę fidei desertores minimè in Gehennam mitti,nec ad profunda inferni, sed in

De dicta narratione, sententia.

M fœli-

fęlicisſima orbis parte Orientali videlicet infelicisſimè viuere poſt mortem in cruciatibus,& ærumnis, non longè ab ipſomet deliciarum Horto? Mihi certè id nuſquàm alibi lectum, immò ſi dicendum ſit,quemadmodum ſentio de memorata ſententia. Multa ſunt, quæ vniuerſam eam narrationem valdè dubiam faciunt. Vt enim referunt ſe fœtentia pœnarum loca vidiſſe,in quibus improbi cruciantur,ſic & flagrantes ſuauisſimis odoribus campos, in quibus iuſti fœlicisſimè viuunt Deo pſallentes. Id autem proximè accedit ad errorem quorundam Græcorum exiſtimantium, iuſtorum animas haud ſtatim volare in cælum,ſed alicubi ad certum tempus ſeruari, vbi licet Deo non fruantur, viuant tamen fœlices,quod damnauit Florentina Synodus.

Narratio Theophili,& ſociorum dubiæ fidei.

Conc.Flor.in Litt. vnionis ſeſſ. vlt.

Aliæ prætereà accedunt coniecturæ. Quis enim ſibi perſuadeat, enormis magnitudinis hominem centum videlicet cubitorum, catenis ęreis inter duos montes vinctum, flammis,ardentisſimoq; igne vndiq; circumſceptum,ibi miſerè torqueri? Quis credat,infœlicem fœminam in profundisſima valle degentem ingenti dracone circumuolutam eodem in loco angi miris modis? Quis non inter fabulas referat, quod de volatilibus recenſent,in eadem regione voce humana validè clamantes. [Parce nobis Domine,qui plasmaſti nos, Parce nobis miſericors, quia peccauimus ante faciem tuam ſuper omnem terram.] Hæc ſane aut figmenta ſunt,aut Dœmonum ludi, quamobrem Cardinalis Baronius in Martyrolog. Romano ad diem 11. Ianuarij,ait, ſuppreſsâ tamen causâ, Acta hæc auctore Theophilo minus probari. Non negarim tamen, poſſe ſine vlla abſurditate dici, aliquos ſceleribus inſignes, Diuina diſpenſatione, pœnas in eo lacu dare, ſcimus enim,certis in locis non nullos vitâ functos ſuſtinere facinorum pęnas.


Baronius in Martyr.



CAP.

CAP. XXXVIII.

An infernus existat propè ea terrarum loca, quæ ignes emittunt. De monte Aetna, existimasse nonnullos, ibi esse quoddam inferni spiraculum.



NON defuerunt, qui sibi persuaserint propè ea loca, quæ in maxima copia, in hac terræ superficie, ignes emittunt, cruciari addictos æternis flãmis, ac nonnisi à gehennali cratere eos ignes emitti. Suaserunt id mira, quæ narrantur incendia, aliaq; prodigiosa admixta incendijs. In multis terræ locis hæc visa, hodieq; visuntur, de quibus singillatim disserere, non est instituti mei. Persequar summatim nonnulla, quæ apud scriptores leguntur de Aetna, Vesuuio, & Hecla, tribus inter alios celeberrimis montibus, uarijs flammarum eruptionibus, hi enim potissimum inferni ora, & hiatus à plurimis habiti. De Aetna quidem, cum mirandæ adeo ignium eructationes recenseantur, tum antiquæ, quales sunt, quæ acciderunt Gn. Seruilio Cępione, & C. Lelio Coss. Seruio item Flacco, & Q. Calphurnio Coss. ac M. Aemilio, & L. Aurelio Coss., tum recentes, quales illę de quibus Laurentius Surius, & Antonius Philot. Non satis constat vnde nam proficiscantur tanti ignes, qui aut palàm, aut latenter continuò ardent, ni à gehennali fornace emittantur. Aetnę cõflagrationes. Laurent. Sur. Chronic. ad ann. 1537. Ant. Phil. in Typ. Aetnæ.

Antonius Philotheus testatur, horrenda adeo incẽdia ex eo monte erupisse anno salutis M. D. XXXVI. vt quisq; , sed plebs potissimum, censeret, Aetneum illum craterem esse inferni os. Et quidem non sine argumento. Quis enim putet, eandem terræ partem, eundem terræ sinum posse perpetuò eos ignes fouere? Quis existimet, illis sine cessatione tantum alimenti suppeditari, vt nunquàm emoriantur?

Ab aliquo igitur occulto incendio manant, quod cum perpetuum diuina virtute sit, nunquàm deficientem ignem emittit: Hinc huiusmodi ignes appellantur inferni fumariola, ac magni, & inęstimabilis gehennæ foci missilia, & exercitatoria iacula. Atquè Diuus Gregorius, alijq; permulti probitate morum, & insigni doctrina illustres, tradidere deductos fuisse plurimos mortalium, qui vitam in peccatis exegerant, ad hosce Aetnæ focos, vt in illis pœnas luerent, quod satis patebit, cũ varijs exemplis probabitur, diuina permissione, notæ cuiusdam improbitatis homines in hæc incendia coniectos.

Tert.l.de pęnitent. c.12.

G.l.4. Dial.c. 30.

CAP. XXXIX.

De incendijs Heclæ montis. Mira ibi videri spectra, & mortuorum simulachra; Exaudiri voces, & vlulatus; Opinari ea de causa Islandiæ populos, in eis ignibus improbos cruciari.



QVAE etiam de ignibus, alijsq; mirabilibus Heclæ, Islandiæ montis, scribunt viri fide digni in tantam rapiunt admirationem earum regionum gentes, vt pro certo habeant, infernum ibi esse, ardentem spiritum exhalantem. Idq; sibi persuadent, vt refert Olaus Magnus, quòd pręter continuam ignis eruptionem, vmbræ mortuorum hominum, variaq; spectra se se obijciant aduenis. Hæc Olaus de Islandia terra. [Insula est insolitis miraculis prædicanda. Rupes enim, siuè promontorium in ea est, quod instar Aetnæ perpetuis ignibus æstuat, ibiq; locus esse creditur pœnæ, expiationisq; sordidarum animarum. Illic nempè spiritus, seu vmbræ comperiuntur, se exhibentes manifestos humanis ministerijs, submersorum, siuè alio violento casu enectorum. Spectra se se offerunt congressibus tam manifesta, vt tanquam viuētes accipiantur ab ignaris mortis illarum, data dextera.] Atq; ad hæc, putat Olaus, respexisse Virgilium, cum cecinit.

Ols.Mag.l.2. de mir. nat. rer. sept.c.3.

Hecla.


Continuò

Continuò auditæ voces, vagitus, & ingens,
Infantumq; animæ flentes in limine primo.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi, sic illos nomine dicunt. Virgil. 6. Aeneid.

Gaspar Peucerus mirabiliora tradidit. [Hecla inquit, immanis barathri, vel inferni potius profunditate terribilis, eiulantium miserabili, & lamentabili ploratu personat, vt voces ploratium circumquaq; ad interuallum magni milliaris exaudiantur. Circumuolitant hunc coruorum, & vulturum nigerrima agmina, quæ nidulari ibidem ab incolis æstimantur. Erumpunt ex eodem monte fontes duo, quorum alter aquarum frigiditate, alter feruore intolerabilis excedit omnem elementorum vim. Vulgus incolarum descensum esse per voraginem illam ad inferos persuasum habet, inde, quod ferè, quum prælia committuntur alibi in quacumquè parte orbis terrarum, aut cędes fiunt cruentæ, commoueri horrendos circùm tumultus, & excitari clamores, atq; eiulatus ingentes, longâ experientiâ didicerit. Gasp. Peuce. lib. 1. de diui.

Dithmarus Blefkemius eadem fermè tradit de hoc monte, quę Peucerus, aitq; & ipse, vulgi persuasione, ibi damnatorum animos torqueri, atq; in Islandia communem famam vagari, Piscatorem quendam, iuxta Heclam nauigantem, habuisse obuiam nauem, quæ Bremensem Episcopum, ad eum montem cruciandum deferebat. Dit. Blef. l. 3. de mont. mirab. in Islãd.

Multa hîc notatu digna, mortuorum simulachra, miserabiles eiulatus, acies coruorum, ingentes strepitus post celebres hominum cœdes, quæ non videntur aliud notare, quàm pœnas improborum, ac pessimos dæmones, quibus familiare est earum auium species induere.



CAP.

CAP. XL.

De Vesuuio monte, eiusq; miro ardore, de giganteis formis, quæ aliquando cum fumo visæ sunt erumpere, de clangore buccinarum ibi nonnunquam audito, & alijs, quæ suadent, ibi gehennam aperire fauces.



CELEBERRIMUS similiter est mons Vesuuius, in Neapolitano agro, quem alij Vesbium, nonnulli Vesuuium nominant; eius plura à Scriptoribus narrantur incendia, de quibus Dion Cassius. Plinius Iunior, & alij. Vnum hîc referam ex citato Dione, admirandum illud, & ad rem nostram accommodatum, quòd horribilia, quæ tunc visa sunt spectra, gementium vlulatus, & dolentium mugitus, nec non buccinarum funesti soni, subindicare videantur proximè ad eũ locum, tartareum regnum fuisse. [Eo tempore (inquit Dion exponens, quæ euenerint circa eius montis conflagratione) magnus numerus hominũ inusitata magnitudine, quales gigãtes finguntur in eodem monte, regioneq; finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu, noctuq; vagari, versariq; in aere visus est. Post hæc consecuta est maxima, siccitas, ac repentè ita graues terræ motus facti, vt & omnis ea planicies feruida esset, & culmina montium subsiderent. Ad hæc sonitus tum subterranei tãquàm tonitrua, tum super terram mugitibus similes extiterunt, deinde mare simul fremere, omne cœlum vnà sonare, ingensq; & repentinus fragor, quasi montes simul considerent, exaudiri. Tum ex lire primùm immensi lapides, & ad summos vertices peruenire: deinde magna copia ignis, fumiq;, ita ut omnem aerem obscuraret, occultaretq; Solẽ, non aliter, quàm si defecisset. Igitur ex die nox, & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nõnullis, gigantes seditionem inter se facere, quod multæ imagines

Dion. Cas in hist. Rom sub Tito XI. Plin. Iun. L. 6. Epist. Tacito.

gines eorum in fumo conspicerentur, quodq; clangor tubarum audiretur. Alij existimabant, aut mundum in chaos redigi, aut igni consumi.] Quid fuisse existimandum est, immanes illas, trucesq; gigantum species, nisi teterrimos Dœmones, qui diuino consilio, ad terrendos malos, admixti igni, in quo torquebantur, ex ardentissimo inferni hiatu egrediebantur? Quis non putet subterraneos mugitus fuisse damnatorum lamenta, Clangores deniq; tubarum ab humani generis hoste uenisse, exultante, & triumphante, ob hominum perditionem, atq; ob crudeles pœnas, quas ibi dant ij, qui in eum ignem coniecti sunt?

Tertullianus Vesuuium promontorium inferni fumariolum appellauit, ad eum enim montem allusit, ut adnotauit doctissimus Rhenanus, cum ait. [Quid illum thesaurum ignis æterni existimamus, cum fumariola quædam eius tales flammarum ictus suscitent &c.] Atq; Sanctus Patritius Episcopus Prusæ, qui sub Titio uixit, eius montis ardorem, non alia de causa, uidetur appellasse Diuinum, quàm quòd eo plectantur mali. [Vidi etiam, inquit cum doceret Tyrannum, puniri flammis scelera, Neapoli montem, ex quo diuinus ille ignis erupit, & ueluti saliens unda trecentas ulnas ultra montis uerticem elatus, terram exussit, & saxa decoxit.] Tertul. l. de pœn. c. 12. Sanct. Patr. apud Matt. Bader. in virid. Sanct.

Quin Petrus Damiani testis est, ex hoc monte uehementiores, ardentioresq; flammas erumpere, cum quis ad æternas flammas destinatus emoritur, ubi enim retulit interitum & damnationem Pandulphi principis Capuæ, & Ioannis magistri militum Neapolitanæ ciuitatis, sic inquit. [Ipse quoq; Magister militum Ioannes, antequàm istas partes imperator attingeret, vix diebus quindecim superuixit. Quo mortuo mons Vesuuius, vnde videlicet gehenna frequenter eructat, in flammas erupit, vt liquidò probaretur, quia fœnũ, quod à dæmonibus portabatur, nihil aliud fuit, nisi ignis trucis incendij; qui prauis, & reprobis hominibus debebatur. Nam quãdocumq; in illis partibus reprobus diues moritur, ignis erumpere de prædicto monte videtur, tanquamquè sulphureæ ratinę cõgeries ex ipso Vesuuio protinus fluit, vt tor- Petr. Dam. ad Dor. Ionic. Ep. 5. ca. 13. & 14. Excrescunt Vesuuii flãmæ, cum reprobus qui emoritur.

ren-

rentem faciat, atque decurrente impetu in mare descendat, vbi videlicet corporaliter videri potest, quod in Apocalypsi Ioannis de reprobis dicitur, quia pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda].

Apoc. 21.

[Enimuerò, subdit idem author, & Salernitanus princeps, huius videlicet Guaimarij æquè principis, qui ante non plures annos pro multis violẽtijs, atq; tyrannicis oppressionibus suorũ gladijs peremptus est, auus, cum procul aspexisset quadam die de prædicto monte Vesuuio piceas, atq; sulphureas repentè flammas erumpere, protinus ait: proculdubio sceleratus aliquis diues in proximo moriturus est; atq; in infernum descensurus, sed ò cæca mens reprobi hominis, immò super nos terribile iudicium conditoris, superueniente siquidem proxima nocte, dum securus cum meretrice cumberet, expirauit. Quem illa (vt postmodùm referebat) quid contigisset ignorans diutius pertulit. Et vix tandem a se, non hominem, sed cadauer exanime, prostituta deiecit.]

Ex eodem Vesuuio erumpentes flammæ, scelesti alicuius mortem significant.

Accedit his, quæ diximus, communi aliquando Christi fidelium voce responsum admirantibus tantam ex eo monte ignis copiam erumpentem, non aliunde efflari incendia, quàm a gehenna. [Tertio anno; ait Cedrenus, Titi Vespesiani F. Besbius mõs in occasu à vertice sũmo ruptus, tantũ ignis efflauit, vt ea regio, vrbesq; circumiacentes incensæ fuerint. Quod cum vidissent Græci vehementer admirati, quosdam Christianorum primarios interrogarunt, quo nam modo, atq; vnde ignis ex penetralibus erupisset. Hi responderunt, cum admonendorum resipiscentiæ causa peccatorum editum fuisse ex gehenna, quæ diabolo, eiusq; angelis, & omnibus peccatoribus parata est]. Videntur hæc omnia non obscura argumenta, haud longè ab eo monte latitare improborum carcerem, cuius flammæ exultent quodammodo, & gestiant, in magna incendia excrescentes, cum scelesti, illius ignis immortale pabulum, eò pelluntur.

Cedren. cõp. Hist. in Tito.

CAP.

CAP. XXXXI.

Apud hosce montes communem Dæmonum, animorumq́; carcerem non extare. Erumpentem inde ignem a Gehenna non emitti. Efflari naturaliter, quod terræ meatus sulphureâ materiâ abundent, quæ ab incluso spiritu accenditur, accensa aditum quærit, & erumpit.



MBIGI profectò non potest, quin digna sint admiratione, quæ de hisce montibus commemorauimus; sapientum tamen sententiâ, non censentur huiusmodi, quæ persuadeant, aut ibi puniri dæmones, & malos homines, aut exeuntem inde nonnūquàm ignem proficisci ab ea fornace, quam Deus ab initio mundi comburendis re'is pręparauit.

Quatuor in primis (quantùm licet ex ijs, quæ diximus colligere) subindicant igniuomos hosce montes à diuina iustitia cruciandis post mortem impijs destinatos esse. Maxima ignium copia, quorum causam dare difficile videtur. Horrendæ quædam formæ, quę non nisi dæmonum, aut humanarum animarum censentur. Terribiles voces, vlulatus & gemitus, nec non tumultuātium strepitus; & buccinarum clangores. Postremò Patrum, aliorumq́; doctorum, ac piorum hominum dicta, queis retulere, scelestos eò deferri ad luendas pœnas:

Quæ suadeant extare infernum apud montes ardentes.

De his ordine differendum, & primò, vti propositum est, de igne. De quo statuo, haud esse verisimile à gehenna efflari. Est enim, quemadmodum patebit suo loco, tartareus ignis in infima terrarum parte, centro videlicet, eumq́; cætera subterranea receptacula ordine circumstant; quamobrē peruenire ad terræ summitatem non posset, nisi priùs infantum Lymbum, ac Abrahæ sinum suo ardore, ac fœtore

turbaret, quod quidem indecens videtur, tum ob puerulos, tum ob Sanctos Patres, qui, ante Christi in cœlũ ascensionem, eam regionem occupabant.

Quid quod, cum inferni ignis sit finitus, neque noui alimenti appositione gignatur, & augeatur; aut tot iam transactis incẽdijs inferorum gurges nihil sibi retinuisset ignis, aut ad perpetuum miraculum confugiendum esset, quotidianam scilicet recentis ignis creationem. Quî enim fieri potest, vt è gehennali cauerna nunquam ferè nõ exhalet ignis, qui in fumum, & auras euanescat, ni diminutio quædam eius incendij fiat, à quo erumpit? Immò, quî fieri potest, vt progrediatur è barathro, quod tot milliaribus a terræ superficie distat?

Statuendum ergo est, latere aliquid in terræ visceribus, eius oræ vicinius, quod inflammatum spiritum emittit; Cuiusmodi autem id sit, aut, quomodo oueniat, aliud poetæ, aliud philosophi loquuntur. Poetæ quidem fabulas, quibus nec illi ipsi fidem habebant. Enceladum Iouis fulmine percussum, præmi Aetnæo monte, atq; ex ambustis faucibus spirare ardentem ignem. Ita Virgilius.

Vir. in 3. Aen.

Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Aetnam
Impositam, ruptis flammam expirare caminis,
Et fessum quoties motat latus intremere omnem,
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.

Sed apud poetas non moror, de his dicam, qui rerum causas accuratiùs peruestigant. Vna est omnium sententia, erumpentis ignis causam naturalem esse, quòd nimirùm sulphur, seu bitumen, vel alumen, apta ad ignem suscipiendum materia, in terræ visceribus genitum atq; in amplis cauernis, ac latis terrę venis inclusum, quę ob terræ tenuitatem per facilè ventis, & flatibus replentur, ventorum, & exhalationum colluctatione accendatur, obidq; cum expirare omnino ignis velit, ingentes flammas erumpere, & nonnunquàm saxa, & cineres, impellente vento. Sed lubentiùs fortè lector audiet Antonium Philothæum, qui incendia Aetnęi montis

accu-

accuratè considerauit, & elegantissimè recensuit ignium causas.[Sicilia,inquit,angustis quondam faucibus Italiæ adhærens superi,inferiq; Maris(quod totò vndarum onere illuc vehitur) impetu veluti à corpore direpta, vnde sibi Siciliæ nomen sortita est,quasi Sicilita,& resecata; terram habet tenuem fragilem, & cauernosam,fistulisq; ita penetrabilem,vt ventorum tota fermè flatibus pateat.Nec non & ignibus generādis, nutriendisq; soli ipsius naturalis est vis, quippe quod intrinsecus stratum traditur sulfure, quod in venis terræ, ceu decoctus quidam ardor, tam valida, & firma partium confusione insistit, vt oleum eius nulla arte in cæteris rebus separari posse Plinius asseueret, & propè Siciliam optimum nasci libro 35.c.15.affirmet: Bitumine etiam, quod ex limo, exundante tellure fit, & Alumine, quod ex terræ quoq; salsugine coactatur, quæ res facit, vt cum tellus ipsa foraminibus, canalibusq; distincta, & ceu corpus humanū venis ossibus, neruisq; cōpacta,propter venarum, & sui Ipsius partium differentiam, omnino in se coire non valeat, siue quòd aut semper aliquid de nouo producit,aut perimit, vel immutat; non semper vnum idem in se retinet,stante maris vicinitate, quòd omnino est in causa, vt in quacumq; telluris parte nuspiam maiores fistulæ,crebręq; cauernę,nec meatus existant ampliores, quàm ijs in locis, quæ vel æquori vicinia sunt, vel ab eo protinus abluuntur.Quippe quia mare suapte natura fluxu,refluxuq; semper, & suopte contactu aliquid exedendo consumit, quasq; telluris partes debiliores reperit, membraquè fragiliora, multò faciliùs erodens, intima in viscera pergit. Vnde cum suo impetu, sibi viam in telluris cauernas faciat,aditum quoq; ventis parat,quibus inde furentibus,loca quęq; maritima,uel mari finitima maximè sūt terræmotibus subiecta, tanquàm magis spongiosa, & subantrosa, ubi maximæ fiunt exhalationes, ut 2. Meteor. Aristotel. testatur libro,ubi de Sicilia in his ponuntur exempla.Tum demum si in uenas sulphureas,uel bituminosas, & aluminosas inciderint uenti,spirituū colluctatione intrinsecus facta, non difficulter suscitantur incendia. Quapropter igne in massam

Sicilia cur id nomen acceperit.

Bitumen, & alumen vnde gignantur.

Paulò post.

N 2 illam

illam præpinguem, & incensibilem immisso, ventorum iterum, & maris colluctationibus insistentibus, necesse est, vt tellus non valens inclusum incendium diu(vti maturum fœtum)alueo comprimere, scissa cute, ruptisq; fornacibus, non visceribus modo debilioribus, sed planè neruis etiã ossibusq; fortioribus terræ correptis, hoc est ipsius frangibilioribus partibus, ac saxis durissimis veluti corporis humani ossibus pęnè aut liquefactis, aut effossis, furentibus ventis, vi sua exitũ sibi parantibus, incrementa illa, quasi parientis nisu, strepitu, atq; sonitu eiectare cogatur.] Petrus Bembus similes causas vberrimè subministrat.

Petr. Bem. in Dial. de Aetna.

Quod autem de monte Aetna dictum est, idem censẽdum de Hecla, & Vesuuio, alijsq; montibus varijs in locis ardentibus. [Montes, (ait Scholiastes librorũ D. Augustini de Ciuitate Dei, cuius verba refero, quod sententiã acceperit ab antiquis philosophis, quemadmodùm, & Philotæus] multis in locis ardent, vt Aetna in Sicilia, & in Hiera, quæ olim Therasia propè Siciliam Vulcano sacra, in qua est collis nocturnas euomens flammas: tum etiam Theon Ochema in Aethiopia: Vesuuius in Campania, & Lycia Chimęra, & trans Herculis columnas, quædam nocturnis incendijs conspicua, quædam diurnis: alij ardentium faciem ostendunt, vt iuxta Pygmæos, & prope Sybratas in Aphrica. Causam ardorum montium innumeri quæsierunt, mandaruntq; litteris. Plurimorum sententia est, esse venas sulphureas subterraneas, quæ quum latis cauernis spiritum admisere, ex concussione illa generatur ignis, sulfure fomenta suppeditante. Sic Aetna, sic Vesuuius, & Gaurus Campaniæ ardent, quę maximè regio, vt inquit Seruius, sulphur desudat. Flatu verò agitato incendia existere, uel hinc deprehẽdi potest, quòd non omnibus uentis ardores illi proueniant, sed ijs tantùm spirantibus, qui subire per aduersas speluncas possint, ut in Aetna, Euro, uel Aphrico: quumq; sulphur non semper suppetat, fit, ut Aetnę incendia non sint continua, quemadmodum nec Liparę Insulę, cuius ardorem deficere, tradit Xenophanes, sed anno septimo redintegrari.]

Lud. Vi. annot. ad c. 4. l. 21. D. Aug. de Ciuit. Dei.

Cum

Cum habeāt ergo hæc incendia naturalē causam, nulla ratio suadet, ibi esse patentia quædam gehennæ ora, aut emissum inde ignem, illum ipsum esse, quo discruciantur iniqui post mortem, vt Cardinalis Baronius monuit in hæc verba [Licet autē, ait, poeticè magis, quam theologicè credita sint eiusmodi ora terræ euomentia iugiter flammatum globos, esse inferni portas, & quòd idem ignis sit ille inferni, peccantibus præparatus, atq; id scripsisse reperiantur antiqui theologi non vulgares, tamen certum est, ista potius similitudinem gerere illius gehennæ, mortalibusq; in exemplum, vel indicium posita gehennalis ignis illius, qui sine luce ardens animas simul comburit, & corpora, cui tantùm peccata fomenta ministrent.] Baron. T. 10. ad an ꝰ 983. n. 6.

CAP. XXXXII.

Montes, aliaq; terræ loca, quæ ignem exhalant, non semper ardere, inde confirmatum non esse inferni ostia.

EXIGIT res, vt aliquid subijciam de huiusmodi incendiorum duratione. Ea namq; si perpetua sunt, vt aliqui videntur sensisse, nec liguriunt tamen montes, easq; terræ partes è quibus erumpunt, excedere naturæ fines ea incendia videntur, ac omnino cum igne tartareo conuenire, cuius ea vis est, vt amburere corpora perpetuò possit, absumere non possit.

Euentus declarat Aetnam, Vesuuium, & reliqua promontoria non semper flammas euomere, ac extrinsecùs saltem ignem, & ardorē extingui. Num verò occultè semper ardeant, id conijci potest, affirmari non potest. D. Augustinus, de montibus Siciliæ, hæc scribit. [Quidam notissimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis, atq; vetustate vsq; nunc, & deinceps flammis æstuant, atque integri perseuerant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi.] Aug. 21. de C. D. c. 4. principio.

absumi.] Quibus innuit nunquàm cessare incendia horum montium, quod de Aetna, Antonius Philotæus scripsit. [Incendia, inquit, & eructationes huiusce montis, quamuis alij hoc mirum putauerint, nunquàm deficere censentur, nec etiam mons in totum vnquàm subsedisse dicitur; quippe quod humore, & calore, vt innotescit, omnia concipiuntur naturaliter; Cumque semper ardeat Aetna, saltem intra viscera, & semper ab æquoris vndis contacta perlustretur, ignis, qui consumit semper aliquid, gignit & semper ibi aliquid, quod consumat suo ipsius calore, tellurem humectantibus vndis, semperq; igni materiam subministrantibus, qua alatur. Vnde futuris etiam temporibus Aetnça per suas vices incendia non deerunt.]

Ant.Phil. in Typ.Aetnæ.

Incẽdia mõtium penitus extingui, probabilissimũ.

Mihi probabilius est, extingui nonnunquàm penitus ignem. Vix enim sufficeret vniuersa terra, si perpetuò ignis aliquid eius depasceret; nec enim verisimile est, exiguo calore posse tantum alimenti gigni, quantum dies, noctesq; vorare flamma potest. Maximè cum per subterraneos meatus vndę fluant, quę reliquias ignis, si quę supersunt postquàm multùm exarsit, facilè suffocabunt. Accedit coniectura quòd, si ignis, semper absumeret sulfur, seu bitumen, & alumen incẽdiorũ fomenta, quæ in terræ cauernis gignũtur, proculdubio, aliquot annorum elapso curriculo, haud erumperent ignes in tanta copia, nec per longum tempus durare posset incendium. Extinguuntur ergo ignes nonnunquàm, quamuis etiam aliquando occultè ardeant, præsertim quum exigua, tenuisq; materia adest, adeoq; debiles spiritus latent, vt eleuare ad os montis ignem non possint. Quo vero tempore non ardet ignis, sulfur, bitumen, atq; alumen, gignuntur, idonea ignis pabula, quæ dem flatibus, ac ventis per terrę fistulas commeantibus accenduntur, erumpũtq; aut per patentes terræ crateres, aut propria vi, ingenti hiatu facto.

Neq; his aduersatur Augustinus, qui tantùm voluit, singulis fermè sæculis, & eo magis, arsisse montes, nec tamen deletos esse.

Hoc

Hoc vnum verò de quo dictum est, sat probat, Montes illos,& alia, quæ alibi visuntur ignis spiracula, haud esse Gehennæ caminos. Siquidem infernale incendium, vt minimè nouis alimentis indigum, viuacissimè perpetuò, eodemquè tenore ardet, nec extingui quo quo casu potest; quamobrem, si qui aliquando ex ijs terræ aperturis exhalarunt ignes, venissent a gehenna, adhuc profectò exhalarent. Quæ enim dari causa potest, cur cessarint? Haud certè defectus sulphuris geniti in finibus montium, hoc enim non indiget tartareus ignis, vt viuat. Haud tenuitas ignis, qui maximi vigoris conditus est. Haud deniquè maximum interuallum a terræ centro, ad summitatem; vetuisset enim id aliquando ascendere.

Sed video, quid obijci hoc loco possit; Emitti quidem à gehennali fornace eos ignes, nec tamen opus esse, vt semper emittantur, cum speciali quodam Dei mandato erumpant, vel ad puniendos etiam in hac vita sontes, vel ad docendos mortales, manere post mortem peccatis pœnam, manere sceleribus supplicia; quo pacto haud necesse est eos ignes nunquàm deficere. Deficiunt enim, quum Deo lubet ac eò reuertuntur, vnde accepti sunt, & rursus, quum diuina sapiētia cognoscit, id tempus postulare, exeunt diuino imperio, & veluti reuiuiscunt. Obiectio.

At, num quæso opus est diuinę omnipotentię satanicum regnum nudare suo igne, vt plectat in hac vita malos, vt vitam hominum rectè instituat? An quum ignis Pentapolitanos combussit, & infames urbes deleuit; an quum egressus est de altari holocaustorū, & combussit Nadab, & Abiu ritè non obeuntes Sacerdotij munus; an quum extinxit ducentum quinquaginta uiros, qui insurgentes in Mosen, & Aaron offerebant holocausta coram domino, eum Deus ipse quasi mutuo accepit a gehēna? Minimè uerò. Sanè, uisi sunt è montibus ignes erumpere, absq; cuiusuis detrimento, aut si quem læserunt, bonum æquè, ac malum lęserunt: Cumquè uix aliquando montis uerticem attingant, uixquè exiguo fumo latentis ardoris dent inditia, inane est cogitare, extrahi è gehenna Solutio. Genes.19. Leuit.10. Num.16.

henna flammas singulari Dei mandato, ut inde homines conijciant æterni ardoris uim propè infinitam.

CAP. XXXXIII.

Esse huiusmodi incendia, quadam infernalis ignis exemplaria; ac voluisse Deum varijs in locis è terra ardentes flammas erumpere, vt mortales intelligerent, malis post mortem, ignitum carcerem sub terra latere.



HAUD tamen inficior (quanquàm erumpentes illi ignes ab infernali incendio haud proueniant,) quin exemplaria quędam sint ęternalis ignis, ijsq; Sancti Patres, ueluti argumentis quibusdam utantur, ad declarandum mortalibus, sæuum, ardentemq; ignem sub terra malis seruari. Tertullianus lib. de pœnitentia. [Quid illum, ait, thesaurum ignis æterni existimamus, cum fumariola quędam eius tales flammarum ictus suscitent, ut proximę urbes, aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœta. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat, cum dissilant, cum deuorentur, nunquàm tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium, non iudicij minantis exemplaria deputabit? Quis scintillas tales non magni alicuius, & inæstimabilis foci missilia quædam, & exercitatoria iacula consentiet?] Et alibi horum montium exemplo insinuat, quàm sæui, & diuturni sint malorum cruciatus.] Montes, ait, uruntur, & durant, quid nocentes, & Dei hostes?] D. Augustinus Aetnæis incendijs probat, sine consumptione posse æterno tempore damnatos igne crucianto torqueri. [Quidam, ait, notissimi Sicilię montes, qui tanta diuturnitate temporis, atq; uetustate, usq; nunc, & deinceps flammis ęstuant, atq; integri perseuerant, satis idonei testes sunt

Tertull. l. de pœnit. c. 12.

Tertul. in Apol. c. 48.

Dug l. 21. de C.D. c. 4.

sunt, non omne quod ardet absumi.] Cogitandũ ergo disposuisse Deum suâ prouidentiâ, vt extarent varijs in locis ardentes hiatus, ignem efflantes, vt ijs monerentur mortales, qui ijs potissimùm excitantur, quæ sub sensum cadunt, quàm facillimum illi sit subterraneos seruare ignes ad cruciandos malos. Pionius Presbyter, & Martyr Decium tyrannum his latentibus sub terra incendijs monebat, vt resipisceret, atq; eum in hæc verba alloquebatur. [Vos Decapolim Lydię regionem igne combustam videtis ad impiorum exemplum, vsq; in præsentem diem: Aetnæ item incendium, & Siciliæ, atq; Lyciæ, & Insularum: Quòd si hæc quoq; videntur vobis abesse longiùs, cogitate vsum aquę calidę ex terra scaturientis: vnde enim nisi ex igne in intimis terræ partibus sito contrahit caliditatem? Ad hæc memoriæ proditum est, aliquas orbis partes, tum igne vastatas esse, tum etiam aqua, vel tempore Deucalionis, vt vos dicitis, vel Noe tempore, vt nos asserimus: quamobrem ex rebus singularibus possunt vniuersa cognosci. Itaq; testamur vobis, & denunciamus, iudicium per ignem a Deo per Verbum ipsius Iesum Christum factum iri, & æneos vestros Deos, & statuam auream nolumus adorare.]

Pion. Presbyt. & martyr. apud Surium 11. Martii.

D. Gregorius, vt alibi referemus, diuinæ prouidentiæ tribuit, quòd in terræ superficie pateant alicubi flammiuomi hiatus, quòd inde saltẽ hęretici, & infideles, loca tormentorum agnoscant, quæ credere recusant. Atq; Laurentius Surius, enarratis quibusdam Aetnæ, & Heclę montis incendijs, ait, Dei consilio factum, vt multi ignes, in diuersis partibus, è terræ sinu exhalarent, ut ęternos ignes hinc mortales conijcerent, eosquè declinarent, intuitu præsentium. [Voluit, inquit, Omnipotens Deus eiusmodi in terris extare loca terribilia, ut certiùs norint mortales, quæ pœnæ maneant impios post hanc uitam, & sic discant timere Deum, ut possint ęternos ignes euadere.]

Greg. l. 4. Mor. c. 35.

Laur. Sur. in Chron. ad annum 1537.

Ac sanè certè rerum memorias perlustrantes, intelligũt miram hanc Dei dispositionem; cum .n. nullibi ferè terrarũ huiusmodi ignes non æstuent, quid aliud dicendum super-

henna flammas singulari Dei mandato, ut inde homines conijciant æterni ardoris uim propè infinitam.

CAP. XXXXIII.

Esse huiusmodi incendia, quædam infernalis ignis exemplaria; ac voluisse Deum varijs in locis è terra ardentes flammas erumpere, vt mortales intelligerent, malis post mortem, ignitum carcerem sub terra latere.



HAVD tamen inficior (quanquàm erumpentes illi ignes ab infernali incendio haud proueniant,) quin exemplaria quędam sint ęternalis ignis, ijsq; Sancti Patres, ueluti argumentis quibusdam utantur, ad declarandum mortalibus, sæuum, ardentemq; ignem sub terra malis seruari. Tertullianus lib. de pœnitentia. [Quid illum, ait, thesaurum ignis æterni existimamus, cum fumariola quędam eius tales flammarum ictus suscitent, ut proximę urbes, aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœta. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat, cum dissilant, cum deuorentur, nunquàm tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium, non iudicij minantis exemplaria deputabit? Quis scintillas tales non magni alicuius, & inæstimabilis foci missilia quædam, & exercitatoria iacula consentiet?] Et alibi horum montium exemplo insinuat, quàm sæui, & diuturni sint malorum cruciatus] Montes, ait, uruntur, & durant, quid nocentes, & Dei hostes?] D. Augustinus Aetnæis incendijs probat, sine consumptione posse æterno tempore damnatos igne cruciante torqueri. [Quidam, ait, notissimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis, atq; uetustate, usq; nunc, & deinceps flammis ęstuant, atq; integri perseuerant, satis idonei testes sunt

Tertull. l. de pœnit. c. 12.

Tertul. in Apol. c. 48.

Dug l. 21. de C.D. c. 4.

ſunt, non omne quod ardet abſumi.] Cogitandũ ergo diſpoſuiſſe Deum ſuâ prouidentiâ, vt extarent varijs in locis ardentes hiatus, ignem efflantes, vt ijs monerẽtur mortales, qui ijs potiſſimùm excitantur, quæ ſub ſenſum cadunt, quàm facillimum illi ſit ſubterraneos ſeruare ignes ad cruciandos malos. Pionius Presbyter, & Martyr Decium tyrannum his latentibus ſub terra incendijs monebat, vt reſcipiſceret, atq; eum in hæc verba alloquebatur. [Vos Decapolim Lydię regionem igne combuſtam videtis ad impiorum exemplum, vsq; in præſentem diem: Aetnæ item incendium, & Siciliæ, atq; Lyciæ, & Inſularum: Quòd ſi hæc quoq; videntur vobis abeſſe longiùs, cogitate vſum aquę calidę ex terra ſcaturientis: vnde enim niſi ex igne in intimis terræ partibus ſito contrahit caliditatem? Ad hæc memoriæ proditum eſt, aliquas orbis partes, tum igne vaſtatas eſſe, tum etiam aqua, vel tempore Deucalionis, vt vos dicitis, vel Noe tempore, vt nos aſſerimus: quamobrem ex rebus ſingularibus poſſunt vniuerſa cognoſci. Itaq; teſtamur vobis, & denunciamus, iudicium per ignem a Deo per Verbum ipſius Ieſum Chriſtum factum iri, & æneos veſtros Deos, & ſtatuam auream nolumus adorare.] Pion. Presbyt. & martyr. apud Surium 11. Martii.

D. Gregorius, vt alibi referemus, diuinæ prouidentiæ tribuit, quòd in terræ ſuperficie pateant alicubi flammiuomi hiatus, quòd inde ſaltẽ hęretici, & infideles, loca tormentorum agnoſcant, quæ credere recuſant. Atq; Laurentius Surius, enarratis quibuſdam Aetnæ, & Heclę montis incendijs, ait, Dei conſilio factum, vt multi ignes, in diuerſis partibus, è terræ ſinu exhalarent, ut ęternos ignes hinc mortales conijcerent, eosquè declinarent, intuitu præſentium. [Voluit, inquit, Omnipotens Deus eiuſmodi in terris extare loca terribilia, ut certiùs norint mortales, quæ pœnæ maneant impios poſt hanc uitam, & ſic diſcant timere Deum, ut poſſint ęternos ignes euadere.] Greg. l. 4. Mor. c. 35. Laur. Sur. in Chron. ad annum 1537.

Ac ſanè certè rerum memorias perluſtrantes, intelligũt miram hanc Dei diſpoſitionem; cum .n. nullibi ferè terrarũ huiuſmodi ignes non æſtuent, quid aliud dicendum ſupe-

O reſt,

rest, quã voluisse diuinã sapientiã his ardoribus ad cogitationẽ æterni illius incendij, quod malos sine fine ardebit, ignaros excitare. Omitto Aetnam & Vesuuium; Omitto Liparem insulam flammis insignem; Omitto Heclam Islandiæ promontorium, de his enim aliquid dictum. Omitto similiter eos ignes, qui ex alijs terræ partibus emittuntur de quibus Plinius, Aristoteles, Solinus, Mela, & alij. Apud eas gentes, quæ viuunt à luce Euangelica remotiores, nonne passim huiusmodi ignes spirant, ueluti nonnulla gehennalis incendij argumenta? [1] In orbis noui Mexicano regno in prouincia Ciapotulan, terra deformis magnitudinis lapides admixtos igni euomit. [2] In prouincia Quahutemallan eiusdem orbis, duo montes sibi uiuicem ad duas leucas proximi, ignem exhalant. [3] In Peruaco, ex monte Nanauata, non uno loco erumpunt ardentissimi ignes, ac feruentissimæ aquæ. [4] Apud Orientales Indos, in Insula Maluco Regis Ternatis, nigerrimus ignis è profundissimis antris emanat. [5] In insula del Moro, quæ eidem Ternati Regi subest proximè Tolo, tanto strepitu è terra ignis prodit, ut maximarum bombardarum crepitibus adæquetur. [6] Insula Neucopora fouet suo sinu perpetuò ignem, ac nunquàm non ardet in eius mediterraneis. In multis præterea alijs earum gentium locis, non absimiles ardores, prodigiosaq; incendia spectantur, quæ non ambigo (quamuis naturalem causam habeant) ibi à Deo præparata esse certo consilio; vt ex ijs, latentes in malorum supplicium pœnas, ac ignes conijcerent, inseruirentq; huiusmodi flammæ, veluti habenæ quædã, & stimuli, quibus earum regionum accolæ traherentur à uitijs, & incitarentur ad bonum.

Plinius lib. 2. c. 106 & l. 5. c. 17. Arist. de admir. audit. c. 33. & 35. Solin. c 26 & 32. Mela. l. 3. c. 4.
1 Petr. Aluar. ad Cortes.
2 Petr. Hisp. p. 5. c. 23.
3 Petr. Hisp. p. 5. c. 31.
4 Balthas. Diaz. ex Malacca, anno 1556.
5 Idem Balthas. sup.
6 Odoard. Barbar. Io Gaet. Castul.
Hæc & alia ex iisdem authoribus refert sin. 6. Maiol. Colloq. 22. Dierum Canicul.

CAP. XLIV.

Varia, quæ propè ardentia terræ loca visuntur, hominum, ferarumq́ simulachra, aliquando naturalem causam habere, sæpe tamen Dæmones mentitis formis apparere, aliquando hominum animas.

DEFORMES quædam, ac truces dæmonum, hominumq́; species erumpenti ex ardentibus locis igni admixtæ, videbantur secundo loco subindicare, malos spiritus, ac improbas mortalium animas, ibi cruciari. Scilicet nonnihil probarent, quoties dæmones ipsi, maliq́; animi gestarent eas formas, aut constaret in ipsis eorum montium faucibus detineri. Sed fallitur plerumq́; obtutus, qui aliud non spectat, quàm conglobatum fumum, atq́; exhalationes condensatas, ventoque agitatas. Fit enim aliquando, cum ingens ignis copia, fumo, exhalationibusq́; admixta erumpit, ob idq́; nubibus repletur aer, vt pergrandes quædam veluti figuræ nunc gigãtum, nunc leonum, nunc montium, nunc armatorum militum, vagari per aera videantur. Est namq́; inflammati fumi, nubiumque materies tenuis omnino, & facilis ad quaslibet formas suscipiendas, quapropter agitata ventis, aut splendore solis, siue accensarum exhalationum illustrata, varias induit formas, vt philosophi tradunt, & sæpè experientiâ cognoscitur obducto nubibus cælo, sub quibus tamen nec Dęmones, nec animi mortuorum latent, sed fumus, exhalatio, aut vapor, vel quid simile. Qua de re Franciscus Vicomercatus, dum similium imaginum, quæ apparent in aere, causam quærit, hæc loquutus est, quæ minime sunt aliena à re nostra. [Ex his, ait, quæ de his apparentibus dicta sũt, aliorum etiam quorundam simulachrorum, quæ interdum in ipso aere visuntur, & audiuntur causæ reddi possunt, veluti montium, & hominum armatorum inter se confligentium Fran. Vicom. l.1. Mete r.

maximo æquorum strepitu, tubarumq; sonitu, aliorum etiam animalium, vt serpentum, taurorum, & cęterorum quas imagines, & simulachra Aristoteles non expressit, aut quòd rarò admodùm visantur, aut quòd ad tria hæc colores, hiatus, & foueas, possint referri. Nam ab eisdem prorsus causis proficiscuntur, nempe ex nubibus, seu aere densiore, & exhalationis accensæ lumine. Hęc enim cum aliter, & aliter inter se se admisceantur, efficianturq; varij colores, varię item figuræ apparent. Fieri autem potest, vt nubes, seu aer densior ad lumen, seu halitum accensum, ita sit positus, vt montes interdum, aliquando homines, eosq; armatos, aliquando alia animalia repræsentet. Montes quidem, si aer lumine illustratus alio aere denso, ac nigro ambiatur. Nam, vt hiatus, ac foueæ visuntur cum nigrum medium luminis occupat, atq; lumine circum circa ambitur, ita è contrario si lumen, ac perlucidũ nigro ambietur, prominere in montis similitudinem videbitur. Nihil autem impedit, quominus nubes ita illuminetur, vt hominum etiam, eorumq; armatorum, & aliorum animalium speciem exhibeat.]

Montes, & armati homines, vt videantur in aere.

Hisce de causis factum puto, vt in incendio Vesuuij montis, visæ sint pergrandes illæ veluti gigantum imagines, fumus enim, ac nubes igne illuminatæ, atq; aut se se, aut ventis extentæ in iustam mẽsuram, proferebant ea simulachra.

Dæmones verè ap pa ere propè ardentes montes.

Ol. Mag. l. 2. mir. nat. rer sept. c. 3. & 22. Dit. Blef. de Island. vita, & mor.

Admonendum tamen quod attinet ad dæmones, eos nonnunquam sub varijs formis apparere in hisce locis, præsertim apud montem Heclam in Islandia, vbi, vt scribunt Olaus Magnus & Dith. Blefken. dæmones frequentes habitant, ac familiariter superstitiosis illis gentibus inseruiunt. Quamobrem varijs simulachris eius regionis incolas, aduenasq; illudunt, ac sæpe etiam defunctorum animas mentiuntur, semper tamen vt decipiant, vel insinuando, non pessimè eas se habere, cũ amicè homines alloqui possint, vel sæpè illis denunciando, quæ maneant sceleribus pœnæ, vt inexcusabiles coram æterno iudice reddantur, atq; hoc pacto maiora subeant supplicia. Atque ijdem dæmones, illi ipsi sunt, qui eos tumultus aliquando excitant cędium, bellorũq;


tempo-

temporibus, ni forte tunc naturalis causa adsit, cogaturq; latens spiritus erumpere.

Quoad animas verò, quamuis fallant sępe dęmones, earum simulachra mentientes, à probatis tamen authoribus accepimus, re vera peculiari Dei dispositione, multos post mortem ad flammiuomos montes delatos, vt ibi cruciarentur, vel ut eâ uiá in gehennā pertraherentur. Hos, eodem Dei decreto, visibili specie aliquando apparere, non improbabile; Id tamen non conuincit extare eo loci tartareum carcerem, aut incendia illa efflari à gehennali fornace. Animæ etiā aliquando apparent.

CAP. XLV.

De vocibus, & gemitibus, qui apud ignitos montes exaudiuntur; De excitato strepitu, & buccinarum clangore; Num hæc à cruciatis Dæmonibus & animabus oriantur, an sonitus quidam sint aerei spiritus, è terræ gremio efflati, aliamuè causam naturalem habeant.



QVAE uerò tertio loco persuaserunt multis, hasce uoragines flammas emittentes, quędam esse gehennæ ora, ubi mali in cruciatibus degant, ploratus nimirùm, & ululatus, lamentabiles uoces, & similia doloris indicia, ea collocantur à nonnullis inter somnia, & imperitę multitudinis figmēta. Episcopus Abulensis ita opinatus est. [Cum populus, ait, dicit lamentationes gementium animarum, in Aetnæ montis audiri uoragine, dicendum, quòd populus facilis plura fingit, quàm poetę, quia poetæ sciunt, quod fingunt, populus autem, quod dicit ignorat.] Idem alibi, & causam dat. [Cum uerò, inquit, dicunt gementium animarum eiulatus resonare, dicendum est esse falsum, nam etsi ibi infernus esset, uoces tamen audiri, aut formari non poterant, quòd patet, quoniam uoces in organis uocalibus duntaxat fiunt, cum ille qui Abulens. l. 5 Parad. cap. 103. Cap. 184.

uocat debeat organa uocalia habere, ut ait Aristoteles 2. de anima, animabus tamen à corpore seiunctis, sicut in inferno manent, uocalia organa nulla sunt, quibus uoces formare queant, uoces ergo nullas formant.]

Duo mihi hac in re uidentur uerisimilia. Alterum est: auditas nonnunquam ad ea loca, ueluti uoces, & lamentationes, haud semper emitti à malis spiritibus, aut animabus cruciatis, licet aliquid personet uocibus humanis ululatibus, & buccinarum clangori persimile: Alterum est aliquando diuina dispositione articulatas uoces audiri, & ueluti lamentabiles ploratus, qui dent dolorum, & cruciatuum signa. Et quidem aliquando, quasi humana uerba, mirosque strepitus sentiri, qui tamen à dęmonibus, uel animabus ibi detentis haud oriantur, sed ab incluso spiritu è uarijs terrę fistulis expirante, facile est intelligere. Clauduntur enim intra terrę uiscera uentosi flatus, qui ibi quasi per uim detenti accenso maxime igne agitantur, ac commouentur, & aditum quęrunt, ac ubi diu inclusi, impatientes morę, uel in terrę rimulas, & foramina irrupere, vel terram disrupere exeunt tandem facto strepitu, exibilanteſque prodeunt, eaque de causa pro varia conditione spiraculi, vnde prodeunt, nunc strepitus cymbalorum, nunc tubarum clangores, nunc vlulatus, nunc confusæ quædam voces personare videntur. Sunt enim terræ rimulæ veluti fistulæ quædam organorum musices, à quibus cum erumpit aer diuersos sonitus reddit pro earum diuersitate. Clemens Alexandrinus ex Britannicis, & Persicis historijs refert, propè quandam insulam ex hiatu terræ erumpere veluti cymbalorum sonitum, & ad nonnullos Persiæ montes, confusas uoces, quasi clamantium hominum exaudiri, tum articulata uerba sonare, quæ quidē in eam causam refert, de qua dictum est. [Dicunt, autem, ait Alexandrinus, qui conscripserunt historias, esse in Britannia insula quandam speluncam monti subiectam, in fastigio autem hiatum. Cum autem uentus incidit in speluncam, & in sinu fossæ alliditur, audiri sonum Cymbalorum, quæ numerosè pulsantur. Sæpe autem eum in syluis quoque

Cl. Alex. l. 5. Str.

mo-

mouentur folia, per repentinum, & densum spiritus impetũ editur sonus auium cantui similis. Cæterum ij, qui composuere Persica, in locisque in Magorum regione sunt eminentiora, referunt tres montes in longo campo deinceps esse positos. Eos autem, qui locum transmittunt, cum ad primum quidem montem peruenerint, audire vocem confusã veluti clamantium non paucorum millium hominum perinde ac si essent in acie, ad medium autem cum venerint, maiorem simul, & euidentiorem strepitum apprehendere: tandem autem audire in fine canentes Pæana, perinde, ac qui vicissent. Cuiusuis autem soni causa est, vt existimo locorum leuitas, & concauitas. Reiectus itaq; qui est ingressus spiritus in eundem locum procedens, sonat vehementiùs.

Neque rerum naturalium peritis est dubium, tum ex incluso spiritu aditum quærente, tum ex allisione aquarum ad cauernosa loca, tum ex percussione ventorum ad solida corpora multiplices formari sonitus. Vicomercatus non ignobilis philosophus, hæc scibit in suis Meteororum libris. [Spiritus in terra inclusus hac, atq; illac, per anfractus exitum quærens, sonitum eum interdum facit, vt taurorum mugientium speciem exhibeat, his, qui portenta tradunt, terram mugire aientibus, in paludibus etiam ijdem soni bomugi appellantur, interdum fiunt, quos sacros Dei tauros veteres esse putabant. Quorum sonorum in problemat. 26. sect. Aristoteles in aquarum ad loca cauernosa allisionem refert Quin etiam in tonitruo, ac ventorum ad res solidas allisione varium sonitum audimus, vt feræ alicuius esse videatur.] Hinc, cum persuasum esset nonnullis in Islandia prope Heclam montem in gelidissima glacie cruciari malos, quòd ibi audirentur lugubres gemitus Dithmarus Blefkenius, qui rei cognoscendæ causà eum locum adijt, deprehendit ipsam met glaciem à ventis agitatam, atq; ad scopulos allisam, eos ploratus dare. [Ego, inquit Dithmarus, omnia loca diligenter perquirere statueram, non sine horrore ad hanc glaciẽ nauigaui, & animaduerti vi ventorum eam ad scopulos torqueri, & ita lugubrius quid sonare à longinquo, quasi exaudirentur ibi miserandi eiulatus.]

Vicom. l. 1. Metheor.

Dith. Blef. l. 3. de mir. mõtib. Island.

Si

Si verò dicas audiri etiam nonnunquàm voces, & gemitus, nullo erumpente igne, exhalante spiritu, aut flante vento, sed pacato, & traquillo cælo, quanquàm operto nubibus, id fatebor libentissimè, verùm hîc quoque subesse naturalis causa potest, cum videlicet inclusa in sinu nubis multiplex exhalatio, compressa frigore aditum quærit, eáq; disrumpit magno impetu, & exeundo varium, multiplicemquè dat sonum, pro diuersitate aperturæ nubis, aut egredientis spiritus. Vicomercatus sic in hāc rē scripsit. [Cum in nube exhalatio, eáq; varia cōcludatur, quę nubis frigore, ac densitate pręssa, exitum quærens, nubem disrumpendo, sonitum edit, euenit, vt pro varia nubis densatione, aliaq; & alia exhalationis erumpentis, ui, varius sonus edatur, ita vt tubarū interdum, aut equorum hinnientium, & ad bellum incitatorum vocem referant.]

Fran. Vicō. l. 1. Meteor.

Alterum, quod vero maximè consonum reputabam circa hasce voces ploratus, & vlulatus, qui ad hæc loca exaudiuntur, illud est, de quo monui superiori capite. Disponēte Deo, à malis spiritibus, aut cruciatis animabus fieri eiulatus, & emitti nonnullas voces. Peculiari namquè diuinæ mentis consilio, vt probabitur, ad hominum correctionem, in huiusmodi ardentibus locis, habitant nonnulli Dæmones, & certi peccatorum animi huc delati, quos Deus nonnunquàm permittit voce, & ploratu, calamitates, miserias, & ea demum significare mortalibus, quæ prodesse illis possunt ad æterna incendia declinanda. Petrus Damianus, & Sigebertus Gemblacensis magnæ auctoritatis scriptores, testes sunt apud Ollas Vulcani in Sicilia, animas reproborum á Dæmonibus torqueri, ac in ijs locis eorum voces, ac lamentationes sæpe resonare. Cæsarius item Heisterbachensis, narrat, emortuo quodam Scultero pessimæ vitæ homine, eadem ipsâ horâ, quâ obijt, huiusmodi voces auditas esse iuxta Vulcanum montem. Bene veniat, bene veniat amicus noster Sculterus de kolmore, Frigus est, ignem ei copiosum præparate. Et alibi, quendam Conradum Sacerdotem prope eundem montem, hæc audisse. Hic venit Bruno de Flit-

Petr. Dam. de vita S. Odilonis. Sigeb. Gembl. in Chronograph. ad annum 998. Cæsar. Hist. l. 12. Mirac. c. 7.

tirt

tirt ſuſcipite illum. Bruno autem eo ipſo tempore exceſſerat è viuis. Hæ ſanè voces,aliunde proficiſci non poſſunt,quàm à dęmonibus, vel animabus damnatorum, quibus,quamuis vocalia organa deſint,quę viuentibus in corpore hominibus conueniunt, facillimũ tamen eſt,aeris percuſſione,formare ſonos articulatis vocibus ſimiles. Sed iſta ſufficiant, nàm, quæ paulò poſt dicturi ſumus, rem præſentem clariùs illuſtrabunt.

Soluitur ratio Abulenſis allata in principio ca.

CAP. XLVI.

Multos ſceleribus inſignes,poſt mortem,in eos terræ montes coniectos, qui ignem ſpirant. Deum id iuſtis de cauſis permittere;nec tamen inde probari vniuerſos malos eò deferri,vt ibi pœnas luant.

POSTREMVM argumentum,quamobrem ſuſpicari quis poterat, ignitos montes, de quibus diximus,complecti ſuo ſinu malorum carcerem,id fuit.Inſignes auctoritate, & doctrina viros, teſtatos eſſe,in ea loca nonnunquàm detruſos fuiſſe malos poſt mortem, vt facinorum pœnas perſoluerent. Equidem,vt D. Gregorio Magno, alijsq; ſcriptoribus aduerſetur, quicumq; neget, improbos quoſdam, exacto præſentis vitæ curriculo, in haſce ardentes terrę fauces coniectos,ſic longè à veritate aberret,quicunq; inde conijciat,vniuerſos malos ad ea loca torqueri. Eluceſcat decreti veritas, atq; à D. Gregorio initium ſumamus, à quo ſcriptum reperimus, Theodoricum Regem poſt mortem delatum eſſe ad inſulam Liparis,atq; detruſum in eius incẽdium à Ioanne Papa, & Symaco, quos ille impiè necarat. [Theodorici regis temporibus(verba ſunt cuiuſdam Iuliani ad Gregorium)pater ſoceri mei in Sicilia exactionem canonis egerat, atq; iam ad Italiam redibat. Cuius nauis appulſa eſt ad inſulam, quæ Liparis appellatur.Et quia illic vir quidã ſolitarius magnæ virtutis habitabat,dum nautę nauis arma-

Greg.l.4. Dial.c.30.

menta repararent, visum est prædicto patri soceri mei ad eundem virum Dei pergere, seq; eius orationibus commendare, quos vir Domini cum vidisset, eis inter alia colloquens dixit. Sitis quia rex Theodoricus mortuus est. Cui illi protinus responderunt. Absit, nos eum viuentē dimisimus, & nihil tale ad nos de eo nunc usq; perlatum est. Quibus Dei famulus addidit dicens: etiam mortuus est, nam externo die horâ nonâ inter Ioannem Papam, & Symachum Patricium discinctus, atq; discalceatus, & uinctis manibus deductus in hanc uicinam Vulcani ollam iactatus est. Quod illi audientes, solicite conscripserunt diem, atq; in Italiam reuersi, eo die Theodoricum regem inuenerunt fuisse mortuum, quo de eius exitu, atq; supplicio, Dei famulo fuerat ostensum.]

Greg. l. 4. Dial. c. 35. Quidam etiam Euphormius, eodem Gregorio teste, morti proximus, agnouit se cum Stephano Optione in Siciliam, hoc est, in os Aetnę, post extremum huius vitæ diem, quadam naui uehendum esse: ac uterq;, quamuis disiunctis in locis, eodem temporis momento obijt.

In eundem Aetnęum montem (nam hunc esse montē Gyber, quem Cęsarius Heisterbachensis ab Aetna distinguit, nō dubito, ob similitudinem nominis, quod in Aetnam quadrat, quę, ob sui amœnitatem, Mons bellus, uulgo Mongibellus appellata est) Dux quidam Zeringię coniectus est. Cæsar. Heist. l. 12. Mir. c. 13. [Circa hoc triennium, inquit Cęsarius, homines quidam ambulantes iuxta eundem montem Giber uocem ualidam, in hęc uerba audierunt. Pręparate focum. Modico autem facto interuallo, idem clamatum est, cumq; tertio clamaret. Prępara focum magnum. Respondit nescio quis; cui pręparabo? Et ille. Dilectus amicus noster huc venit, dux Zeringiæ, qui plurimùm nobis seruiuit. Illi notantes diem, & horam, per litteras, audita regi Federico mandauerunt, interrogantes, si aliquis in eius imperio mortuus fuisset dux Zeringię: & compertum est eadem die, & hora, Bertolphum Ducem Zeringiæ fuisse defunctū. Erat autem idem dux tyrannus immanis, tam nobilium, quàm ignobilium exhæreditator, & fidei catholicæ desertor.]

tot.] Hęc Cęsarius, quę, ait, sibi à duobus Abbatibus relata, quorum alter natiuus Zeringię erat, alter litteras Federico exaratas, cum legerentur, audiuit.

Ad montem etiam Vulcanum ducti sunt, diuinò permissu, plurium malorum animi, extincto corpore; Multa exempla refert Cęsarius supra citatus, vnum huc inseram. [Cum tempore quodam, ait, Conradus sacerdos de Binkassel, cum alijs prouincię nostrę peregrinis mare transiret, ante sępe dictum Vulcanum, vox talis in eo audita est. Hic venit Bruno de Flittite, suscipite illum. Quæ vox cum ab omnibus fuisset audita, ait prædictus sacerdos confratribus; Testes estis uos omnes huius vocis, & statim notauit in tabula, eis præsentibus, diem, & horam dicens; Reuera dominus, Bruno mortuus est. Cum verò redirent Ierosolymam, obuios habuerunt quosdam peregrinos prouinciæ suę, quos cũ interrogassent de statu prædicti Brunonis, acceperunt ab eis, quod mortuus esset; de tempore aut sciscitantes, diem eundem inuenerunt, quo vocẽ prædictã in Vulcano audierunt.] Cæsar. l. 12. Mir. c. 7. & 8. Cap. 9.

Cui autem hæc meditanti veniat in mentem, vniuersos æterni incendij reos trahi ad hæc ardentia terræ ora, ibiq; igne cruciari? Soluit aliquando Deus statas rebus leges certo consilio, nec peruertit tamen communem earum ordinem. Ignis aliquando non ambussit, sed instar lenis venti, & suauis auræ recreauit, quos, sibi relictus, redegisset in cineres. Sol aliquando diuino iussu destitit ab vsitato, & cœpto motu, ac stetit; ignis tamen naturalem aburendi vim non amisit, solq; rursus pristinum iter est ingressus. Sit ergo, Deum nonnunquàm decreuisse, quasdam animas notæ improbitatis in certis huiusce terræ, quam colimus, locis, maximè flammas eructantibus, supplicia dare, stat nihilominus in suo vigore vniuersalis ea lex, quã sanxit in infimo, sordidissimoq; terrarum loco, malos cruciandos esse, ac detinendos. Quam quidem legem, cum Deus ipse soluit, certis, iustisq; de causis soluit, vel vt mortales intelligant, quantùm oderit, inter cœtera, diuina bonitas, enormia quædam flagitia, qualia alienarum facultatum iniusta dissipatio, turpis à fide ca- Daniel. ca. 3. Iosue. ca. 10.

tholica defectio, iniuriæ, & offensæ in eum, qui Dei ipsius vices gerit in terris, quandoquidem, præter vsitatum agendi modum, ijs implicitos damnat in conspectu hominum, vt accidit Duci illi Zuringiæ, de quo palàm auditum est, in Aetnęos focos coniectum fuisse, atq; Theodorico regi in ardentissima insulæ Liparis incendia detruso à Ioanne Papa, & Symaco, vti retulimus. Vel certè, cum id efficit Deus, aliquos ad meliorem vitę normam instituit. Conradus ille sacerdos, statim ac intellexit Brunonem de Flittirt, cuius dictum est Cæsarium meminisse, post mortem delatum ad incendia Vulcani montis, claustrum ingressus, religiosè vixit reliquo vitæ tempore. Vel demum docet, non esse figmenta, quæ diuinæ litterę, sacriq; doctores tradunt de latente sub terra igne in malorum pœnam, ut animaduertit D. Gregorius, cuius hęc verba sunt, vbi de Euphormio, & Optione scripsit, qui in Siciliam cremandi, post mortem, ducti fuerāt. [Quòd verò se ad Siciliam duci testatus est, quid aliud sentiri potest, nisi quòd præ cęteris locis, in eius terræ insulis eructante igne tormentorum ollæ patuerunt? Quæ, vt solent narrare, qui nouerunt, laxatis quotidie finibus excrescunt, vt mundi termino appropinquante, quantò certum est illuc amplius exurendos colligi, tantò & eadem tormentorum loca ampliùs videantur aperiri. Quod omnipotens Deus ad correptionem viuentium in hoc mundo voluit, vt mentes infidelium, quę inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant.]

Heis. Cæsar. l. 12. Mir. c. 13.
Greg. l. 4. Dial. c. 30.
Heist. Cæsar. l. 12. Mir. c. 9.
Greg. l. 4. Dial. c. 35.

CAP.

CAP. XXXXVII.

Vbi nam Gehenna verè existat. Esse sub terra, non leui ratione, firmisq́ sacræ scripturæ testimonijs, probatum.

RESTAT, vt definiamus tandem, vbi nam gehenna sit, quod facile ex ijs, quæ diximus conijci potest. Sicubi enim in hac rerum vniuersitate infernus est, vt verè est, nec tamen in cęlo, aut superiori igne, vel aere, aut aquâ, siue suprema terræ parte, superest vt existat intra ipsius terræ viscera, in loco à luce remotissimo, tenebris palpabilibus miserrimo. Et quidem putandum est, destinasse diuinæ prouidentiæ ordinem, cuius est præmia pro meritis, loca pro qualitate, & dignitate personarum dispensare, vt qui cælestem lucem, beatumq́; domicilium despexere, in profundum, ac tenebricosum barathrum mergerentur, eò videlicet tracti graui peccatorum mole. [Ita corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocunq́; fertur.] Corpora, quæ deorsum grauitate nituntur, infima loca habent pro natiua sede, quę sursum leuitate, aerea spacia, ac supremas regiones occupant, dantur enim illis uarij locorum ordines, pro diuersis eorum amoribus, qui aliud non sunt, quàm momenta ponderum. Ergo, ut amores animorum, amoribus corporum respondeant, ijs, qui Dei, cælestiumq́; rerum desiderio inflammati, terrenis, & caducis posthabitis, quæsiere quæ sursum sunt, conuenit suprema mundi sedes, cæli nimirùm regio, quam Deus ipse colit, omnis beatitatis fons, & origo, ac summum illorum bonum, quos eò uexit in Deum charitas. Ii uerò qui carnis amore peccauerũt, instar fœtidi cuiusdam cadaueris sub terra recunduntur, quiq́; propriæ conditionis obliti, ea sectati sunt, quæ, ueluti graui pondere, cæleste animal curuant ad terrena, scelera inquam, & flagitia, meritò, tanto depressi onere, ruunt in infimam mũdi sentinam in profundis-

Aug. 11. de C.D.c. 28.

S. Aug. 12. de Gen. ad lit. c. 34.

fundis-

dissimum terræ locum, non equidem naturę ordine, haud
Bonau. in 4. d. 44. q. 2. enim peccatum, graue quoddam corpus, sed ordine conuenientię, & ęquitatis, quòd nimirum cum peccatum homines à cœlo ad terram auocet, nihilq; eo sit uilius, nihil abiectius, eos ad abiectissimum, uilissimumque locum disponit, quale est terrę centrum à cęlo, ac omni luce maximè longinquum. [Vt Sancti, ait B. Dorothęus Abbas, capiunt loca
Dor. Ab. Doct. 12. de tim. & pœn. infer. pręclara, & lucida, Angelorumque delectationem bonitati eorum congruam, sic peccatores habent loca obscura, & tenebrosa, horrore, & ecstasi plena.]

Quod rõne cõfirmatũ est, probari auctoritate facile potest, & ea quidẽ, cui nõ nisi per summũ scelus cõtradici possit; Testimonio uidelicet Spiritus Sãcti, cuius dictatu sacrę Canonicę litterę conscriptę sunt; quę apertè adeò hanc ueritatem expresserunt, ut ambigere de illa non liceat. Nam cum aiũt
1 Esther. 13 Iob. 21. Eccl 9. 1 peccatores ad infernum descendere, quid aliud significãt, quàm trudi in carcerem, in inferiori terrę parte latentem? 2 Cum disruptam terrã legimus, ac ab inferno uiuentes ad-
2 Num. 16. huc deglutitos esse, Dathan, Core, & Abiron, nonne expresse declaratur, malorũ post mortem locum terrę mole operiri?
3 Iob 11. v. 8. Quid conuinceret testimoniũ illud 3 D. Iob. de immensitate Dei, nisi infernus in ea terrę parte esset, quâ nullã profundior? *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno*
4 Psal. 138. *est, & vnde agnosces?* Quid illud 4 Dauidis *Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades?* Vbique Deum esse Regius Psaltes significabat. Oportet ergo nihil sub inferno esse, ut nihil suprà cęlũ. Infernus iniuriâ appellaretur
5 Ezech. 31. 6 Deut. 32. & Prouer. 15. 7 Psal. 85. à scripturâ hac voce, ni inferiùs esset. Immeritò diceretur 5 *Abyssus*, 6 *Infernus nouissimus*, 7 *Infernus inferior*, nisi instar profundissimæ cuiusdã cauernę, lõgè distaret à terrę superficie.
Matth. 12. Christus ipse docere hanc ueritatem uoluit, dum inquit, se tribus diebus, & tribus noctibus futurum in corde terrę. Vbi enim futurus erat, nisi in superiori inferorum parte, unde extrahere Sanctos Patres debebat: id enim de purissima illius anima accipiendum est, non de corpore, quod in corde terrę futurum non erat. Cum verò ea regio, vbi degebant

bant Sancti Patres, quanquam sub terrâ, superior esset Inferno damnatorum, putandum est, cruciantem gehennam in vltimis terræ visceribus constitutam esse.

CAP. XXXXVIII.

Concordi aliquot Doctorum sententia, qui à Christo nato singulis sæculis floruerunt, Gehennam intra terræ viscera, in profundissimo loco positam esse.

HIS sacræ paginæ testimonijs, non philosophorũ, vel poetarum fabellis, vt temerè affirmant hæretici, insistentes Ecclesiæ catholicæ doctores, sanxerunt & ipsi, Satanæ, ac malorum post mortem carcerem, claudi in extremo terræ fundo. Aliquot seligam insignes pietate, & doctrinâ viros, qui singulis, à Virginis partu seculis, scripserunt: ex his enim facile conijcietur, quæ fuerit reliquorum sententia.

D. Dyonisius Areopagita, vir Apostolici æui, ac Pauli Apostoli discipulus, refert, visionem Carpi viri integerrimi, quâ vbi cælum conspexit apertum, oculis deorsum defixis, vidit obscurum, & tenebricosũ hiatum, ac amplam voraginem (gehennam haud dubiè) horrendam anguibus, in qua mali homines mixti serpentibus degebant. Eiusdem ætatis S. Polycarpus, cum inquit. [Credite in illum, qui resuscitauit Iesum Christum à mortuis, & dedit gloriam, & sedem in dextera sua. Huic subiecta sunt omnia cælestia, terrestria, & subterranea, cui omnis spiritus seruit, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos]. Per subterranea, etiam animas, malosque spiritus sub terra in inferno latentes, intelligit, sicut per cælestia Sanctos, & Angelos, per terrena homines, nec enim quid in animo expressit, alioqui non esset additum, cui omnis spiritus seruit.

I. Seculum à Christo nato. Anno 71. Dyon. Areop Epistola ad Demophilum monachum in fin. Polycar. eodem tempore, Epist. ad Philip.

Iustinus Martyr, qui non multò post Apostolica tempora uixit, ex Platonis sententia confirmauit, malorum animos

II. Seculum Anno 150. Iust. Martyr. orat. ad Gent.

post

Anno 180. Iren.l.5. contra Valent. c.12. post mortem ad subterranea loca cruciandos trahi. Sanctus Ireneus Episcopus, & Martyr refellit errorem existimãtium nullũ esse infernum, præter superiorem hunc mundum, quòd anima Christi ad inferiora terræ descenderit, hucq́; Psal. 15. retulit illud Dauidis. *Non derelinques animam meam in inferno.* L.5.c.31. Ac alibi, ait, Christum triduo mortis apud inferos commoratum esse, hoc est in inferioribus terrę partibus: Infernus autẽ eo loco, quem Christus triduo mortis adijt, inferior est.

III. Seculum Anno 203. Tertull. L. de anim. c.55. Tertium Sæculum ab anno ducentesimo, vsq; ad trecentesimum habuit doctissimos viros. Tertullianus in primis superasse alios videtur, dum inferos in hunc modum descripsit. [Nobis inferi, non nuda cauositas, nec subdualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Si quidem Christum in corde terrę triduum mortis legimus ex punctum, idest in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & in inferioribus adhuc abyssis superstructo.] Et paucis interiectis. [Habes regionem inferûm subterraneam credere] Quo testimonio, Anno 290. Lact. Fir. l.2. de Orig. erroris. quid illustrius? Lactantius Firmianus Inferos, hac terra inferiores esse, luculenter testatus est. [Cum vos, inquit, terræ submittitis, humilioresq́; facitis, ipsi vos vltrò ad inferos mergitis, ad mortemque damnatis, quia nihil terrâ inferius, & humilius, nisi mors, & inferi: quæ si effugere velletis, subie-L.7. de diuino præmio. ctam pedibus terram contemneretis, corporis statu saluo.] Alibi verò ait inferos in tenebrosis locis positos esse, ac sceIIII. Seculũ lestos in horrendis voraginibus pœnas dare.

Anno 340. Athanas. in Qu.19. si hic liber Athan. est, nam multis non esse, probat Bellar. de scrip. Eccles. Ab tricentesimo, vsq; ad quadringentesimum fluxit, quartum sæculum multis Patribus insigne. Sanctus Athanasius in qu. scribit peccatorum animæ, quod in inferno positæ sunt subter omnem terram, & mare, Psalmus .n. dicit. *Posuerunt me in lacu inferni, in tenebrosis, & vmbra mortis.* Et apud Psal. 87. Iob. 10. Iob scriptum est. *Ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum vbi &c.* Basilius non Anno 370. alibi, inquit, reprobos coram Iudice stantes conspecturos esBasil. in Ps.33. se gehennam, quàm in ima terra [Subin, ait, conspicient Barathrum

rathrum in imum patens, tenebras in permeabiles, ignem obſcurum, cauſticas quidē vires habentem, luce vero deſtitutum.] Et oratione de futuro Iudicio, meminit Profundi barathri, in quo mali plectendi ſunt. D. Greg. Nazianzenus Carmine ad Nicobulum Patrem, infernum, quò perditi eunt, appellauit *tenebris horrendam voraginem*, Vorago autē ſub terra latet. Ambroſius, Eccleſię noſtræ lumen, voluit infernum damnatorum profundiorem, inferioremquè eſſe Lymbo, loco videlicet, vbi detinebantur Sancti Patres: Lymbus autem ſub terra poſitus eſt. D. Greg. Nyſſ. non repugnauit, quin ſubterraneum eſſet malarum animarum diuerſorium. Hieronymus, præcipuus Eccleſiæ doctor, pro eodem accipit profundum, & Infernum, aitq́; eum, communi omnium ſenſu, eſſe in corde terrę. Exponens illud Eſaię. *Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo, ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra.* [Vis, inquit, vt ſcindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant, qui in corde terræ eſſe dicuntur; an vt aperiantur cæli]? Et in eundem Eſaiam, inquit. [Diſcimus, quòd infernus ſub terra ſit, dicente ſcriptura, vsq́; ad fundamēta laci.] Idem conijcit alibi ſępè, pręcipuè in caput 36. Iob, vbi ait. [Nouerimus quia loca infernalium ergaſtulorū, ſecundū fidem ſcripturarum, inter immenſas abyſſi aquas ſint conſtituta.] D. etiam Io: Chryſoſtomus, inferos alicubi ſub terra latere ſignificauit, dum eos alicubi extra hunc mundum cōſtituit. Clariùs oratione de Dormientibus, ait, animos, qui in hac vita Dei timorem abiecerunt, & præcepta eius neglexerunt intra altum terræ chaos ignauiam deplorare ſuam, ac ſcelerum iuſtas pœnas luere.

Orat. 23. de fut. Iud. | Eodem tempore Greg. Naz. Car. ad Nicob. Patr. | Anno 374. Ambr. in c. 5. Epiſtolę ad Rom. | Anno 380. Greg. Nyſſ. Dial. de immort. animę & reſur. | Anno 390. D. Hier. in c. 7. Eſ. | In c. 14. Eſ. | In c. 6. Amos | In c. 26. Iob. & in c. 36. | Anno 398. D. Chryſoſt. Hom. de præm. bea. & Hom. in 2. Dom. aduēt.

Sancti Auguſtinus, & Cyrillus Alexandrinus viri ſanctiſſimi, ac doctiſſimi, inſtar omnium erunt, qui aborta Veritate, quinto ſęculo, vixerunt. D. Auguſtinus adeo compertum habuit, Gehennam ſub terris eſſe, ut pœnituerit eum aliquando ſubindicaſſe aliud, idq́; inter cætera recenſuerit, quæ errorum loco habebat. Sic enim in lib. Retrac. ſcribit. [De inferis magis mihi uideor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur

V. Sæculum. | Anno 410. Aug. 12. de Gen. ad l. c. 33. | L. 2. Retr. c. 24.

Aug. in Psal. 85. dantur, quasi non ita sit.] Enarratione uerò in Psal. 85., damnatorum receptaculum in inferiori terræ loco constituit, infra sinum Abrahæ, quem (licet aliquando hæsitarit) censuit
Anno 430. Cyril. Alex. orat. de exitu anim. probabiliter sub terra contineri. Cyrillus Alexandrinus, sōtibus manere in profundo supplicia, tenebras profundas, infinitum chaos, sępe memorauit.

VI. Seculum Circa annū 595. Greg. 4. Dial. c. 42. ¶ Extrema sexti seculi tempora illustrauit Diuus Gregorius Magnus, cuius ætas ad annum sexcentesimum quartum peruenit, hic quamuis certò non definierit, ubi nā credendum sit esse infernum, sub terrâ tamen esse, ex diuinæ scripturæ testimonijs coniecit. [Hac de re, ait, temerè definire non audeo. Nonnulli namquè in quadam terrarum parte, infernum esse putauerunt. Alij uerò hunc sub terra esse ęstimant. Sed tamen hoc animum pulsat, quia si iccirco infernum dicimus, quia inferiùs iacet, quòd terra à cælo est, hoc esse debet infernus à terra. Vnde etiam fortasse per
Psal. 130. Psalmistam dicitur. Liberasti animam meam ex inferno inferiori, vt infernus superior in terra, infernus verò inferior sub terra esse uideatur.] Quod censuit apertè confirmari
Apoc. 5. authoritate D. Ioannis, ubi ait, se uidisse librum munitum sigillis septem, quem nullus dignus fuit aperire, neq; in cælo, neq; in terra, nec sub terra nisi Leo de Tribu Iuda. [Ioānis uox, inquit Gregorius, in æstimatione ista concordat, qui cū signatum librum septem sigillis uidisse se diceret, quia nemo inuentus est dignus, neq; in cælo, neq; in terra, neq; subtus terram aperire librum, & soluere signa eius, adiunxit. Et ego flebam multum. Quem tamen librum postea per Leonem de tribu Iuda dicit aperiri. Quo uidelicet libro quid aliud, quàm sacra scriptura significatur? Quem solus redemptor noster aperuit, qui homo factus, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria, quæ in eo fuerant clausa, patefecit, & nullus in cęlo, quia neq; Angelus, nullus in terra, quia neq; homo uiuens in corpore, nullus subtus terram dignus inuentus est, quia neque animæ corpore exutę aperire, nobis, pręter Dominum, sacri Eloquij secreta potuerunt. Cum ergo ad aperiendum librum, nullus sub terra inuentus

dignus

dignus dicitur, quid obstet non uideo, ut sub terra infernus esse credatur.]

Isidorus Hispalensis subscripsit lubens reliquorum Patrum decretis, septimo sæculo, cum inquit, locum damnatorum infernum appellari, quod infra sit, esseq; in medio terræ, sicut cor existit in medio animalis. VII. Seculũ. Anno 630. Isid. l. 14. Orig. c. 19.

D. Damascenus, octauo seculo, ex ore Barlaam, ait animas inferno dignas, in inferiores terræ partes vsq; ad postremam resurrectionem conijciendas. Venerabilis etiam Beda, doctissimus presbiter, ex funesta Chore, Dathan, & Abiron historia, collegit malorum post mortem receptaculũ sub terra esse reconditum. [Quod dicitur, inquit Beda, descendant in infernum viuentes, indicat, sub terra infernum esse.] Atq; in c. 9. Iob ait [Sub terra, idest in inferioribus terræ partibus, vbi inferi esse perhibentur, vnde inferi sunt nominati.] VIII. Seculũ. Anno 730. Damascen. in vita Barlaam c. 12. Anno 731. Beda in cap. num. 6.

Haymo Halberstatensis, post octauum seculum, infernus, inquit, in medio terræ esse perhibetur. Idq; ex Psalmo 85. confirmat, vbi de inferno inferiori Dauid loquitur, quò animæ peccatorum descendunt, vt dent scelerum pœnas. Rabanus, [Infernum, inquit, non irrationabiliter arbitramur esse sub terris, cum in veteri testamento de Dathan, & Abiron legitur. *Aperuit se terra, & deglutiuit eos, & viui descenderunt ad inferos.*] IX. Seculum Anno 850. Haym. Halberst. in Psal. Rab. Maur. in c. 3. Hierem. Num. 16.

Ad Decimum seculum, refero Theophilactum Bulgariæ Episcopum, nõ quòd mihi sit exploratum, eo tẽpore vixisse, licet enim id quidam affirment, alij tamen, non leuibus argumentis, volunt aliquantò post scripsisse, verũ, quòd nulla obscurior ætas fluxerit, scriptorum penuriâ. Hic igitur enarratione in c. 16. Lucæ, in huiusce veritatis cõfirmationẽ, ait, Diuitis illius animam dignam fuisse post mortem infimo loco, hoc est inferno, quòd nihil sublime, nihil cæleste vnquàm cognouerit, tùm subdit. [Dicendo quod sepultus est in inferno, insinuat obiter dominus, quod anima eius, locum infimum, & caliginosum sortita fuerit.] X Seculum. Bellarm. de script. Eccles. vult Theophilact. vixisse circa an. 1071. Iodoc. Coc. in Thes. Theol. ait Theoph. floruisse anno 900. Ant. Poss. in Ap. an. 860.

Quanquàm vndecimo seculo, multi summa cum laude XI. Seculum.

Anno 1086. Anſel Cant. de Imag. Mundi c. 21.

ſcripſerint, vnum referam Anſelmum Cantaurienſem [Infernus, ait, ideo dicitur, quia inferius eſt poſitus. Sicut enim terra eſt in medio aere, ita Infernus eſt in medio terrę, vnde & nouiſſima terra dicitur.]

XII. Seculum. Anno 1130. Bernar. Ser. de Tranſ. Malachiæ. Hugo de Sacram. fid. p. 6. c. 4.

D. Bernardus, duodecimo ſeculo, gehennam deſcribens, inquit. [Eſt deorſum nos locus, quem ſibi totum vendicat ignis.] Hugo Victorinus, eiuſdem æui. [Dicitur, inquit, infernus eſſe inferior locus, in imo terrę, pœnis damnatorum præparatus.]

XIII. Seculũ. Circa Annũ 1240. Gul. Periſ. p. 2. de de. vn. c. 47. Circa annũ 1265. D. Th. 4. Sen. d. 45. a. 2. q. 2.

Decimotertiò ſeculo, Gulielmus Pariſienſis, cenſuit infernum eſſe in medio terrę. D. Thomas Aquinates multis id coniecturis probat. Demum Aegidius Romanus, infernum vocat locum infimum.

Circa Annũ 1290. Aegid. Rom. de Infer. c. 4. XIV. Seculũ. Anno 1300. Dur. 4 d 44. q 9. n. 8.

Decimumquartum ſeculum habuit huiuſce veritatis teſtes. Durãdus a Sancto Portiano, celebris theologus, ait, cõmuni hominum perſuaſione, infernum eſſe infra terram, cum & Iſaias 14. cap. dicat. *Infernus ſubtus conturbatus eſt.* Nicolaus Liranus, qui compendioſis commentarijs vniuerſam ſcripturam illuſtrauit. In Pſal. 85. pro eodem accipit infernum inferiorem, ac pœnarum locũ. Et in c. 16. Num. inquit, illud *Deſcenderunt viui in infernum*, idem eſſe, ac in inferiores terræ partes, in quibus dicitur eſſe infernus à Doctoribus.

XV. Seculum. Anno 1438. S. Bern. Sen.

Decimumquintum ſeculum, non pauci ſcriptores, doctrinâ inſignes, illuſtrarunt, inter quos ne unus quidem, inficiatus eſt, quin gehenna recondita eſſet intra terræ corpus. S. Bernardinus Senenſis non uno id loco ſignificauit, præſertim Tom. 2. Sermonum Feria 2. poſt primam Domin. Quadrag. Alphonſus Toſtatus, multis id argumentis conuincit in ſuis Paradoxis.

Anno 1440. Toſt. Parad. 5. c. 96.

XVI. Seculũ.

Prętérito ſęculo, decimoſexto nimirum, ab anno milleſimo quingenteſimo, ad ſexcenteſimum, quo plurimi ſtrenuè contra hęreticos decertarunt calamo, ac egregijs lucubrationibus ſacra oracula expoſuerũt, nullus, quòd ego ſciã, qui mẽtionẽ inferni fecerit, quæ talia agentibus ſępe incidit, gehennã alibi eſſe, ſuſpicatus eſt, quàm in imo terræ hiatu.


Fuit

Fuit igitur semper Maiorum nostrorum mens, infernum in infima terræ parte constitutum esse. Verùm, quorsum, ais, longa adeo doctorum serie, huiusce decreti veritatem confirmare? Quid vel ad catholicã fidem, vel ad mores conformandos pertinet, intelligere, vbi nam gehenna posita sit? Scilicet consilium fuit hisce magnæ authoritatis scriptoribus, tum ob egregiam nõnullorũ sanctitatem, tum ob singularem omnium in diuinis litteris peritiam, certum dogma de inferno sub terra constituto, confirmare, non modo, vt constaret, vbi existat tartareus carcer, quod, vt alias probatum, non sine spiritali commodo cognoscitur, sed etiam vno ictu prosternere, ac profligare absurdos errores, qui vel infernum tollunt, vel ad aliud detorquent, quod minimè sit infernus. Patet enim, quod alibi etiam patuit, insanire recentes hęreticos, qui volunt, aut infernum esse, vbicunq; peccatores viuunt, aut esse læthalem culpam, aut vnam accusantis conscientię pœnam, aut vitam scelerati hominis, aut acerbam corporis mortem, aut corpus ipsum, in quo degit anima, aut nudum animę statum extra corpus, aut metaphoricum quid; cum nunquàm non fuerit exploratum doctissimis viris, malis ex hoc sęculo decedẽtibus, præparatũ esse infamem quandam cauernam, horridumquè carcerem sub terra, à luce remotissimum, vbi detinendi in perpetuum sunt.

De hisce hæresibus singillatim actum à cap. 16. ad 32.

CAP. XLIX.

Infernum esse in centro terræ. Id aliquos Gentilium subodorasse.



I quis autem scire aueat, num longè à terrę superficie gehenna distet. Non est dubium esse in profundissima terræ parte, eâ nimirùm, quâ nulla profundior, quod satis, & argumenta probant, & testimonia, de quibus diximus. Opponuntur enim inter se Cęlum, & Gehenna, fœlicitatis, & mi-

miseriæ regnũ, beatorum ergo sede in supremo omniũ loco, nobilissimo, præstantissimo, constitutâ, damnatorum carcer, pœnæ locus optimo iure collocatus est, in infimo omnium, tetro, obsceno. Huiusmodi autem est centrum terræ, quò ne tantillum quidem lucis, uel amici cœlorum influxus peruenit. Hîc regni satanici, & mansionis improborum, apta regio. Qui à Deo recesserunt, diuinamq́; maiestatem, quantũ in se fuit, læserunt, iustè in eam terram amandantur, quæ à cœlesti aula, ac ab ea regione, quam Deus ipse, Sanctiq́; incolunt, remotissima est. Nullus autem à Paradiso disiunctior locus, centro terræ, ubi diuina iustitia fabricauit fossam igne, dirisq́; cruciamentis plenam, densissimis circumseptam tenebris, ut ibi sontes detineat in pœnis. Id citatum superiori capite Tertulliani testimonium ex libro de Anima c. 55. conuincit. Id Lactantius significauit, cum dixit, Inferos esse terrâ profundiores. Id sensere Hieronymus, & Isidorus dum inferos esse in corde terræ testati sunt. Id Anselmus, cum ait, infernum esse in medio terræ, id quàm plurimi alij.

Lact. l. 2. de Orig. e[r]roris. Hier. in c. 5. Esa. Isid l. 14. Orig. c. 13. Ansel. de Imag. Mem. c. 21.


Ethnicis quoque, id non omnino absconditum. Pythagorici, ex Aristotele, ignem in terræ meditullio constituebãt, eumq́; locum, custodiam, seu carcerẽ Iouis appellabant. De Anaxagora scribit M. Tullius. [Quum Lapsaci moreretur, quærentibus amicis, uellet ne Calzomanas in patriam, si quid accidisset, afferri. Nihil necesse est, inquit, undiq́; enim ad inferos tantundem uiæ est.] At (si de via Anaxagoras cogitabat) nõnisi à circũferẽtia ad centrũ, pares undiq́; lineæ. Dionysiodorus apud Plinium, chirographo in eius sepulchro reperto, affirmauit, se ad imam terram, post mortẽ peruenisse, hoc est, ut Geometræ interpretati sunt, ad medium terrarum orbem, & ueluti pilæ medium. Plato, nonnisi in profundissimo terræ hiatu, inferorum iudices constituit, atq́; uoluit ibi reos torqueri. Poetæ demum cantant suis carminibus, tartarea flumina non aliunde oriri, quàm à profundis terræ uisceribus.

Arist. 2. de cœlo c. 13. Cicero. 1. Tuscul. Plin. l. 2. nat. hist. c. vlt. Plato 10. de Rep. & alibi.

CAP.

CAP. L.

Sit ne dogma fidei, Infernum sub terra esse.



LLVD autem hoc loco adduci in disputationem potest. An Scripturæ, fideiq; decretis repugnaret, qui, gehennam haud latere sub terra, contenderet. 1 Plusquàm temerarium esse, & hæresi valde affine, id oppinari, sanxerunt nonnulli ex Theologis; immò est, 2 qui censeat, certa præscriptione adhibita, non immunem hæresi censendum, qui neget sub terra esse. Clara siquidem sunt, & aperta nimis diuinæ scripturę testimonia, illa maximè in quibus Chore, Dathan, & Abiron viuos deglutitos esse à terra, ac ad inferos descendisse, legimus. *Dirupta est terra*, (aiunt diuinę litteræ) *sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntquè viui in infernum, operti humo, & perierunt de numero multitudinis.* Vbi terræ hiatus, descensus, & factum super eos humi operimentum, illos in terræ gremio receptos, indicant. Sanè inter fidei dogmata habemus Christum ad inferos descendisse, *Descendit ad inferos* Symbolum tradit. De Christo D. Petrus. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*]. Christus de se ipso. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Vt ergo hæc, dogma de Christi ad inferos descensu probant, sic locum esse subterraneum, vbi Christi anima fuit, non obscurè significant. Quis enim dicat, *Cor terræ* esse supra terram, Christum ad inferos descendisse, perinde esse, ac in aliquam ex terræ regionibus, quamuis remotam, iuisse. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum ad inferiores partes terræ*, ait Apostolus. Hæ verò inferiores partes, inferi ipsi sunt. Quanquàm autem inferorum

1 Dom. Sot. 4. d. 45. q. 1.
2 Archan. de Rub. 4. d. 50.
Num. 16.
Act. 2.
Matt. 12.
Ad Ephes. 4.

voce,

voce, cùm de Christi ad inferos descensu agitur, ea tantùm inferorum pars communiter accipiatur, in qua Sancti Patres degebant, hinc tamen concluditur, damnatorum sedem similiter in infima terræ parte esse. Licet enim Christus non descenderit in gehennam, ipsam tamen latere sub terra, non iniuriâ colligitur, quandoquidem, & Lymbus Patrum, quò Christus descendit, quique superior est gehennâ, sub terra esse perhibetur.

Archan. de Rub. sup.

Mihi semper visa est non improbabilis sententia Archangeli de Rubeis, quæ ita habet summatim enarrata. Quanquàm nullibi à diuina scriptura, vel generalibus cōcilijs apertè, & expresè propositum sit fidelibus, tanquàm fidei dogma, inferos sub terra esse, quomodo multa fidei decreta proposita sunt, vt Diuinarum Personarum Trinitas, locum esse post mortem vel ad gaudium, vel ad pœnam deputatum, & cęt. eaq; de causa ad fidem hoc modo non spectet, videlicet, vt aiunt, primariò. Quòd tamen, quæcunq; sacris litteris continentur, etsi ea præcipua fidei decreta non censeantur, reuocari in dubium non possint, nisi quid inde consequatur Fidei nostræ decretis repugnans, hæc, secundariò, & quasi indirectè reuocantur ad fidem, non equidē quod eis aduersari errore careat, verū, quòd nobis ab Ecclesia haud proponantur, tanquàm fidei mysteria ad credēdum, quemadmodum Abelem fuisse Adami filium, qui enim secus opinaretur, quanquàm benè sentiret de fidei articulis, nihilominus de veritate Diuinæ scripturæ dubitaret. Hoc ergo posteriori modo, videtur ad fidei dogma pertinere, inferos sub terra esse, nam aliter existimantes, re ipsa affirmarent, minus consideratè, vel saltem impropriè Diuinas scripturas loqui, quæ, vti diximus, fontes à terra absorptos esse, hacq; via ipse ad inferos prædicant, quę, hoc ipso quòd infernum malis assignarunt, locum assignarunt, qui infra sit, quę deniq; quoties de ijs agunt, qui ad inferos tendunt, toties meminere descensus, profundi, inferiorum terræ partium, cordis terræ, & huiusmodi. Neque tamen assero errasse in Fide præstantes doctrinâ viros, qui alibi, quàm in

terræ

terræ visceribus inferos collocarunt, de quibus dictum est superioribus capitibus. Est enim in primis necessarium, vt in hæresim incurrat, qui dissentiat ab eo, quod per indirectum ad fidem reducitur, vel statutum esse ab Ecclesia, aliquid inde consequi repugnans Fidei, aut adesse pertinaciam, obstinati animi vitium, errorisq; cognitionē. Ecclesia verò nec id decreuit vnquàm, nec ea, quæ recensentur, in eos doctores cadunt.

CAP. LI.

An sine temeritatis nota affirmari possit, infernum non esse in centro, licet sub terra sit.

QVID, si quis fateatur quidem Gehennam sub terra latere, at inficietur in centro esse, profundissima terrarum parte, vbi extare non leuibus coniecturis probatum est? Num hic temeritatis labe notandus? Id non affirmo; Nam idem met Angelicus doctor [1], qui multis in locis docuit infernum sub terra esse, hæsitat tamen num in centro sit, & [2] alicubi dubia proponit, quibus existimari possit, ibi non esse. Primò, quod centrum sit locus grauium, quæ tendere eò nō possēt, si destinata ibi esset malorū sedes. Deinde quia, si tāta cauitas vndiq; centrum circundaret, terra rueret, nisi diuino miraculo sustineretur, quod sine necessitate affirmandū non est. Scriptura etiam id videtur occultasse. Etsi namquè apertè legamus, Infernum subtus esse, dari infernum inferiorem, & similia, haud tamen clarè liquet, sub qua terræ parte sit, quamuis liqueat sub terra esse, & aliquorum opinio est, plures dari gehennæ regiones, quarum alia sit superior, alia inferior; Atq; Iacob aiebat, *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, nec tamen optabat ad infimam terræ partē descendere, sed ad Lymbum Sanctorum Patrum, qui damnatorū inferno superior est. Vnum hîc Christi testimonium

[1] D.Thom.4. sen d.45 a.1. q.2. & Opusc. 10.a.31.
[2] Opusc.11.ar. 24. & 25.

oppponi potest, vbi de suo ad inferos descensu loquens, ait se
Matt. 12. futurũ tribus diebus, & tribus noctibus in corde terrę; Cor .n.
terrę, nonnisi medium terrę est, igitur centrum. At certum
est, eo loco, cor terrę significare profundam terræ mansionẽ,
quam adibant Patres, non autem gehennam eâ profundiorem,
huc enim Christus non venit. Hinc etiam B. Iob aiebat,
omnia sua in profundissimum inferni descensura esse, cùm
nihil sui descenderit, nisi ad Lymbum Patrum. Quare D.
Greg. in c. 17. Iob. Gregorius inquit, apud B. Iob idem esse profundissimum inferni,
ac superiora inferni loca, dicitur enim & Lymbus Patrum
profundissimus, habita superioris terræ ratione, sicut
& terræ superficies profundissima est, si cęlum spectes. Haud
tamen negandum, valde consonum rationi esse, ijs, de quibus
alias diximus, argumentis, in infimo terrarum loco, hoc
est centro, sitam esse inferni cauernam, licet Diuinis litteris
non repugnaret, qui sibi in alia quapiam humi parte esse
persuaderet, modò eam latere sub terra existimaret.

Soluitur primum argum. S. Th. Excitatis à S. Thoma in contrariũ dubijs, ita occurritur.
Cẽtrum est quidem locus grauium, at nõ est necesse, vt omnia
grauia in centro sint, sufficit enim in terra esse, neque .n.
quidquid graue est, & ponderosum appetit punctum illud
indiuisibile, quod centrum vocamus, aut proximum illi locum,
alioqui per vim, & violenter grauia corpora in hac superiori
terra morarentur.

Soluitur secũdum argum. Cauitas verò inferni, quanquã maxima sit, haud tamen
tanta censenda est, vt terra, gehennam ipsam, & reliqua,
quæ illi adhærent, animarum receptacula, ambiens, consistere
nõ possit; sunt enim aliç cauernæ intra humi viscera, quas
terra ambit, nec labitur tamen. Dicendum itaque Deum O.
M. cum infernalem fossam construxit, ita constipasse terrã,
vt commodè citra aliud miraculum staret, quod illi ipsi fateri
coguntur, qui alibi, quàm in centro, gehennam constituũt.
Si namq; citra miraculum, in quauis parte, humus circumdat
infernalem cauitatem sine ruina, vtiq; etsi in centro posita
sit, sine ruina circundabit, vbicunq; enim ponatur, à terra
vndiq; circumsepietur, instar concameratæ domus.

CAP.

CAP. LII.

Sit ne damnatorum receptaculum solida terræ moles, an caua quædam vorago cuiusuis corporis capax.

PAVLO latius nunc persequamur, quod leuiter hîc tetigimus: Sit ne inferni regio, quam dæmones, ac damnati homines in cruciatibus colũt, intra terram cauata, quasi cauerna quædam; an solidum terrę corpus, sine vlla prorsus scissione, & hiatu, qui diuina potestate ignem gehennalem foueat, contineatq́; ac recipiat improbos. Nisi enim mortali huic carni, post eius à suo spiritu dissociationem, iterum induenda esset immortalitas, haud temerè quis cogitaret, necessum non esse, ingentẽ quandam voraginem, ac immensã fossam intra terræ viscera collocare, tum quòd natura postulare videatur, vt ibi solidum corpus existat, & quiescãt grauia, tum quòd, insani sit opinari, ad quamlibet animarũ, dæmonumue multitudinem capiendam, requiri vacuum quid, solidi expers corporis, quemadmodum ad aquam recipiẽdam, vacuo vase opus est, cùm integræ legiones malorum spirituum vnius hominis corpusculum occuparint, ac vniuersę spiritales creaturæ, stare possint in puncto. At cum aliquando homines nequam in vitam restituendi sint, vt pœnas luat illud idem corpus, in quo animus peccauit, videtur penè ridiculum affirmare (quanquàm non desint, qui id censeant) eandem terræ grossitiem, centro proximam, nihil à se se disiunctam, ita recepturam improbos, vt penetratione data, eos intra se ipsam contineat, id Deo sua potestate efficiẽte. Ex Tost. 7. p. in Matt. c. 25. q. 346.

Equidem diuino accedente beneplacito, atq; manum admouente Omnipotentia, potuisse gehennam ita disponi, vt in centro terræ esset, & intra terræ soliditatem degerent, ac cruciarentur gehennalibus incendijs, tum animi, tum corpora damnatorum, non ambigo, non dubito. Quan-

tum tamen licet, ex sacris oraculis, antiquis Patribus, ac probatis scriptoribus conijcere: Infernalis regio est pergrandis quędam cauitas, ampla vorago, patentissimus hiatus, ijs cruciamentis plenus, quæ Deus ad malorum punitionem præparauit. Id haud dubiè insinuat Christi sententia, *Ite maledicti in ignem æternum*: cum .n. tartareus ignis corpus quoddam sit, & crassum quidem, ac pingue, admixtione sulphuris, & aliarum qualitatum, quæ augere cruciandi vim possunt, postulat omnino locum, qui habeat continendi capacitatem, sitq; ab omni solidiori corpore vacuus, atque nudus. Corpora similiter damnatorum, quæ proculdubio erunt ponderosa, concreta, & densa, idem flagitant, nisi absq; necessitate ad miraculum confugiamus. Egregiè Tertullianus, vniuersum inferorum domicilium describens. [Nobis inferi, ait, non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terrę, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Si quidem Christum in corde terrę triduo mortis legimus expunctū, id est in recessu intimo, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo.] Vnde alias hæreticorū impietatē detegimus, qui inferorū nomine, aliud ab inferno intelligunt, inde rem nostram in præsentia comprobamus. Tartarum namq;, quandam esse in alto vastitatem, abstrusam profunditatem, recessum intimum in ipsa terra opertū, ac intra ipsam cauatum, certò persuadent, damnatorum domicilium, vndiq; terra circumscribi, nec esse ipsam terræ soliditatem. Sed, quādoquidem hac in re ieiuni fuerunt cœteri fermè doctores, audiamus Episcopum Abulensem, qui paulò ante præteritum sęculum, multa cum laude scripsit. [Est autem (ait) locus iste quædam vacuitas in corde terræ, in qua ignis est, omniaq; cruciatuum genera, quæ apud tartara memorantur. Hoc autem dicendum rationabiliter valde videtur; quoniam vel omnes, qui apud tartareas sedes manent in corde terræ, sunt in aliqua vacuitate, vel nemo eorum hoc habet, sed omnes intra terræ spissitudinem, secundùm penetrationum dimensiones sunt, ita vt nulla sessio,

Gehenna nuda cauitas; est.

Matt. 25.

Tertull. lib. de anima c. 55.

Alphonf. Tost. Paradox. 5. c. 189.

sio, aut vacuitatis spacium in corde terrę sit, quia ibi damnati manent, ac si ibi nemo maneret, sed totum clausum, aut solidum sit, veluti paries, aut lapis. Hoc patet quia non apparet, nec dari potest vlla ratio, quare quibusdam consistentibus intra terrę spissitudinem, alij in vacuitate maneant. Quidam tamen sunt intra concauitatem terræ in qua ignis, & alia genera pænalitatum sunt; omnes igitur intra quandã amplissimam erunt cõcauitatem in corde terrę in qua multi capi possent. Quòd autem quidam in cõcauitate quadam, in corde terræ, in ipsâ inferna sede, maneant, apparet; quoniã Sancti Doctores, infernum locum quendam esse ponunt: si tamen in inferno nulla talis concauitas foret, in qua damnatorum corpora manerent, sed essent in visceribus terræ solidæ nullam habentis scissionem, secundum ea, quę prædicta sunt, infernus locus non esset: nam locus est superficies corporis continentis, & sic concaua ad aliquid continendum &c.] Huc vsquè Tostatus.

Ratio Abulen. cur infernus sit cauitas quędã.

CAP. LIII.

An lumine naturali dignosci possit, hanc cauitatem esse in centro terræ.



IDEO hîc rursus posse id obijci, quod doctorem Angelicum dubium fecit, num gehenna in centro terræ existeret. Terrę elementum esse cæterorum omnium solidissimum, ac grauissimum, eiusq; naturæ, vt nonnisi vi super cætera emineat, vt igitur corpus maximè ponderosũ, infimũ locũ postulabit, & occupabit, neq; inanis quidam hiatus, & amplum chasma centrum ambiet, quod sedes grauium est, sed ipsa met terræ moles.

Certè licet natiua mentis luce, etiam orbata fide, intelligere quisquè possit, locum esse post mortem præmijs, vel supplicijs, probè, aut improbè in hac vita gestis: non posset

tamen

tamen quiuis philosophus, etiam in Mathematicis versatissimus, eo, de quo diximus, argumento, absq; diuinis testimonijs, probare euidenter in gentem adeo fossam, latamq; scrobem igne, & cœteris cruciamentis plenam, in terræ centro esse. Quin suspicati sunt nonnulli, haud latere sub terrâ tantam cauitatem, quæ capere omnes damnatos posfit, vt superiori Capite monuimus, sed in solidã terræ molem recipiendos esse, corporibus sese inuicem penetrantibus.

Ex Abulen. 7 p in Matt. c.25.q. 546.

Verùm, quanquàm hæc sint, nullus tamen conuincere argumentis posset, quin posfibile sit, maximeque congruum in corde terrę à Deo fabricatam esse tartaream cauitatem. Terræ elementum, si eius naturam, & conditionem nobis considerandam proponamus, se se amat partium indissolutam coniunctionem, ac inuitò quicquàm admittit, quod vnionem, mutuamq; cõstipationẽ impediat, nec non molestè fert à sua sede deturbari. Hinc terra diuisa, pristinam vnionem exquirit, suspensa in altum contendit, vt descendat. At cum naturaliter rebus omnibus insit, nõ modo proprium commodum appetere, sed etiam totius vniuersitatis bonum, immò posterius id, innatum magis, sępè numero priuato commodo, commune bonum anteponunt, ac eligunt, veluti infima membra, lædi pro capite: quamobrem nonnunquàm aer descendit, ascendit aqua, & terra ipsa admittit cuniculos, & cauernas suo sinu, quæ inclusis vaporibus, exhalationibus, & aquis inde genitis sufficiunt. Lubet ergo à creaturis ad creatorem procedendo, duplicem in rebus vim, ordineq; distinguere, alterum quo sibi, statæq; natuturalibus regulę deseruiunt, alterũ, quo Deo, totius vniuersitatis authori, & conseruatori optimo, qui prouidentisfimè rebus omnibus consulit, aptè singula disponit, iustisfimeque pœnas, & præmia pro meritis distribuit. Ignis suâ naturá ascendit, & vrit: cum tamen omnium moderatori Deo placuit, ad excidium impurisfimarum vrbium descendit è cælo: ac aliquãdo suo ardore exutus, instar suauisfimi roris, recreauit tres infantulos, in eum coniectos, & sæpè numero, multos Sanctorũ martyrũ, stupentibus tyrannis, nihil læsit.

Quo modo terra, immensam adeo inferni cauitatem, concludat suo sinu.

Genes. 19.


Daniel 3.

Terra

Terra corpus densum est, nec facilè cuilibet corpori cedit, cum tamen diuino beneplacito visum est, sine fossore aperta veluti aquâ penetrabilior, ac mollior cerâ. Chore Dathã, & Abiron absorpsit. Quid ergo implicantiæ, in terræ visceribus, vastum quendam gurgitem esse, opacitate, ardore, sulphure, cæterisquè pœnis miserrimum, quanquàm adeo immensa cauitas non placeret elemento terræ, nisi quatenus obsequi diuinæ voluntati debet, eiusquè imperium minimè detrectare? Aqua, vti dictum est, oblita sui, superioris elementi sedem petit, & naturaliter quidem conseruandi causa totius vniuersi ordinis, ne inane quid detur in natura. Cur repugnet terrę elemento, ne sontes, & improbi, inimici naturæ Authoris eò vagentur, quò non decet, obscurum carcerem cruciamentis, & cruciandis corporibus continendis aptissimum, suo sinu complecti in ea parte, vbi à Deo ipso, & à naturę commodis, quibus abusi sunt, remotissimi degant? Num. 16.

CAP. LIV.

Quæ tartareæ cauitatis forma, & figura. An oblonga, an pyramidalis, an circularis.



EST ergo gehenna ingens quidam terræ hiatus, terrâ vacuus, in terræ corde existens. Quæret nunc curiosus quispiam, quæ eius sit figura, & forma. Iodochus Lorichius scribit in suo Lexico Theologico, se apud nescio quem vidisse quandam adumbrationem infernalium ergastulorum, quam ipse delineauit. Hæc, vt videre est in prima Inferni imagine, quàm initio huius operis, vnà cũ alijs imprimendã curauimus, in ipsis terræ visceribus, propè centrum, oblongum, & amplum spacium, veluti antrum quoddam, seu cauernam cõstituebat, illudq; versùs superiorem terrę partem ascendendo, in quatuor regiones diuidebat, Infernum, quæ omnium erat profundissima, Purgatorium, Lymbum puerorum,

Iod. Lor. in Lex. Theol. ver. Infer.

Figura A.

Quid suadeat, infernum esse oblongæ figuræ.

rorum, & Sinum Abrahæ. Reor causam fuisse huiusce opinionis, quòd infernus, omnium doctorum consensu, magnitudine, & capacitate reliqua animarum subterranea loca, longè excedat, in hoc enim non modò dæmones, ac animæ malorum sine corpore concludendæ sunt, quibus non est opus grandi loco, sed etiam infinita ferè corpora damnatorum, quæ sua mole ingens spacium occupabunt. Cum igitur circuli versùs terræ centrum multiplicati, quo propiùs eò accedunt, eo etiam sint angustiores, infernus non adhærebit terrræ centro in modum globi, seu circuli, nam superiora loca, & circumferentiâ, & loci amplitudine, essent maiora, etsi enim fieri possit, vt altitudine inferior locus excedat, quem mente concipis intra postremam sphæram contineri, quòd tamen superior suo ambitu longiùs protendatur, ac suo sinu complectatur inferiorem, inferior non adæquabit superioris magnitudinem, nisi illum in absurdam altitudinem erigamus, aut putemus, superiorem esse inconsone angustum. Cogita è contrario, gehennam proximam centro esse, atque in longinquum spacium decenter altum extendi, facilè intelliges eam longiorem, ac latiorem esse cæteris receptaculis, quæ altiùs extolluntur, est namque in circumferentia, æquis distincta lineis illud maius spacium, quod lineis centrum continentibus terminatur.

Figura I. Existimâtes gehennâ pyramidalis esse figuræ ex Bart. Syb. in Spec. Per. Q. Dec.1.c.3.q.4.

Qui putant, subterranea animarum loca intra pyramidele spacium esse disposita, aiunt, certam eius partem, quę à cono, centro adhærente, versus basim tendit, occupari ab inferno. Itaque gehenna haud erit vndequaque lata, sed à coni angustijs in statam pyramidis latitudinem desinet.

Figura K. Infernum esse orbicularis figuræ. D.Th.3.d.22. q.2.a.1.q.2. Palud.4.d. 45.q.3. Ricchar.Ibi. a.1.q.2.

Multis partibus plures volunt, infernum à Deo fabricatum esse globosum, seu rotundum, quorum sententia probabilior censetur, tùm quia frequentior, & eorum, quorum authoritas non exigui est ponderis, sequuntur enim illam D. Thomas, Petrus à Palude, Ricchardus, & alij non obscuri nominis scriptores, tùm quia, si quis in re abstrusa valde coniecturam quærat, arguet, in hunc modum. Tartarea domus longiùs distat à quauis terrę parte, quàm cætera ani-

marum

marum ergastula, & in eo situ est, respectu terræ, in quo est terra ipsa, respectu cæli, dicente Gregorio [Quod terra à cælo est, hoc esse debet infernus à terra]. Erit ergo longior linea à quolibet latere circumferentiæ terrę, rectà ad infernum vsq; ducta, quàm ad alia receptacula, atq; infernus ęquè distabit à quauis parte ambitus terræ, sicut terrę globus æquè distat à cęlo. Finge nunc animo, infernum intra oblongas lineas, circumferentiam terræ secantes, atq; centrum complectentes, aut intra spacium pyramidalis figurę propè conum, quod centrum similiter comprehendat, contineri; reliqua animarum promptuaria, ita supra infernum esse collocata, vt gehennæ proximum, superiorem tantùm eius oram contingat, quemadmodùm figurę declarant. Licet à certa parte superficiei terræ, veluti ab Oriente ducta linea, primò ad Abrahę sinum, tùm ad Lymbum puerorum, deinde ad Purgatorium, postremò ad infernum perueniet, tamen si eandem lineam ab Occidente rectà ducas centrum versùs, hæc primò deueniet ad infernum, si longiùs protrahatur, ad Purgatorium, ob idq; minus erit spacij ab Occidentali plaga ad infernum, quàm ad Purgatorium. Si verò cogites, infernum intrà sphęram centrum circumscribentem, positum esse, & ab alijs subterraneis sedibus, vndiq; circundari, gehenna sic stabit in ima terræ profunditate, vt à quauis eius circumferentię parte, sit longè disiunctior, quàm alię animarum cellę, ac eundem infernus ordinem habebit ad terram, quem habet terra ad cælum, quæ, si naturâ suâ alterius esset figurę à sphęrica, haud pari interuallo, vndique distaret à cælo.

Greg. 4. Dial. c. 42.

Figura A. & Figura B.

Coniici etiam non improbabiliter potest, Deum, qui pręcipua corpora, quæ ad integritatem, conseruationem, & commodum huiusce vniuersitatis faciunt, sphęricæ figuræ condidit, cęlos, ignem, aerem, aquam, terram, eâdem formâ maledictum dęmonum, ac damnatorum domicilium fabricasse, & hoc enim ad bonum vniuersi non mediocriter cōducit, dum inseruit detinendis sontibus, qui in sordibus obierunt, & viuentibus à sceleribus auocandis, cum eius loci

Alia coniectura, quæ suadet infernum esse circularis formæ.

squalorem, & horrorem meditantur. Sed hæc fortè, plus habent subtilitatis, quàm roboris. Illud monendum, non esse minus probabile, infernum esse rotundæ figuræ, quòd sit omnium subterraneorum ergastulorum capacissimus, sphęrica autem figura, quo est centro propinquior, eo sit contractior. Nam putandum est, Deum, qui ab ęterno optimè nouit, quanta ibi damnatorum multitudo concludenda esset, tantum spacij concessisse gehennæ, vt capere eam posset: aut certè, si videatur incongruum, tantum esse tartareum hiatum, stante hac mundi figura, vt sufficere omnibus reproborum corporibus possit, non deerunt, qui dicant, ante mundi excidium, & commune omnium examen nudas animas infernum adire, quibus tanto loco non est opus: post exustum orbem, & vniuersale iudicium, corpora quidem iuncta animabus trudenda esse in gehennam, ac tunc, Dei potestate, dilatandam esse inferni cauitatem, ijs modis, quos lectori aperiemus alio volumine, agentes de statu damnatorum post iudicium. Verùm satis diuinauimus; veritas Deo nota.

Richar. à Med. Vil. 4. d. 44. q. 2. ad 2. & alij.

CAP. LV.

An inferni cauitas in plura receptacula, & distinctas mansiones diuidatur, in quibus acerbiora, vel mitiora tormentorum genera contineantur.

Doctores in plures cellas infernum distinguentes. Ephrem. Syr. l. de vera pœn. c. 7.



ILLVD indagandum, vnus ne sit infernalis hiatus, an varias habeat custodias, varijs sceleribus plectẽdis destinatas. Ephrem Syrus significauit, gehennæ antrum ex varijs veluti cauernis componi, in quibus, alij igne crucientur, alij tenebris, alij vermibus, alij alijs pęnis. [Varia sunt, inquit Ephrẽ, tormentorũ loca, sicut in Euangelio audiuimus. Sunt enim tenebrę exteriores, haud dubium quin, & interiores. Gehennæ ignis locus alius, stridoris dentium proprius locus,

locus, vermis item immortalis, alio in loco est. Stagnū ignis locus est proprius, suoq; itidem loco ignis inextinguibilis est. Inferi, atq; perditio suis terminis constant, & inferiora terrę alius locus. Infernus, quò mittuntur peccatores, & inferni profundum, atrocior locus. Inter hęc suppliciorum loca distribuuntur infelicissimi, vnusquisq; pro peccatorum suorum modo, siue mitiùs, siue vehementiùs, sicut scriptum est, quoniam spinis peccatorum suorum, vnusquisque constrigitur.] Non absimilia habet Basilius Magnus. Andreas Cęsareæ Cappadociæ Episcopus, vetustissimus scriptor, suis in Apocalypsim commentarijs, in plura, distinctaq; contubernia inferorum fossā distinxit. [Vt apud Deū, inquit, & Patrem multæ saluandorum sunt mansiones, ita ibi quoquè (scilicet in inferno) diuersa erunt suppliciorum loca, alia enim sunt acerbiora, alia mitiora, quibus illi tenentur in æternū, qui in libro vitę scripti non sunt.] D. Gregor. in Dialogis visus est & ipse, ex illo Ioannis, *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, & ex illo Matt. *Colligite Zizania* &c. plura ergastula in gehenna distinguere, in quibus pro qualitate facinorū, diuersa tormēta mali patiantur. [Ipsa veritas, inquit, iudicij sui diē denuncians, ait Tunc dicam messoribus, colligite zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Messores quippe Angeli, zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares paribus, in tormentis similibus sociant, vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus, ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia deducuntur, quia eos in locis pœnalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendū ligant.]

Prouer. 5.
Basil. in Reg. breu. Inter. 267.
Andr. Cæsar. c. 63. Apoc.
Greg. l. 4. Dial. c. 35.
Ioan. 14.
Matt. 13.

Michael etiam de Palatio Theologus insignis, non improbabile censuit, multas cauitates, distinctas inter se, ambire centrum terræ, in quibus grauiùs, mitiùsuè scelesti puniātur. [Forsitan nō erit, inquit, vna sola concauitas concipiens omnes damnatos, sed aliæ, & alię iuxta terræ centrum, & circum circa ipsum: quia huiusmodi concauitates, si dixerimus varias esse, & non vnam solam, forsan non ineptiemus, neq;

Mich. Pal. 4. d. 46. disp. 1.

absurdam theologiam inuehemus auribus nostratiũ theologorum, vt quædam scilicet sint superiores, luendis minoribus delictis, aliæ profundiores, delictis grauioribus plectendis. Enim verò si confessum est, theologis, infernum damnatorum esse profundiorem purgatorio, & Lymbo puerorum, & Patrum, qui olim erat, vt distincta receptacula distinctionem pœnarum, & puniendorum denotent, cur non infernus damnatorum, diuersis distinguetur receptaculis, seu cõcauitatibus, pro diuersitate puniendorum, & punitionum?] Hęc hi doctores, qui haud explicarunt quot nam sint istæ damnatorum ergastula. Id fecere alij.

Figura C. Initio Operis, cum alijs inferni imaginibus, expressa, Hæbreorum existimationem ostendit.

Rab. Meis L. de Sacr. cult. p. 2. c. 31. ex Barthol. Valuer. in asser. ignis Purg ex Heb.

Lib. Iesod. Sirim ex Valuer. sup.

Nomina septem gehennæ mansionum.

Rabbini statuunt septem esse gehennę cellas, iuxta septem nomina, quibus in sacris litteris appellatur, quorum c. 13. meminimus. Rabbi Meis Ben. Gab. [Non est æqualis, inquit, in gehenna cruciatus, & pęna impiorum, quin vniuscuiusq; supplicium ab alterius supplicio, diuersum existit, atquè vnius quidem est grauius, quàm alterius. Ideóq; in gehenna, qui est tormentorum locus, septem sunt mansiones, quarum frequens est apud doctores mentio, queis septẽ nomina tribuuntur]. Ac in Libro, cui titulus est *Iesod Sirim*, earundem septem mansionum fit abundè mentio, ac singularum appellationes recensentur, & flagitia enumerantur, quæ puniuntur in singulis. [Septem sunt (hęc eius libri sententia est) mansiones hominum tormentis post mortem destinatæ. Corpora quidem absumuntur in sepulchro, animæ verò igne torquentur. Mansio prima vocatur *Puteus*, estquè excelso, & sublimi loco infinitis Angelis hominum perditoribus, vexatoribusquè referta, similis prorsus puteo in quo nullæ sunt aquæ. Ac de ea dictum est, vox tumultus de ciuitate, vox de templo, vox domini reddentis retributionem inimicis suis. Hîc puniuntur, qui sapientum discipulos contemnunt: qui Dei creaturis maledicunt, & leuibus huiusmodi peccatis inquinantur. Secunda vocatur *Corruptio*, Estq; ignis subuiridi colore nigricans, neq; enim ibi vlla lux, sed caligo, & tenebrę. Hîc elati homines, atq; superbi, quiq; proximorum probris, & contumelijs exultant, qui templum

quo-

quotidie non frequentant,qui alijs hominibus violentas manus afferunt,qui quempiam probro afficiunt,quiq; his, & similibus alijs alligant se, in hac mansione pœnas luunt. Tertia vocatur *Silentium*,vbi plectuntur, qui famam aliorum lędunt, qui sapientiæ nomine tument, voluntq; digito monstrarier,& dicier hic est,qui aliorum dicta, & facta peiorem in partem accipiunt, qui mutuo dant ad vsuram, qui alios peccare vidẽt,neq; corripiunt.Itaq; hi, & si qui sunt similes, hîc puniuntur. Quarta *Lutum cœni* appellatur. Hîc sunt inhumani homines,& inclementes,qui miseris hominibus,& opem suam implorantibus,asperiùs respondent,qui eos affligunt,& si videant in extremis angustijs constitutos,neq; iuuant,neq; mutuo dant.Tum hi,qui mercenarij pretium detinent, qui mollitiâ defluunt, suumq; corpus flagitiosè, ac turpiter polluunt, qui iudiciorum corruptelas moliuntur, qui munera à litigantibus accipiunt,hi ac similes etiam,hoc loco,pœnas dant. Quinta mansio est *Sceol*, siue *Fouea*, & sepulchrum, vbi sunt hæretici Epicurei, legem diuinam, ac mortuorum resurrectionem negantes, de quibus illud dictum est. Sicut consumitur nubes,& trãsit,sic qui descendit ad inferos,non ascendit.Mansio sexta vocatur *Vmbra mortis*, Hic plectuntur adulteri, qui alienum thorum maculant, & eiusmodi sordium amatores. Septima *Tachtyoth Arez* inferiora terrę,quò qui descenderit,nunquàm ascendit.Hîc sũt, qui,quæ sequuntur scelera admittunt. Homicidæ,qui nullã fecerint pœnitentiam,idolatræ, negantes resurrectionem &c.] Ac paulò post.] Atq; in his omnibus mansionibus,ignis noctu,dieque succensus deuorat, & absumit animas impiorum,eorumq; omnium qui vocantur Beshaim.]

Bartholomæus Sybilla censuit,& ipse tenebrosam terram in septem regiones,seu cauernas distingui,iuxta numerum septem læthalium criminum, voluitq; in alia cruciari superbos,in alia auaros, in alia inuidos, in alijs demum reliquis peccatis inquinatos. Barthol Syb. in spec. Per. Q. Dec.1.c.3. q 7.

Placuit alijs,nouẽ esse in Gehẽna ordines locorũ,quòd tot sint dęmonũ genera,qui è cęlestibus Angelorum ordini- Figura D. Dicentiũ nouem esse gehennæ mansiones,ex Sybil. sup.

bus

bus deturbati sunt in tartarum; Ceciderũt siquidem ex quolibet ordine aliqui, Theologorum sententiã: singulis igitur, aiunt ordinibus certus locus deputatus est à diuina iustitia, superior, inferiorue iuxta peccantis conditionem, ac peccati grauitatem. Infimus quidem his, qui supremi futuri erant, quique ex ordine Seraphin lapsi sunt, paulò sublimior his, qui in ordine Cherubin fuissent, & sic de cœteris, vsq; ad infimum dæmonum ordinem, quibus, putant, supremã inferni regionem contigisse, quòd leuius eorum crimẽ fuerit. Volunt hi, eadem inter se distincta nouem receptacula manere ijs hominibus post mortem, qui vel contraria Angelicis virtutibus vitia sectati sunt, vel abusi ijs muneribus, quæ Angelicis dignitatibus haud absimilia cẽsentur. Quamobrem in fossa infernalium dæmonum, qui in ordine Seraphin fuissent, si stetissent, eos collocãt, qui per hypocrisim, simulato Dei amore, student in primis, inani gloria allecti, sanctitatis famam apud homines consequi. In antro tartareorum Cherubin, concludunt ignauos, & desides, qui negligunt ea cognoscere, quæ necessaria sunt ad salutem, vel certè humanæ, diuinæq; legis peritos, qui scientiæ dono inflati, eo in propriæ animę perditionem abutuntur, atq; hoc modo de singulis ratiocinantur.

Singulos demonum ordines habere certum inferni carcerem.

Ac sanè videtur rationi consentaneum, haud vno, eodemq; loco concludi damnatos omnes. Deus omnipotens omnia facit in pondere, numero, & mensura, igitur, & antrum corruptionis, non sine ordine quodam construxit, sed ita illud composuit, vt, quos par culpa teneret, æquè molestus carcer concluderet, non vt inde aliquid voluptatis, vel decoris acciperent damnati, sed, vt iustitię ordine seruato, atrocioribus, mitioribusuè ergastulis occluderentur, qui grauiùs, vel leuiùs deliquissent.

Ratio cur infernus debeat in varia distingui receptacula.

CAP.

CAP. LVI.

Inferni barathrum haud componi varijs receptaculis inter se dispositis, sed vnam esse scrobem vastam, & amplam, nec ibi ordinem esse locorum, quamuis non desit ordo tormentorum.

LICET abdita res sit, nec certi quicquam sacræ litteræ apertè statuant, adducor tamen, vt credam, vniuersam damnatorum regionem, esse vnum quoddam confusum chaos, ingentemq; fossam igne plenam. Id videtur conijci ex D. Iob authoritate, cum nullum in inferno ordinem esse, sed sempiternum ibi horrorem inhabitare testatus est. Id similiter colligitur, ex nominibus, quibus plerunq; diuina oracula, gehennam appellant [1] *Clibani ignis*, [2] *Camini ignis*. [3] *Stagni ignis ardentis igne, & Sulphure*, quę, tartaream fornacem, ac vastum infernalis ignis puteum, vnam esse voraginem significant, in qua omnes improbi torqueantur; Quamobrē alicubi, *Torcular* dicitur, quòd promiscuè omnis damnatorum multitudo in vno, eodemq; loco, ingenti tormentorum mole prematur.

Iob. 40.
1 Psal. 20.
2 Matt. 3.
3 Apoc. 20.
Apoc. 19.

Certè, si multiplices, variasq; mansiones Deus in gehēna disposuit inter se distinctas, & ordinatas, id fecisse, putandum est, vt certis sceleribus, certa suppliciorum loca respondeterent, atq; pro qualitate scelerum acerbior, mitiorue pœna esset, non enim cogitandū, id fecisse, ornatus, decorisuè tartareæ domus causa. At si peccatorū diuersitas, & varia culpæ qualitas effecere, vt diuersa loca prępararentur malis. Nec septem tantùm, nec nouem, sed infinitę propemodum mansiones in gehenna erunt. Quanquàm enim, certa sint peccatorum capita, ad quæ omnia referuntur, sub vno tamen, eodemq; genere peccati diuersi malitię gradus continentur. Superbus, superbo aliquando grauius peccat. Non om-

Argumētum ad probandum, gehennam non distingui in plures mansiones.

omnium, qui venereis dediti sunt, æqua malitia est. Furatur quis tunicam, aliùs aureum torquem, fur vterq; at impar vtriusq; scelus. Immò contingit sæpe grauiùs quem alio peccare eo crimine, quod erit naturâ suâ leuius, vel obduratâ magis voluntatis nequitiâ, vel quapiam circumstantia adueniente. Itaq; si detur superbis distinctum receptaculum ab inuidis, quòd amborum distincta sit malitia, & superbis assignanda erunt distincta inter se loca, quòd peccato superbiæ alius, alio enormius delinquat, nec enim æquum tibi videtur, in eodem carcere maiori, minori vè supplicio dignos cruciari. Quare quot improbi erunt, tot ferè inferi erunt, certis inter se distincti terminis. Si varia loca, varijs criminibus dantur, quid illi accidere putandum erit, qui superbiâ, inuidiâ, auaritiâ, luxuriâ, cæterisq; flagitijs inquinatus emoritur? An hic in distinctis locis erit? Fore, inquis, vt in eo carcere concludatur, qui ei crimini debetur, quod cæteris grauius fuit. Quid si non impari voluntatis affectu, pari malitia vtrumq; scelus admiserit?

Satius ergo est cogitare in vna, eademq; inculta voragine, in vno, eodemq; igne, ijsdemque cruciamentis, recipi dæmones, ac damnatos, ibique à sapiente igne, & alijs rationabilibus veluti tormẽtis, pro scelerũ diuersitate, variè, multipliciterq; torqueri, ita disponente diuinæ iustitiæ ordine, quæ ibi ignem parauit nonnisi ad plectenda mala. Fauet D. Hieronymus, cum tradit, pro qualitate, peccati ignem sibi, vnumquemq; succendere. Et quo modo in eodem manentes loco, & si dici potest lectulo, alij sani sunt, alij febrium succenduntur ardoribus, ex diuersitate humorum, atq; pituitate, diuersa supplicia sentientes, sic & ignis, qui à peccatoribus succẽditur, materiam in peccatis habet. Igitur idẽ ignis, cuius pabulum sunt peccata, pro diuersitate peccatorum, varias inferet pœnas, sicut pro diuersitate materiæ varios effectus gignit, vt explicabimus secundo libro, cum vnum esse gehennæ ignem, probabimus.

Hier. in c. 50. Ef ad illud. *Ecce vos omnes.*

Soluitur contraria ratio.

Hoc verò pœnarum, pro mensura scelerum, discrimen efficit, vt affirmari iure possit, in inferno non deesse ordinẽ

quen-

quendam tormentorum, de quo D. Gregorius, ad illud Iob *Vbi nullus ordo inhabitat*, inquit. [Mirum est valde, quod dicitur, neque enim omnipotens Deus, qui mala bene punit, inordinata esse vllo modo vel tormenta permittit. Quia ipsa quoque supplicia, quæ ex lance iustitię prodeunt, inferri sine ordine nequaquàm possunt. Quo modo namque in supplicijs ordo non erit, dum damnatum quemque, iuxta modum criminis, retributio sequitur vltionis? Hinc quippe scriptum est, Potentes potenter tormenta patientur, & fortibus fortior instat cruciatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur. Quantùm exaltauit se, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum]. Patres, qui diuersa in inferno pœnarum loca videntur distinxisse, alia mitiora, alia acerbiora, alia ignis, alia tenebrarum, alia vermium, ac scripserunt, superbos cum superbis, inuidos cum inuidis, & pares, deniq; cum paribus, cruciandos: haud docebant gehennam habere varias mansiones, quouis modo inter se distinctas, verùm sententias suas captui hominum accommodantes, qui non adeò facilè percipiunt, vt in eodem carcere tanta existãt cruciamenta, atq; vt ab eodẽ igne, alij duriùs, alij leuiùs torqueantur, obijciebãt hęc mortalibus, ac si vnũquodq; pœnæ genus, proprium locum haberet. Hoc sensu B. Ephrẽ scripsit citata superiori capite verba; respondet enim interroganti, an in vnum omnes supplicium abituri sint, an varij existant cruciatus. Hoc sensu apertè Basilius loquitur. Hoc demum sensu Andreæ Cęsariensis, & Gregorij sententiæ accipiendæ. Gregorius se ipsum, & Cæsariensem explicabit. [Sicut, inquit, in domo Patris mansiones multę sunt, pro diuersitate virtutis, sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subijcit disparitas criminis.] Nimirùm beati omnes in cęlo Empyreo Deo perfruuntur, alius alio suauiùs pro diuersitate meritorum, igitur in eadem inferni cauitate damnati eodem igne cruciabantur, alius tamen alio grauiùs pro disparitate peccatorum.

Gregor. l. 9. Mor. c. 39.

Lucæ 6.

Apoc. 18.

Exponuntur testimonia Patrum, qui diuersa in inferno loca distinxerunt.

Greg. vbi sup.

CAP. LVII.

An, & quomodo, quoue ordine, gehenna à reliquis animarum locis circumscribatur. Quibus terminis, ab eis distinguatur.

SVPEREST, vt inquiramus, num profundum hoc dæmonum, & damnatorum antrum à cæteris receptaculis ambiatur vndiquè, ac explicemus, quodnam illi proximè adhæreat. A Deo reuelante nihil hac de re accepimus, & antiqui Patres in ea vestiganda non laborarunt, quòd vel ad mores probè instituẽdos, vel ad catholicam fidẽ, parùm conducat; non defuêre tamen docti viri, qui, varijs coniecturis, probabile quid, subodorare sunt conati. Vniuersi conueniunt, infernum esse reliquis receptaculis profundiorem, at discordant aliqui, an hæc vndiquè illum circumsepiant, & quo ordine stent supra gehennam.

Ante initium Libri extat *Figura E.* Primæ sentẽtia ex Barth. Svb spec. P. Q. Dec. 1. c. 3. q. 4. Suar. T. 4. in 3 p. S. Th. disp. 45. sect. 2. n. 11. Luc. 16.

Meditantur quidam, tria inferorum receptacula Purgatorium, Lymbum puerorum, & Sinum Abrahæ statim ad tartareæ cauitatis oram collocata esse, in diuersis eius circumferentiæ partibus, nullumquè inter se ordinem seruare superioris, aut inferioris, sed omnia æquè esse gehennæ proxima, ac ad varias mundi partes extendi. At ruit hęc opinio, quòd Scriptura significet, longo interuallo gehennam distare à sinu Abrahæ, aiebat enim Abraham ad diuitem illum in inferno conclusum, *Et in his omnibus inter nos, & vos magnum chaos firmatum est.* Ex quibus verbis, doctores conijciunt, Lymbum Patrum haud fuisse proximum inferno, sed eo longe superiorem.

Figura F Secundę sententię ex Franc. Suarez. sup.

Existimant alij, non esse absonum, vniuersum gehennæ globum à Purgatorio, & Lymbo puerorum in modum sphæræ circundari, ita tamen, vt alterum receptaculum integram inferni circumferentiam non occupet, sed vnumquodq; dimidiam. Itaq; duo hæc loca inuicem proxima erunt,

runt, & ęqualiter inferno vicina. Collocant autem ſinum Abrahæ, aut ſupra alterum horum receptaculorum, aut in alia terræ parte, certo interuallo ab his diſiuncta, vt longa intercapedine ab inferno diſtet.

Communis opinio eſt, tria animarum receptacula, quæ ſub terra latent, ſupra infernum eſſe, ordine quodam ſuperioris, & inferioris inuicem diſpoſita, ita exigente vario ſtatu, & conditione incolarum. Quòd tamen nonnullis indecens videatur, animas damnatorum, cùm ad infernum ducuntur, ac dæmones eò tendentes, per ſinum Abrahę trãſijſſe, vbi Sancti Patres in ſumma tranquillitate verſabantur expectantes Redẽptoris aduentũ, aut penetrare Purgatoriũ, vel Lymbum puerorum, nolunt gehennam à quauis harũ manſionum vndequaq; ambiri, ſed vel proximè tantùm ad certam eius partem ſtare, vel ita eam circunſtare, vt alicubi veluti os quoddam relinquatur, ſupra quod, nullum ſit receptaculum, ſed dæmonibus, damnatis, ac purgandis animabus inſeruiat, vt peruenire ad ſua ergaſtula poſſint, non trãſeundo, per aliena. Sunt igitur, qui cogitent, ſtatim ſupra infernum, ab aliquo eius circumferentiæ angulo, protendi oblongam veluti cauernam verſus aliquam mundi partem, hancq; tribus cellis diſtingui, quarum alia ſub alia ſit, & alia ſub altera, atq; ſuperior contineat ſinum Abrahę, media Lymbum puerorum, inferior gehennæ propinqua, purgatorium. Alij, tres haſce cellas, cogitant, orbicularis formæ. *Figura O. Tertię ſentẽtię ex Barth. syb. & Suarez. n. 16. ſup.*

Non valde ab his diſcrepant duę aliorum opiniones, altera eorum, qui cogitant, ſubterranea animarum loca intrà certum ſpacium contineri, quod pyramidalem figuram conficiat, cuius conum proximè ad centrum conſtituunt, reliquum extendunt uerſùs ſuperficiem terræ, ac quatuor eã terminis, in quatuor regiones partiuntur, quarum infima ſit dæmonum, & damnatorum, aliæ ab alijs animabus occupentur, iuxta earũ conditionem, & ſtatum. Altera recentioris illius, qui, ut Iodochus Lorichius refert, ita infernum, ac cœteras manſiones animarum delineabat, ac ſi diſpoſitæ eſſent oblongâ, & æquabiliter latâ cauernâ, in corde terræ e- *Figura B. Quartæ ſententiæ ex Sybill. ſup.* *Figura A. Quintæ ſententiæ ex Lorich. in Theſ. Theol. V. Infer. n. 2.*

 xiſtente,

xistente, cuius fundum dæmones, ac damnati colant, superiores partes, aliæ animæ inhabitent.

Figura H. Sextę sententię, ex Suarez. sup.

Scripserunt alij, non esse improbabile, Deum circa inferni ambitum Purgatorium collocasse quasi per modum circuli, ita tamen, vt minimè circumscribat integram inferni circumferentiam, sed versùs aliquam mundi partem, veluti os quoddam supersit, seu vacuum, seu terrá repletum, vt dæmones animas in gehennam ducant, nec tamen transeant per Purgatorium, idquè volunt insinuatum esse à D. Anselmo, cum ait, Infernum esse inferiùs dilatatum, & superiùs coangustatū, ob eam nimirùm partem, quæ est veluti ianua inferni. Quoad reliqua duo receptacula, Lymbū puerorum, & sinum Abrahæ, inquiunt, ea in quadam terræ profunditate sita esse, quàm proxima inter se, ob quandam inter vtrumq; receptaculum cognationem, & affinitatem, ac longè distantia ab inferno, quatenus Purgatorium includit, cum ex Lazari, ac Diuitis historia, longo interuallo sinus Abrahæ à loco tormentorum, disiungatur.

Ansel. de Imag. Mund. c. 21.

Lucæ 16.

Figura I. Septimę sententię.

Insignes Theologi sanxerunt, inferni cauitatem vndiquè, veluti circulo quodam, ambiri ab aliqua cœterarum mansionum, hanc rursus à paulò superiori circundari, demum supremam vallare reliquas omnes, quasi sepimento quodam. D. quidem Thomas, quem sequuntur Gabriel Biel, Richardus, & Bartholomæus Sybilla, supra infernum collocat Lymbum puerorum, censuit enim huic profundiorem, ac viliorem locum conuenire, quòd in eo degant pueri inquinati originali peccato, eaq; de causa Dei hostes, qui nunquàm eum gustabunt, supra Lymbum Purgatorium, supra Purgatorium, Sinum Abrahæ.

S. Thom. 3 d. 22 q. 2. ar 1. Biel 4. d. 45. q. 1. ar 1. Rich. ibid. a. 1. q. 2. Sybil. sup.

Figura K. Ioan. Maior 4. d. 45. q. 3. Palud. 4. d. 45. q. 3. Soto ibid. q. 1. ar 2.

Maior autem, Petrus Paludanus, Dominicus Soto, & alij quidam, aiunt, gehennam à purgante igne per modum sphærę circumscribi, hunc à Lymbo puerorum, Lymbum à sinu Abrahæ, rationabilius enim putant, inferno proximum esse purgatorium, quàm Lymbum, est siquidem in purgatorio, non secus ac inferno, acerbissima pœna sensus, & viuacissimus pręterea ignis, qui, vt multorum fert opinio, vtrobiquè

quę eiusdem est naturæ, & conditionis.

Hæc Doctores excogitarunt, à quibus certi quid seligere vis humana non potest, quòd in summa caligine res sit, & Deus infernalium regionum conditor nihil reuelarit, potueritq; hac, eaue ratione ergastula illa disponere, & collocare pro suæ prouidĕtiæ ordine. Tria tamĕ semper mihi visa sunt probabiliora. Primò hæc loca ordine superioris, & inferioris esse disposita, cum videamus Deum pro dignitate rerũ loca dispensare, sublimia, vel infima, vt licet in hac elemĕtorũ machina contemplari. Secundò omnia esse inuicem proxima, ac vnum quoddam veluti regnum constituere, cuius regiones certis limitibus distinguantur. Nihil enim cogit existimare, in varijs partibus scissam esse terram, cum vna, eademq; amplissima cauitas, in quatuor loca, suis diuisa terminis, iuxta diuinę uoluntatis beneplacitum, in eadem terræ parte, sufficere diuersis animarum ordinibus possit, quę, vt nescio quâ status cognatione conueniunt, sic iure intelliguntur, locorum uicinitate, propinquę. Tertiò, & ultimò, infernum undiq; à purgatorio circumscribi, hoc à Lymbo puerorum, Lymbum à Sinu Abrahæ, quemadmodum sentiunt doctores postremæ sententiæ. Cum enim Deus in terrę gremio fabricarit quatuor subterranea loca, ueluti inferiorem quendam mundum, quem eæ animæ colerent postquâm à superiori terrę facie migrarunt, quibus aut stato tĕpore, aut in omnes æternitates, non licet adire beatam patriam, non est improbabile, eum componi quatuor sphæricis regionibus se inuicem amplexantibus, sicut in hac uniuersitate, quæ uiuentibus in corpore animabus inseruit, quatuor elementaria corpora, ex quibus conflatur, se inuicem circundant, ac complectuntur, quantùm fert hominis commodum. Et harum quidem regionum infima iure datur ijs, quos scelerum pondus, quàm longissimè à Paradiso, in perpetuum carcerem ablegauit: paulò superior ijs, qui temporaneæ pœnæ lauacro purgandi sunt: tertia ijs, qui licet haud notentur proprijs criminibus, quæ ipsi patrarint, ob idq; nulla sensus incommoda sentiant, quòd tamen in eos deriuarit

De recitatis opinionibus authoris sententia.

Figura K.

Ordo subterraneorum ergastulorum, eiusq; ratio.

ea lues, quæ Adamum mortalium parentem, & ipsos in parente corruperat, nec salutaribus medicamentis sit curata, meritò ibi concluduntur, nec unquàm eam ciuitatem intrabunt, quam nihil inquinatum ingreditur. Suprema uerò eorum erat, qui, cum nihil illis persoluendum superesset, ac puri omnino essent, & Deo grati, rectà uolassent ad beatitatis regnum: quòd tamen totius naturæ uitiatę reatus obstaret, qui eò usq; deletus non fuerat, detinebantur in ea custodia, donec æternum Verbum, mortali indutum carne, pro communi offensa satisfaceret. Id ubi factum est, ac eò Redemptor descendit, inde eruperunt diuini amoris incendio, ac Saluatoris beneficio impellente, quotquot illo detinebantur ergastulo, nec diutiùs tulerunt terræ angustias.

Occurritur difficultati. Neq; uerò mihi uidetur minus consona hæc trium ergastulorum supra gehennam dispositio, quòd si eam se seq; inuicem ex omni parte circumuallent, perueniri ad infernum non possit, uel ad superius receptaculum, ni per reliqua transeatur. Id enim mihi non magis est inuerisimile, quàm certum os, seu aditum, in aliqua parte, ad tartareum specus, ac alia receptacula, imaginari; nam sępe numero multis animabus uniuersa ferè terra peragranda esset, ut ad uestibulum sui receptaculi peruenirent. Quid enim si gehennæ, ac purgatorij aditus Occidentem uersus respiciat? An migrantes ex hoc uita animæ in Orientali regione, quæ aut purgantibus flammis indigent, uel in sempiterna incendia conijciendæ sunt, uniuersam terræ molem circuibunt, ut ad os illud perducantur? Non est igitur inconueniens opinari id, quod alij non esse improbabile censuerunt, dæmones, & animos in infernum ruentes pertransire omnes illas subterraneas regiones, augetur enim non mediocriter eorum pœna, cum præsentes intelligunt, ac uident, omnium se creaturarum infelicissimos esse, quandoquidem aliæ, antequàm Christus infernum debellaret, in summa traquillitate, & pace uiuerent, omni prorsus molestia immunes, expectantes Liberatorem, qui eos ad æterna bona eueheret: aliæ, quanquàm sine spe diuinam faciem contemplandi, à dolore tamen,

Barthol. Sybil. sup. qui citat Héric. de Assia in Genes.

men,& pœna sensus uacuæ sint, & liberæ: aliæ demum, etsi salutares,& expiatorias pœnas persoluant,firma spe teneantur, inde ad Deum omnis beatitatis, & gaudij fontem, tandem aliquando euolandi.

Sed, quid subterranea animarum ergastula inuicem distinguit? An interiecta alicius terræ partis moles, veluti quidam murus,alterum ab altero diuidit? Ex authoribus septimæ,& octauæ sententiæ,videor mihi conijcere,nihil terræ interpositũ esse inter hæc loca,quod apertè opinatus est Episcopus Abulensis, atq; ego verisimile puto: cum enim spiritus facilè permeent quælibet corpora, frustra quouis terræ vallo intra certos limites coercentur, ni aliud detineat. Diuinum igitur imperium,quod sine ripis terminum mari præscripsit, cuius nutu,sine aggere,stetit aqua à Moyse diuisa, quasi murus, ita suos fines vnicuiq; inferorum mansioni assignauit, vt egredi non liceat dæmonibus,& animabus incolis,nisi eodem diuino imperio disponente.


Quid animarum ergastula inuicem distinguat.

Alphõs.Tost. p.7. in Matt. q. 739.

Ierem. 5. Exod. 14.

CAP. LVIII.

Quando nam infernus à Deo sit conditus. Quòd ab origine mundi. Quòd alij existiment sexto die Creationis rerum,alij tertio,alij secundo, alij probabiliùs primo, immò ante dæmonum peccatum.



NON est prætermittendum in hac de inferni cauitate tractatione, quandonam Dei omnipotentis iustitia,eam in corde terræ fabricarit, disposueritq; eo,quo diximus, modo. Atq; sine dubio statui potest, id fecisse ab origine mundi, quod multi significatũ putant ab Esaia,ijs verbis, *ab heri præparata est Tophet*. Vox enim illa *heri*, inquiunt, haud externum tantum diem in sacris litteris significat, sed continuam

Es. 30.

Ad He b.13 tinuam durationem, quo sensu Apostolus *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in secula*. Id verò apertè testatum reliquit D. Gregorius Magnus. [Omnipotentis iustitia, ait, futurorũ prę-scia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœnã reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum, etiam sine lignis nunquàm finiret.] Quare, nec ante creationem mundi, nec ante creationem Dæmonum, vt videtur placuisse Ruperto, vbi scribit, ignem inferni antequam diabolus crearetur, conditum esse.

Greg.l.15. mor.c.17.

Ruper. L.9. de Oper. Spi. San. c. 21.

Cum verò vniuersa mundi creatio, à Deo opifice, septem dierum interuallo terminata sit, & completa, quonam die creatus sit infernus, incertum est apud doctores. Richardus à Media villa censuit probabilius, ignem inferni, ac infernum ipsum, eodem die conditum esse, quo homo, nempe sexto. [Ignis inferni, ait, vt habetur libro primo de mirabilibus sacræ scripturæ, præparatus est in perfectionem creaturarum omnium hoc est in prima conditione rerum; Sed vtrum hoc fuit prima die, quâ Angeli fuerunt creati, aut sextâ, quâ creatus est homo, apud aliquos dubiũ est, probabilius tamen videtur, & magis auctoritati consonum, quod hoc fuit sexta die.] Richardo, D. Isidori sententia repugnat, cuius hæc sunt. [Priùs de cęlo cecidisse diabolus creditur, quam homo conderetur, nam mox vt factus est in superbiam erupit, & statim, vt factus est cecidit.] Omnino igitur ante sextum diem, quo hominem fecit, infernus erat, quó, superbiã, multi Dęmones ceciderant.

Richar. à M. V.4.de 44.q. 3.

Auth.l. de Mir.s.scrip.l. 2.c.2.

Isid. de sum. bono.c.12.

Multis recentioribus placuit, tertio die conditum esse, cum videlicet Deus, aquas omnes, in vnum locum congregauit, quo tempore authumant, non modò Deum tantum terræ eleuasse, quantum aquarum congregationi immensis nempe maribus, & fluminibus capiendis sufficeret, verùm etiam, educta è centro ingenti terræ mole, ac constructis inde montibus, obscurum ibi dæmonum, malorumq; regnum parasse. Id placuit tribus Societatis Iesu doctoribus. Martinus Del Rio vir diuinæ, & humanæ litteraturæ peritus, de Opere tertiæ diei, inquit. [Probabile est, hoc eodem tertio die

Opinio dicẽtium tertio die conditã gehennam.

Mart.delRio in Genes.

Deum

Deum marmora metalla, fossiliaq; cętera, produxisse, quæ in terræ penetralibus abdita, cupiditatis humanæ insatiabilis audacia perscrutatur. Denique in imo terræ centro, eleuata inde portione tot montium, & littorum editorum, vastum spacium reliquisse crediderim, vbi de ipsa terræ substantia, sulphurei ignis, & conflagrationis inexaustam materiam, & per illud inane diabolo, & Angelis eius sedes æternas, pœnamque præparauit, quem locum Gehennam, & infernum nuncupamus.] Idem placet Ludouico Molinæ, qui ita scribit. [Porro quando Deus eleuabat terrã, vt aquæ in locum vnũ congregaretur, simul condidisse videtur infernum in centro terræ, ibiq; reliquisse cauitatem ingentẽ, plenam igne sulphureo, materiaq; damnatorum tormentis apta, quam materiam de terra tunc produxit. Ingens autem illa cauitas, circumcirca in centro terræ relicta, adiumento fuit, vt terra plus intumesceret, ac eleuaretur.] Demum idẽ sensit Benedictus Fernan. [Medio in centro terræ, inquit de Opere tertiæ diei, reliquit omnipotens rerum conditor immensum propè spacium inane. Vbi ex sulphurea terræ ipsius substãtia, in sempiternum inexhausta materia ardescit, quæ ignis sulphurei conflagratio, gehenna, & infernus nominatur.]

Molin. de opere sex dier. disp. 11.

Ben. Fer in c. 1. Gen. sect. 5. nu. 4.

Quidã Iudęi deniq; teste D. Thoma Aquinate, secũdo die conditum infernum existimant, nixi memoratę authoritati Esaiæ 30. *Præparata est ab heri Tophet*, aiunt enim, idem sonare *ab heri*, ac secundo die.

D. Th. in Es. cap. 30.

Horum authorum opinio, haud existimanda esset improbabilis, ni exploratũ esset, superbos spiritus statim post peccatum damnatos, ac multos ex illis in subterraneum carcerem coniectos. Dęmones autẽ, vt D. Isidori iam citata sententia indicat, mox vt facti sunt, peccauerunt, cecideruntq; in infernum, vt de dęmonibus agentes differemus. Quamobrem videtur magis consonum Gehennam, eo ipso die conditam, quo terra, nempe primo. Scilicet primo die angeli conditi vnà cum cælo, & eo ipso die in peccatum prolapsi sunt; igitur, cum post crimen mox plures in æternum carce-

Infernus primo die conditus. Isid. sup.

Tonst. p. 7. in Matt. c. 25. q. 708.
Cornel. cornel. à Lap. in c. 1. Gen.

tē detrusi fuerint, primo die infernus erat. Ita docent Abulensis, & Cornelius Cornel. à Lapide, qui suam hac de re sententiā, in hæc verba protulit. [Veriùs est infernum creatum esse primo die, nam cum Angeli celerrimi sint, & instentaneos habeant motus, omnino verisimile est, eos primo die, non diu post creationem peccasse, ideoq; statim è cælo trusos esse in infernum, quem Deus statim post peccatum eorum quasi carcerem, & eculeum cum suo igne, & sulphure, eis apparauit in centro terræ. Primo ergo die, sicut Deus lucem à tenebris, ita Angelos à Dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœna, cælum ab inferno, diuisit] Id ipsum collegit Zacharias Boerius vir pietate, & doctrinâ insignis, ex communi Hebræorum expositione citati loci Esaiæ, *Præparata est ab heri Tophet*.] Nam cum tres celeberrimi dies in Scripturis habeantur, primus creationis, secundus durationis, tertius extinctionis rerum, ac primus iam elapsus sit, tertius adhuc non uenerit, in secundo autem adhuc uersemur, *Heri* nonnisi præteritum diem notat, hoc est primum creationis, qui præterijt, in quo Deus reprobis æternum carcerem præparauit.

Zach. Boer. T. 1. Demonstr 3. Cener. 3 Symb. contra Atheis. ar. 19.

Verùm sit conditus Infernus primo die, quo mali Angeli peccauerunt, an ante, vel post eorum crimen conditus est? Lucas Burgēsis in Matthæum, indicauit nonnisi eo temporis puncto, quo Angeli peccauerunt, paratum illis esse supplicij locum. Ita inquit, explicans Christi Domini sententiā, *Ite maledicti in ignem æternum* &c. [Quando nam paratus (ignis scilicet inferni) ab æterno, an à constitutione mundi? Non hoc dixit, cauere enim vult, ne intelligamus suppliciū paratum esse ante peccatum, quasi non tam ob peccatum, quàm ob decretum diuinum damnati sint igne. Quanquàm vt hominibus, ita & Angelis, electis regnum, ignem reprobis, iam inde ab æterno Deus, rerum omnium præscius destinauerat. Vult igitur Saluator, vt intelligamus, diabolo, eiusq; Angelis æternum ignem paratum, seu creatum fuisse simul atq; peccauerunt, ac proinde mitissimum Deum, non sponte sua parasse, sed coactum diabolica audacia] Non dissentit


Luc. Burg. in c. 25. Matt. v. 4.
Matt. 25.

Cornel.

Cornel. à Lapide supra relatus. Sed magis profectò congruit Diuinæ bonitati, eiusq; prouidĕtię, Deum nō modò, ante meritum bonorum angelorum, celeste domicilium condidisse, ad quod studerent virtutibus, & meritis boni peruenire, sed etiam pœnarum locum, ante peccatū desertorū, vt eius cogitatione, quicunq; flexibiles essent in malum, retraherentur à Dei offensis, & incitarentur ad bonum. Ex quo non sequitur, clementissimum Deum, prius statuisse pœnam, quàm patratum fuerit scelus; etsi enim creauerit Gehennam ante peccatum, non creauit tamen vt pœnam, noluit enim eâ quemquàm puniri, nisi post peccatum, sicuti venenata animalia ante peccatum condidit, nec homini nocere ante peccatum poterant. Cornel. Lap.

CAP. LIX.

Cur gehenna à Deo condita sit. Cur toties in sacris litteris inculcata. Cur in Euangelijs sæpius de illa mentio fiat, quàm de regno Cælorum.



EST quidem communis omnium existimatio, condidisse Deum tartareum carcerem, vt flagitia puniret, ac cruciaret sontes. At diuinam bonitatem meditanti, perspicuum est condidisse potiùs, ne puniret, ac veluti cogeretur creaturas ad sui similitudinē factas, eò mittere. Cum enim Deus velit omnes homines saluos fieri, voluit etiā nō modò ad id occultam nobis conferre opem, sed etiam ea, tanquam prouidentissimus, obiecit oculis, quibus vis mira inest creaturæ rationalis in officio continendæ, eiusque abducendæ à scelere, quod vnum impedimento est, consequendæ saluti. Præparauit ergo diuina bonitas pœnas, & carcerem, vt horum assidua cogitatione, ita se gereret creatura, vt facilè pœnas, & carcerē declinaret, non vt diris eam tormentis afficeret. Sæuientis, & crudelis iudicis est, quodam supplicij stu- Gehenna cōdita est, vt eā declinemus

dio, & quasi voluptate præparare patibula, & pœnas, paterni, & æqui iudicis, parare cruciatus, ne scelera quis consectetur. Hinc Origenes ait, gehennam non solùm factam esse eius causâ, qui puniendus est, sed etiã propter vniuersos homines, inter quos, & ij censentur, qui saluandi sunt, vt intelligant vniuersi, quàm rectè instituenda sit vita, cùm malè instituta acerbè adeo puniatur. Iudex admonet ne peccetur, dum obseruari iussa persuadet, dum se obseruantibus patrẽ: contemnentibus iudicem comminatur. Pater, cum virgam parat, vult plectendi occasionem euitare. Cur toties à Christo inculcata gehenna, cur toties immortales peccantibus cruciatus obijciuntur. [Gehenna non minùs quàm regnum Dei circa nos curam ostendit, inquit Chrysostomus, gehenna namq; cum regno cooperatur, ad ipsum timore homines compellens: ne sæuitiæ, neq; crudelitatis rem esse censeamus, sed misericordiæ, multæq; benignitatis, & curæ, & dulcis erga nos amoris. Nisi per Ionam subuersio denunciata fuisset, non fuisset prohibita subuersio. Nisi dixisset, quod subuerteretur Niniue, Niniue non stetisset: nisi fuisset intentata gehenna, in gehennam omnes cecidissemus: nisi prænunciatus ignis fuisset, ignem fugisset nemo. Eorum, quæ facere vult, contraria dicit, vt quæ vult faciat.] Vt felicitatis regno mortales potirentur, non minus opus erat regno ipso, quàm gehennâ. Non enim sola gaudiorum repromissio sufficit ad excitandos ad virtutem animos, nisi etiam illos timor pœnarum impellat, qui negligentiùs ad illam affecti sunt. Immò, quòd homines, tardi sint ad bonum, & lubentiùs in malum propendeant, solet metus pœnarum vehementiùs à sceleribus auocare, quàm spes præmiorum. Quare ineffabili sapientia, & paternâ in nos curâ, vt idem Chrysostomus animaduertit, sæpius Christus gehennam cõminatus est, quàm cælum pollicitus. [Patres etiam, inquit, quando nolunt punire filios, verbis iram attollunt. Ita, & ipse, qui non vult punire, verbis metum reddit grauiorem. Dicit enim se parasse gehennam, ne mittat in gehennam, & ideo etiam in Euangelijs plura dicuntur de supplicio, quàm

Orig. Hom. 9. in Hier.

Chrysost. hom. 55. ad Popul. Antioch.

Chrysost. L. 1 de Prouid. Dei.

Chrys. hom. in Psal. 7.

de regno. Quia enim in ijs, qui minus sentiunt, non tam bonorum promissio, quàm tormentorum metus adducit ad virtutem, & abducit à vitio, propterea in ijs magis immoratur, & ea ponit assiduè.]

Ex quibus idem Ioannes Chrys. collegit, non minus extollendam esse laudibus diuinam bonitatem, quod cęlestem patriam pręparauerit, quàm quòd fecerit gehennam. [Oportet ergo, ait, Deum ęquè laudare, & quod posuerit Adam in Paradiso, & quod eum expulerit, & agere gratias nō solum pro regno, sed etiam pro gehenna, eam enim fecit, & minatus est, vt à vitio liberaret;] Tùm subdit. [Quemadmodum ergo, medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantē, non solùm in forum educentem, sed etiam domi alicubi includentem, non solum vngentem, sed etiam vrentem, & secantem obseruamus, & admiramur, etsi enim sunt contraria quæ fiunt, vnum tamen finem respiciunt, ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus, atquè adeò, multo magis, quatenus, hic quidem Deus, ille verò homo, & quòd res quidem illorum sæpe aliter eueniunt, quæ autem Deus facit, fiunt cum summa sapientia, & cura.] Non est tamen inficiandum, quin diuina iustitia, eorum similiter causa gehennam condiderit, qui posthabito gehennę metu, & conculcatis Dei monitis, se se flagitijs dedunt. Qui enim ob paratam peccatis pœnam negligit euitare scelera, dignus est, vt sibi parata sit pœna.

Chrys. in Psal. 148.



CAP.

CAP. LX.

De distantia centri gehennæ à terræ superficie. Quot milliaribus ab ea distet. Ex varijs philosophorum de ambitu terræ opinionibus, variæ de hac longinquitate sententiæ collectæ.



IDETVR, fateor, nimiæ cuiusdam diligentiæ, velle ea curiosius exquirere, quæ sequentibus capitibus persequemur, nam & Doctores nostri isthęc vel omiserunt, vel leuiter perstrinxerunt. Cum tamen nobis propositum sit, singula recensere, quæ ad infernæ cauitatis statum, & conditionem pertinent, haud alienum ab instituto visũ est, de ijs paulò fusius disserere, non equidem, vt veritatem è tenebris eruamus, quam minime intellexerunt oculatissimi homines; Verùm, vt varijs opinationibus allatis, reiq; incertitudine patefacta, ex parte suscepto muneri satisfaciamus. Atquè in proposita hic quæstione, non erit valdè laborandum, facilè enim quisq; cognoscet, quantùm spacij intercedat à terræ superficie ad tartarũ profundissimum, quod & inferni, & terræ cẽtrum dicimus, qui mathematici decreti meminerit, quo ex circumferentia, & ambitu terræ, quæ sphærica est, eius profunditas mensuratur. Id autem tale est. Terræ circũferentiam per septenarium numerum multiplica, multiplicatam partire per 22. quod exibit inde, diameter erit, hoc est certa mensura summitatis ad summitatem; Hanc si rursus diuidas in duas partes æquales, altera semidiameter erit, distantia nimirum extremitatis sphæræ à centro, vbi infernus collocatur. Cum ergo perinde sit agere de distantia centri gehennæ à terræ superficie, ac de longinquitate centri terræ ab eadem superficie, expediri res commodiùs non potest, quàm proponendo varia philosophorum opinamenta de terræ ambitu, mathematica enim præscriptione adhibita,

consta-

constabis quantùm iuxtà vnamquamq; sententiam centrũ inferni à terra distet. Septem autem in primis occurrunt mihi insigniores sententiæ, Aristotelis, Hypparchi, Erasthotenis, Ptholomei, Alphragani, Fernelij, & recentiorum, quos leuiter indicabo, ac veluti in tabella subijciam oculis legentium. Stadia, & leucas non enumerabo, recensebo milliaria, nam hæc mensura vulgatior, & facilè accomodari ad stadia, & leucas potest, octo enim stadia vnum milliare, quinque milliaria leucam Sueuicam, tria Germanicã conficiunt. Septem sententiæ de terræ ambitu, ex Clau. in c. 1. sphæræ Ioan. de Sacr. Bos.

Igitur terra suo ambitu complectitur

Ex Aristotele	Milliaria	50000.
Hipparcho	M.	34625.
Erasthotene	M.	31500.
Ptolomæo	M.	22500.
Alphragano	M.	20409.
Fernelio	M.	24514.
Recentioribus	M.	19080.

Quantus terræ ambitus.

His philosophorum placitis, si regulam mathematicam accommodes, terræ diameter hic erit. Terræ diameter.

Ex Aristotele	Milliarium.	15909.
Hipparco	M.	11017.
Erasthotene	M.	10022.
Ptolomeo	M.	7159.
Alphragano	M.	6490.
Fernelio	M.	7800.
Recentioribus	M.	6070.

Hunc milliarium numerum partire in duas partes, altera semidiameter erit, hoc est distantia centri, atquè adeò infimi gehennæ à terræ circumferentia. Quamobrem inferni centrum distabit à terra Terræ semidiameter, i. dest distantia centri à terræ superficie.

Ex Aristotele	Milliaria	7954.
Hipparcho	M.	5508.
Erasthotene	M.	5011.
Ptolomeo	M.	3579.
Alphragano	M.	3245.
Fernelio	M.	3900.
Recentioribus	M.	3035.

Ha-

Harũ ſententiarũ nonnullas, ſequuti ſunt quidam doctores theologi, & mathematici agentes de inferni à terræ ſuperficie diſtãtia. Aliqui certa milliaria addunt, vel detrahunt. Ioannes Maior, qui Magiſtrum ſententiarum ſuis cõmentarijs illuſtrauit, ab Eraſthotene non recedit, idem faciunt Eques Bonardus, & Ioſeph Roſatius, qui italicè ſcripſerunt.

In Maior 4. d. 44. q. 3. Bonard. in miſ. ra ſpheraıum. Ioſeph. Roſ. in mun. Elemen. Eug. in Pſal. 138.

Auguſtinus Eugubinus, in illud Pſalmi. *Si aſcendero in cælum* &c. ex opinione Ariſtotelis de ambitu terræ collegit, quantùm diſtet ab ea centrum, vbi infernus exiſtit: ſed verè non concordat cum Ariſtotelico dogmate, quod iam expoſuimus. Sic enim Eugubinus. [Quin & mathematici, qui hũc numerum colligere conati ſunt, ferunt terrarum orbem procedere vſque ad quadraginta millia ſtadiorum, ex quibus non ſolùm globum terræ obricularem coniectantibus eſſe neceſſe erit, ſed etiam non adeò magnum, ſi cum cæteris aſtris conferatur. His Ariſtoteles oſtendit, terram in orbem, vel circumferentiam, eſſe circiter quinquaginta quinquè millia milliariorum. Tot enim fere ſunt quadraginta millia ſtadiorum. Si tanta igitur eſt, circumferentia, profunditas ideſt diametros erit triplo, dimidioquè minor. Ideſt nouem millia milliariorum. Hæc quantitas terrarum à ſummo vſq; ad ſummum. Centrum autem in medio eſt, quod ęqualiter ab vtraq; parte diſtat. Quatuor igitur millia milliariorum, & quingenta plus minus ſunt, vſq; ad centrum terræ locum profundiſſimum, & à cælo remotiſſimum. Quò cum perueneris ad alteram terræ partem propinquabis. In centro autẽ terrarum maximè longinquo à luce, & ſede diuorum inferos eſſe, omnibus gentibus perſuaſum eſt.]

Aiguan. Pſ. 9. nu. 108. ex Ioan. Laur. in Pſal. 62.

Aiguanus quidam, cuius opinionem refert Ioannes Laurinus, diſtantiam inferni à terræ ſuperficie centum ſeptuaginta tribus milliaribus cum dimidio breuiorem eſſe cẽſet Ptolomei ſupputatione, enumerat enim milliaria 3405½ ab inferno ad terræ oram.

Sebaſt. Mun. l. 1. Coſm. c. 16.

Sebaſtians Munſterus Ptolomei, Alphragani Fernelij, & recentiorum menſuras exceſſit. Ait enim hac de re. [Circum-

cumferentia terræ habet milliaria germanica, 5400. ab hoc circumferentiæ complexu vlterius colligitur, crassitiem, seu diametrũ terræ habere 1718. milliaria germanica, & duas vndecimas vnius milliarij. Partire hunc numerum in duo æqualia, & inuenies quot milliaria à superficie terræ supputentur vsq; ad centrum eiusdem, nempe 859.] Quare terræ superficies distat à centro, iuxta huiusmodi supputationem 4295. milliaribus Italicis, si, longiorem earum regionum mensuram milliarium, sequamur.

Moneo, omissas consultò à nobis, & omittendas fracturas quasdam milliarium in hisce calculis subducendis, quòd in re exigui momenti versemur.

CAP. LXI.

Quod nam ex recensitis decretis sit probabilius. Atquè de Epistola in sepulchro Geometræ inuenta à terræ centro, hoc est inferno, ad superos missâ, quæ mensuram viæ describebat.



MAXIMVM inter hosce authores discrimen in hac terræ quantitate assignanda, latere veritatem significat, atquè fundamenta terræ, quemadmodum, & summitatem cœlorum, inuestigari non posse, vt docent diuina oracula. Ier. 31.
Non me latet, aliquos omni conatu longè inter se discrepantia Mathematicorum placita ad concordiam reuocare, ac omnem diffidij causam referre in varia mensurarum genera, quorum alia, quibus vsi sunt, breuiora, alia longiora fuerint, quod tamen minimè congruit cum tanta opinionum diuersitate. Illud probabilius. Alios aberrasse omnino à veritate, alios propiùs ad eam accessisse. Atq; Aristotelis quidẽ, Hipparchi, & Erasthotenis sententiæ censentur plus æquo tribuere terræ magnitudini, idem existimatur de opinione Sebastiani Munsteri. Tres posteriores tanquam probabiliores, mathematici sequuntur, ex quibus, ea recentiorum probabilior putatur.

At nullus ne, ais, ad infernum ductus, dimetitus

est vniuersum iter, illudq; patefecit uiuentibus? Alia his cura, qui pertrahuntur in gehennam, quàm metiri uiam. Tradit tamen Plinius, in sepulchro Geometrę cuiusdam, adinuentam esse epistolam exaratam Dijs, quâ certa mensura continebatur, ab illius tumulo, vsq; ad infima terræ loca; eò enim vsquè, vti testabatur, peruenerat, ac itineris longitudinem obseruarat. Res à Plinio relata, sic habet. [Alia Dionysiodoro fides, nequè enim subtraham exemplum vanitatis græcæ maximum. Melius hic fuit geometrica scientia nobilis. Senecta diem obijt in patria. Funus duxere ei propinquę, ad quas pertinebat hęreditas. Eę cum secutis diebus iusta peragerent, inuenisse dicuntur in sepulchro epistolam Dionysiodori nomine ad superos scriptam: peruenisse eum à sepulchro ad infimam terram, esseque eo stadiorum quadraginta duo millia: nec defuere geometræ, qui interpretarentur, significare epistolam à medio terrarum orbe missã, quo deorsum ab summo longissimum esset spacium, & idem pilæ medium. Ex quo consecuta computatio est, vt circuitu esse ducenta quinquaginta quinque millia stadia pronunciaret.]

Plin. l. 2. Nat. hist. c. vlt.

Certè si data facultas esset, & conscribendæ epistolæ, & obseruandæ longitudinis viæ, nemo abrogaret fidẽ, egit enim vniuersum illud iter, peruenitquè proculdubio anima geometrę illius ad terræ medium, hoc est infernum; At ista, fabulæ, non enim tantum otij geometrę fuit, qui æternis flãmis cruciandus erat, vt eam epistolam conscriberet.

Thom. Cantip. l. 2. mir. c. 53. n. 5.

Occultum ergo mortalibus certum illius itineris spacium, nec aliud aptiùs responderi potest sciscitãti, quantum viæ sit à terræ superficie, ad inferni profundissimum, quàm id, quod dęmon ipse, sui memor, D. Bartholomęo respondit. *Hoc neminem melius nosse, quàm qui viam illius, sæpè eundo ad inferos mensuranit.*

CAP.

CAP. LXII.

De magnitudine inferni. Quòd sit summa capacitatis. Ex Mathematicis quibusdam allata regula, quâ certus milliarium numerus eius circumferentiæ dignoscitur. Hæc ad cætera receptacula, Sinum Abrahæ, Lymbum puerorum, & Purgatorium accommodatur. Deniq; statuitur, vanum esse, quidquid certò definiatur.



CIRCA gehennę magnitudinem, ac spacium eius ambitus, à diuinis oraculis, & Sanctis Patribus id habemus, inferorum gurgitem pergrandis esse magnitudinis, & enormis profunditatis. Cùm enim ingentem adeo rogum cõplectatur suo sinu, cum alia contineat cruciamentorum genera, quę corporea sunt, ac infinita propemodum damnatorum corpora, post vniuersalem resurrectionem, & generale examen, eò conijcienda sint, ac intra gehennæ vastitatem ita concludenda, vt, angustus licet, certus tamen vicuiq; locus, sit deputandus, conijcere quisquè potest, quàm profunda, lata, & ampla sit infernalis fossa. Subeat animo quot homines, aut in tenebris infedilitatis, aut in cęca hęreseos caligine, aut in gremio quidem Ecclesię catholicæ, sed pessimè, viuant in vniuerso, quot vixerint, quot viuent, atq; in erroribus, ac sceleribus sepulti interierint, & interituri sint. Ex minima tot hominum portione, si mente instruamus veluti agmen, aciemquè, intelligemus profectò multa campi planicie opus esse. At si ex vniuersis integrum exercitum cõficiamus, existimari vix potest, quanta regio ijs sufficiat. Hinc sapientissimus ille pinxit nobis gehennam tanquàm voracissimum quoddam monstrum, cuius viscera nunquam saturentur, nunquam repleantur. *Infernus*, inquit, *& perditio nun-* Prouer. 27. & 30.

quam implentur, & rursus *Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit sufficit*. Infernus scilicet. Idem fecit
Is. 5. Isaias, cum dixit. *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, absque vllo termino*. Alibi. *Præparata est ab heri*
Is. 30. Habac. *Tophet, à rege præparata, profunda, & dilatata*. Et Habacuc propheta. *Dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur*. De hac inferni vastitate cogitantes antiqui Patres, eam aliquando vocarunt non habētem fundum, incogitabilem, immensam, infinitè patentem. D. Hie-
D. Hier. in c. Iob. ronymus ad illud Iob. *Ipse saluabit me de ore angustò latissime, & non habente fundum*, inquit, ibi inferorum habitacula describi, quæ immensa capacitate sui, fundamentum non
Bed. in Iob. l. 3. c. 5. habent. Beda, suis in Iob commentarijs ait, posse vix credi, quàm capax sit gehēna ad recipiendos malos, sed angusta
Greg. l. 6. Mor. c. 24. supra modum, vt inde exeant. D. denique Gregorius, immensam inferni latitudinem prædicat, & eum appellat Barathrum infinitè patens. Apud alios similia passim leguntur.

Cœterùm, si quis curiosiùs perquirat, quantum spacij gehennalis cauitatis circumferentia occupet, subijciam certum esse, infernum multò minorem esse totâ terrâ, cùm in medio eius sit constitutus. Incertum verò quan-
Ita Eneas Bonar. de magnit. sphærę Ital. Ioseph Ros. in mundo Elemen. Ital. ta distinctè sit eius magnitudo. Dedère tamen Mathematici quidam normam, quâ ambitu terræ cognito, Inferni, & proximorum illi ergastulorum (agam de his quoq; ne cogar, ista nullius momenti alibi repetere) circumferentia cognoscitur. Vniuersum terrę globum in quatuor circumferentias partiuntur. Inferni, Purgatorij, Lymbi, ac Sinus Abrahæ. Atq; Sinus Abrahæ superiorem circumferentiam, aiunt conuenire cum vniuersæ terræ circumferentia. Tum considerato totius terræ ambitu, quartam partem ab eo detrahunt, resultantia inde milliaria, volunt constituere Lymbi paruulorum circumferentiam; Ab hac similiter, eandem quartam partem adimunt circumferentiæ vniuersæ terræ, quod reliquum est, putant esse mensuram circumferentiæ Purgatorij; Ab hac demum, eandem quartam circumferētiæ vniuersæ terræ partem subtrahunt, quod est Purgatorij circum-

circumferentiam in duo æqualia secare, atq;, qui superest, milliarium numerus, aiunt, eum esse circumferentiam Inferni. Sed faciliùs res percipietur exemplo.

Iuxta Erasthotenis placitum, quem hi authores sequũtur, circumferentia terræ est milliariorum 31500. Hæc est circumferentia sinus Abrahæ. Huius circumferentię quarta pars est, milliarium 7875. Hac parte, ab vniuersa circumferentia, subtracta, remanent milliaria 23625. Hæc erit circumferentia Lymbi puerorum. Hinc rursus detrahe candẽ quartam partem ambitus terræ, scilicet milliaria 7875. supersunt milliaria 15750. Hæc erit circumferentia Purgatorij. Hanc circumferentiam in duo æqualia partire, inuenies ambitum inferni esse milliarium 7875.

Ex his conijcere facilè lector poterit, quid, sectando aliorum philosophorum placita de terrę circumferentia, existimandum sit de circũferentia gehennę, Purgatorij, & Lymbi: (de magnitudine Sinus Abrahę non est, quòd dicam, hanc enim, aiunt, conuenire cum magnitudine ambitus terrę) nam iuxta Alphragani decretum (omittam sententias Aristotelis, Hipparchi, Ptolomei, & aliorũ, quę minus probabiles censentur) cũ ambitus terrę sit Milliariũ 20400. Subterraneorum locorum circumferentia, quanta sit.

Circumferentia	Lymbi erit	Milliarium.	15300.
	Purgatorij	M.	10200.
	Inferni	M.	5100.

Iuxta Sententiam Fernelij, cum terrę circumferentia sit Milliarium 24514.

Circumferentia	Lymbi erit	Milliarium	18385. 1/2
	Purgatorij.	M.	12257. 1
	Inferni.	M.	6128. 1/2

Iuxta Recẽtiores, cũ terrę ambitus sit milliariũ 19080.

Circumferentia	Lymbi erit	Milliarium	14310.
	Purgatorij	M.	9540.
	Inferni	M.	4770.

Hęc in nullo probabili argumento nituntur, sed coniectura inani, inuerisimili prorsus. Nam inferorum receptacula caua sunt, nec terrâ plena, quamuis à terra ambiantur.

Si

Si ergo subterraneorum locorum circumferentię complectere̅tur vniuersum terrę corpus, aut ipsum nullum esset, aut animę non reciperentur in locum terrâ opertum, & intra terram cauatum, vt ait Tertullianus, sed in ipsam terrę crassitiem, densitatem, solidumq; corpus, quod incongruum esse, iam disputatum. Sicut etiam ridiculum est, quod ex hac opinione deducitur, sinum Abrahę pertingere ad conuexam terrę circumferentiam, repugnare enim id videtur fidei nostrę decretis, quę docent Christum Dominum, cum eò profectus est, descendisse in inferiores terrę partes, hoc est, vt explicauit Tertullianus, in recessum intimum, & in inferioribus abyssis superstructum.

Tertull. l. de aïa c. 55.

Tertull. s.

Sebast. Müst. l. 1. Cosm. Vn. c. 16.

Sebastianus Munsterus haud adhęsit his mathematicorum calculis circa inferni ambitum, sed multò eum contractiorem censuit, & fortè angustum nimis, nam scripsit eius longitudinem, tria milliaria germanica non excedere.

Si ferenda hîc sententia est, breui expediam. Assequi mortalis coniectura potest, magnum esse infernale barathrum, reliqua etiam receptacula, certum spacium, licet longè minus, occupare: at quanta distinctè sit vniuscuiusq; magnitudo, non potest. Quamuis enim circumferentiæ cælorum, & elementorum, ex quibus hæc mundi machina componitur, certam inter se proportionem seruent, atque ex ambitu vnius, reliquarum tractus cognoscantur, haud tam inde sequitur, inferorum sedes eundem inter se ordinem seruare maioris, aut minoris, quem seruant sphærica cælorum, ac elementorum corpora. Postulat necessariò huiusce vniuersitatis bonum, vt cæli, & elementa, quò superiorem locum naturâ suâ obtinent, eò sint magnitudine ampliora: at in subterraneis animarum sedibus, maius, latiusuè spacium non sequitur eminentiorem locum. Gehenna omnium est profundissima, nihilominus, memoratis sæpè rationibus, est cæteris receptaculis capacior. Deus ergo iuxta vniuscuiusque receptaculi conditionem, congruentem illi capacitatem dedit. Hoc certum; dubium, quidquid aliter asseratur.

CAP.

CAP. LXIII.

Quantum spacij longitudine, seu latitudine Gehenna, & reliqua subterranea loca occupent. Responsum ex recensitis Mathematicorum opinionibus, nihil tamen definitum.

QVID cogitandum de latitudine inferni, ac reliquorum receptaculorum? Nihil verisimilius statui de his posse, quàm fuerit statutum de circumferentia, alterum enim sequitur alterū. Lubet tamen, quandoquidem illa non omisimus, quæ inani argumentatione de circumferentia excogitarunt Mathematici, ea similiter subscribere, quæ, pari leuitate, de diametro, hoc est longitudine, ac latitudine, inde consequuntur. Qua igitur proportione ex circumferentia terræ, subterraneorum locorum circumferentia arguitur, eâdem ex diametro terræ, diameter inferni, Purgatorij, & Lymbi puerorum, conijci potest. Sinum Abrahæ hîc etiam omitto, vt enim eius ambitus conuenit cum terræ ambitu, istorum sententiâ, sic & diameter. A diametro igitur totius terræ, si quartam eius partem submoueas, supererit diameter Lymbi paruulorum, ac rursus si à diametro Lymbi detrahas eandem totius terræ diametri quartam partem, superet diameter Purgatorij, quem si in duo æqualia diuidas, alterum erit diameter inferni. Placuit hac vti regula, quia breuior, & facilior ad rem nostram eâ, quâ ex multiplicata cuiuslibet receptaculi circumferentia per septenarium numerum, atq; per vigesimum secundum diuisa, altitudo, seu diameter colligitur. Quamobrem iuxta opinionem Erastotenis, quam hac in re sequuntur dicti Mathematici, cum terræ diameter, sit milliarium 10022. Vt cognoscatur altitudo, seu diameter subterraneorum ergastulorum.

Diameter	Lymbi erit	Milliarium	7516. $\frac{1}{2}$
	Purgatorij	M.	5011. ^{2}
	Inferni	M.	2505. $\frac{1}{2}$

Iuxta

Iuxta placitum Alphragani,(eas tantũ opiniones persequor,de quibus superiori capite diximus) cum terrę diameter sit milliarium 6490.

Diameter	Lymbi erit	Milliarium	4867. $\frac{1}{2}$
	Purgatorij	M.	3245.
	Inferni	M.	1622. $\frac{1}{2}$

Iuxta Fernelij decretum, cum terrę diamerer sit milliarium 7800.

Diameter	Lymbi erit	Milliarium	4850.
	Purgatorij	M.	3900.
	Inferni	M.	1950.

Iuxta recentiores , cum terrę diameter sit milliarium 6070.

Diameter	Lymbi erit	Milliarium	4452. $\frac{1}{2}$
	Purgatorij	M.	3035.
	Inferni	M.	1517. $\frac{1}{2}$

Ab ijsdem hęc promanant principijs,à quibus superiora,nempè incertis,& improbabilibus omnino. Nullusq; assentietur, subterraneum malorum receptaculum, infinitis propemodum sontium corporibus recipiendis destinatum, esse cœteris angustius,ac tantam magnitudinem conuenire Lymbo Patrum, quem adibant pauci, ac nemini corporea mole induto habitandum erat. Absurdam adeò inferorum locorũ latitudinem,& capacitatẽ terra nullo modo admittit. Sebastianus Munsterus tartareę cauitatis longitudini, vix duo,vel tria milliarica germanica concessit. Terra, inquit, est corpus sphæricum,vnica superficie,nempe conuexa,contentum, plenum vbiq; materiâ terrę, nisi quòd passim speluncę,& subterranei meatus in ea inueniuntur, sed qui nullius ferè sunt momenti,si conferantur ad totum globum terrę. Immò neq; infernus,qui in medio terrę esse dicitur, cũ ille punctus vbiquè à cęlo remotissime abesse definiatur, comparatione eius, est quicquam. Est quidem magna cauerna capax tot millium corporum humanorum damnatorum, sed quę nihil est collocata ad terram, etiamsi longitudine, & latitudine, atquè altitudine duo,aut tria millia contineat


Seb. Munst.l. 1. Cosm. Vniue.c. 16.

tineat

tineat germanicorum milliariorum.] Minùs fortè id improbabile, quanquàm sine fundamento rationis.

CAP. LXIV.

Quantum suprema Inferni Purgatorij, & Lymbi paruulorum ora ab hac superiori terra distet, iuxta prædictas philosophorum sententias.



GE, ex eodem mathematicorum decreto deducamus distantiam circumferentiæ superioris inferni, & aliorum latentium sub terra sedium animorum, à terræ superficie, vt intelligat lector, quid alij opinentur, non vt statuamus, quid opinandum.

De sinu Abrahæ, non est opus differere, huius enim conuexam, quam vocant superficiem, aiunt esse circumferentiam terræ, quare non distabit à nobis. Quod ad reliqua. Cogitanda est distantia centri à circumferentia terræ, hoc est semidiameter terræ, ac detrahēda ab eo quarta eius pars, sicut de circūferentia, & diametro dictum est, tunc enim supererit distantia, non superioris loci, hoc est Lymbi puerorū, qui descendendo Sinum Abrahæ sequitur, sed infimi, nempe Inferni, à terræ superficie, nam maior milliarium numerus cum de circumferentia agitur semper superiori sphæræ conuenit, cum autem de distantia, & longinquitate, inferiori. Quarta similiter semidiametri totius terræ pars, ab hac distantia superioris Inferni ambitus, tollenda est, & quod reliquum erit constituet Purgatorij à terra distantiam, hanc vbi in duas partes secaueris, altera erit distantia Lymbi paruulorum à nobis.

Hinc, cum centrum inferni distet à nobis secundum Erasthothenem milliaria 5011.

Circumferentia superior	Inferni distabit	M.	3754
	Purgatorij	M.	2505
	Lymbi	M.	1252

Cum Centrum Inferni, ex sententia Alphragani distet à nobis milliaria 3245.

Circumferentia superior	Inferni distabit	M.	2433
	Purgatorij	M.	1622
	Lymbi	M.	811

Cum centrum Inferni, ex Fernelio distet à nobis milliaria 3900.

Circumferentia superior	Inferni distabit	M.	2925
	Purgatorij	M.	1950
	Lymbi	M.	975


Cum ex recentioribus centrum inferni distet à nobis milliaria 3035.

Circumferentia superior	Inferni distabit	M.	2276
	Purgatorij	M.	1517
	Lymbi	M.	758

Finis sit inanis istius conatus, ea dimetiendi, quæ dimetiri mortalitas non potest.

CAP. LXV.

An ad inferni cauitatem certæ pateant viæ. Sacras litteras loqui de portis, & itinere inferni. Apud prophanos authores, tartaream vrbem habere vias quasdam, & patentes ianuas.



VIDEAMVS deinceps, an destinatum quoddam iter ad calamitosam inferni cauernam ducat, atq; num per statas portas, & ostia illuc eatur. Quę de locis in hoc mundo flammas emittentibus, dicta sunt, satis probant, ea haud esse ostia quædam inferni, aperturas gehennæ, & veluti ardentis illius fornacis spiracula, ac manem esse eorum existimationē, qui opinati sunt, Aetnam, Vesuuium, Heclā, similesq; flāmiuomos montes, esse portas, quà impiæ animæ ad Stygia loca rapiātur. Sufficiet itaq; hic generatim

effari

effati quædã de alijs vijs, & portis, quæ in facris, & profanis litteris patere ad terrã tenebrosã dicuntur. Ac diuina quidẽ oracula, non vno loco fignificant, Satanicæ vrbi portas effe, & oftia, ad eamque ampliffimo quodam aditu defcendi, id enim fonant, quæ in eis, memorantur, Portæ mortis, & oftia tenebrofa, fores æneæ, vectes ferrei, Gehenna infuper dilataffe os dicitur, & apertè à Chrifto recẽfentur portæ inferni. Habẽt hæc oftia amplũ iter, nec carẽt clauibus. Viã Chriftus ipfe defcripfit. *Quàm, inquit, fpaciofa via eft, quæ ducit ad mortem, & multi funt, qui intrant per eam.* Mors eft æterna pœna, feu inferni carcer. Clauium Ioannes meminit, cuius teftimonio apud Chriftum extant. *Habeo claues mortis, & inferni.*

Is. 38. Ionæ 2. Is. 5. Matt. 16. Matt. 7. Apoc. 1.

Ethnici fcriptores, in rem præfentẽ multa fcripferunt Strabo teftis eft, multorum opinione apud Hermionenfes breui defcenfu iri ad inferos. [Hermione, inquit, vna eft de non obfcuris vrbibus, cuius marginem maritimã incolunt, qui quod è mari quæftum faciunt, Halieis, fiue pifcatores dicuntur. Breuiùs ad inferos defcenfus effe dicitur apud Hermionenfes, itaq; ibi mortuis portorium (Græci naulum appellant) non imponitur.]

Strab. l. 8. Per. Geograph.

Thelephus apud Aefchilum, ex Clemente Alexandrino, fimplicem, ac vnicam viam ferre ad inferos contendit. Poetæ vberiùs. Virgilius.

Clem. Alex. L. 4. Strom. Virg. 6. Aeneid.

Tros Anchifiade facilis defcenfus Auerni,
Noctes, atq; dies patet atri ianua Ditis
Sed reuocare gradum, fuperafq; euadere ad auras
Hoc opus hic labor eft.

Eodem libro, qualis via fit, quæ ad Tartarum ducit, hifce carminibus fignificat.

Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad vndas,
Turbidus hic cœno, vaftaq; voragine gurges
Aeftuat, atq; omnem Cocyto eructat arenam
Portitor has horrendus aquas, & flumina feruat,
Terribili fqualore Charon.

Seneca recenfet inferni oftia, cum introducit regem Am-

Sen. Hercul. Fur. car. 6.

Amphitr. quærentem à Theſeo conſorte Herculis de deſcenſu ad inferos,& portis.

Ouid. l. 4. Metam. Ouidius quoq;.


Eſt via declinis funeſto nubila ſaxo
Ducit ad infernas per muta ſilentia ſedes,
Styx nebulas exhalat iners,vmbraq; recentes
Deſcendunt illac,ſimulacbraquè functa ſepulchris
Palor,hyemſq; tenet late loca ſenta, nouiq;
Qua ſit iter manes ſtygiam,quæ ducit ad vrbem
Ignorant,vbi ſint nigri fera regia Ditis.
Mille capax aditus, & apertas vndiq; portas
Vrbs habet.

Appol. l. 2. Appollonius autem retulit, cogitatum à nonnullis in regione Mariandynorum, vbi Acheruſia palus, ex qua Acheron Epiri fluuius effluit,eſſe oſtia, portasq; inferni. Carmina Appollonij hæc ſunt.

Inde iter exiguum redeuntes per mare terram
Ibitis ad Mariandynam e regione locatam
Eſt ibi tartarei deſcendens ianua Ditis,
Atq; altè tellus Acheruſia prominet,inde
Hanc acheron ſcindens ſub terra vortice multo
Voluitur,atquè ſpecu de magno effunditur vnda.

Lege Natal. Com l. 3. Myth. c. 1. Quæ confirmantur ab Aretade Cnidio, & Appollonij enarratore.

Ergo decliuis quædam via, triſtis, & obſcura ad inferos patet,ergo haud vndiquè concluſa eſt terræ mole inferni cauerna,ſed recipiendis animabus certa patent oſtia.



CAP.

CAP. LXVI.

Dæmones, ac animas malorum sine portis, & hiatu in gehennam descendere. Quo sensu Infernus dicatur habere vias, & ianuas, & quænam illæ sint.

SED rudis omnino, & hebetis est, id existimare: nam dæmonibus, seu malis animabus, vacuo aditu haud opus, vt quouis pergant. Sunt Dæmones, & animi, spiritus, quibus nihil corporeæ molis est admixtum, ac illis facilius est, quodlibet corpus ferreũ, vel marmoreum penetrare, quàm auibus volare per aera, atq; velocissimis equis per amplas, & latas vias discurrere. Corpora corporibus resistunt, si solida sint, & dura: nam habent certas dimensiones, quæ nec facilè cedunt, nec penetrare se se inuicem possunt. Incorporeo spiritui, quodlibet corpus facilè cedit. Quid enim impediat, quominus illud spiritus permeet, cum neq; huiusmodi habeat dimensiones, nec quauis mole detineatur. Superuacaneæ igitur patentes viæ; superuacaneæ portæ, vt reproborum animę à malis spiritibus in gehennã rapiantur. Vndique ad inferos tendi, Anaxagoras aiebat. Anax. Apud Tull. l. 1. Tusc.

Inquis, malas animas iterum copulandas esse cum suis corporibus, quæ ponderosa erunt, densa, & caliginosa, neque enim subtilitatis priuilegio, quod Beatorum est, donabuntur. Ita est. At vel diuina potestate penetrabunt terrę molem, cum pellentur in infernum, vel grandi hiatu facto, instar plumbi ruent in stagnũ ignis, vt latè, postremo libro alterius voluminis, disseremus. Obiectio Solutio.

Aptè verò Sacræ paginę, quę solent multa, potissimùm ab oculis mortalium remota, aptis similitudinibus, & figuris explicare, vt videre est in scripturis prophetarum, describunt tartaream vrbem, tanquàm munitam portis, ijsq; ęneis

&

& ferreis: innuunt enim miserrimam subterranei carceris conditionem, è quo egredi nullo modò poterunt mali, non secus, ac si æneis, ferreisuè portis ibi concluderentur, vnde eędem inferni portę dicuntur etiam æternales, quòd nunquam aperiendę sint. Os autem inferni tale est, qualis eius anima: Esaias enim eo loco, animam, & os, gehennę tribuit. At infernus non habet, animam, qua viuat, igitur nec os, vel aperturam. Anima est ardens desiderum deglutiendi animas malorum, os si amplum dicatur, eius immensa capacitas, si angustum difficultas inde exeundi. Quod Hieronymus in Iob notauit, cum inquit, ideo infernum dici non habere fundum, quòd vastissimus sit, ideo ore angusto appellari, quòd amplus sit ad recipiendum, angustus ad dimittendum.

Hier. in c. 30. Iob.

Quid de Christi testimonio, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam?* Hasce portas non esse ex lignis, aut quouis metallo factas. Quid muto ostio, quid inanimi ligno, vel metallo virium inest, vt insurgere in Ecclesiam Dei possit, ac præualere aduersus eam? Scilicet non modo Ecclesia Catholica, quam Christus, Deus, & homo fundauit, timere quicquam ab his potest, sed ne pusillus quidem homuncio. Sub allegoria igitur portarum, dęmones exprimuntur, qui omnibus neruis contendunt à fundamentis euertere catholicum ędificium, ac homines semper alliciunt, & inuitant ad opacum illud antrum, quòd neminem vnquàm repellit, ac si patentissimas portas haberet. Hinc Hieronymus ad illud Iob 38. *Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti* ait, huiusmodi portas, quę vbique metuuntur, non esse insensibiles, & inanimales, sed esse illos potius spiritus immundos, & inimicos nostros, aduersarias videlicet potestates, per quos generi humano introitus inuectus est ad mortem, quę iccirco etiam ostia tenebrosa dicuntur, quoniam deceptione eorum, factus est homini per peccatorum tenebras ingressus ad mortem. Aut nomine ostiorum inferni, innuuntur quotquot tyrannorum Principum sęuis tormentis, dirisque mortibus, Christianos à Christi cultu auertere

Matt. 16.

Dęmones inferni portæ.

Hier. in c. 38. Iob.

Persecutores Christianorum, inferni ostia.

auertere, ac ad Idololatriam trahere contenderunt. [Portę autem inferi, inquit Theophilactus, temporales sunt persecutores, qui ad infernum mittere Christianos conantur.] Ex eodem Theophilacto, hęretici quoque portę sunt ad infernum ducentes, eorum enim doctrinis illecti homines, aperto itinere ducuntur ad tartarum. Diui etiam Hieronymi sententiâ, scelera, & peccata inferni portę iure dicuntur. Cum verò multi hominum se facilè dedant vitijs, ruantq; pręcipites eâ viâ in gehennam, lata via appellatur, quę ducit ad mortem, angusta, quę ducit ad vitam, quod teratur à paucis. Illa ait Diuus Hieronymus ad Celantiam, celebratur, & teritur à multis, hęc vix inuenitur à paucis: illa enim, vitijs per consuetudinem quasi decliuior, ac mollior, & velut quibusdam amœna floribus voluptatum, facilè ad se rapit commeantium multitudinem. Hęc verò insueto calle virtutum tristior, atq; horridior ab his tantùm eligitur, quibus non tàm delectatio itineris cordi est, quàm vtilitas mansionis.]

Theoph. en. in c. 16. Matt.

Hæretici

Hier. in c. 16. Matt.

Tales cum sint inferni portæ, meritò Christus tenet claues, non modo enim dilatauit certum inferni ergastulũ, cum ex sinu Abrahæ antiquos Patres liberauit, sed malos æternis supplicijs addicit: potestatem dæmonis, & persecutorum Catholici gregis, pro sua libertate laxat, & contrahit, ita vt nec tentari homines suprà quàm possint resistere, nec corruere ecclesiam suam hæreticorum machinis patiatur, demum occludit nobis gehennæ fores, cum eius adiuuante gratia, ac perseuerantiæ dono liberaliter concesso, ad extremum vsq; spiritum, peccata deuitamus.

Christus cur dicatur habere claues Inferni.

Ethnici scriptores cum significarunt, certis in locis patere descensũ ad infernum, aut cum decantarunt suis carminibus omnibus momentis patere atri ianuam Ditis, apertas vndique portas habere, funestam, squalentem, ac decliuem viam eò ducere, recondebant & ipsi nescio quid veritatis sub metaphoricis locutionibus, quibus poetæ maximè vtebantur, tùm vt poemata adornarent, tùm vt vulgares, & rudes caperent sua sensa. Quare, vt explicarent, quàm facilè

lè ſit mortalibus labi in ſcelera, ac vitijs contaminare vitam aiebant, infernum, quem ſceleſti facinorum causâ adeunt, nunquàm non patere, ac facili deſcenſu, & decliui itinere in eum tendi. Quemadmodum etiam, vt eius loci miſeriam, & fœditatem exprimerent, perſuadebant, fœtentia terræ ora, putidos hiatus, aut peſtiferas paludes, & lacunas, eſſe quaſdam vias ducentes in tartarum.

Verùm ſit, quòd nullis aperturis, portisuè patentibus animæ indigeant, vt ducantur in gehennam; an putandum eſt, Deum deſtinaſſe certam terræ molis partem, quà damnati omnes eò trahantur? Dictum eſt ex Anaxagora, vndiquè ad inferos iri. Ex noſtris Rabanus hanc controuerſiam ita dirimit. [Quo itinere illuc animæ transferatur, quoniam in authoritate diuina non legitur, habemus incertum.] Mihi certum eſt, incertam, & vagam eſſe terræ viam, quà ad locum pœnarum rapiuntur mali poſt mortem, vbi enim quiſque lethali culpa inquinatus diem extremum claudit, inde rectà ad infernum perducitur. Certum iter, quod in gehennam ducit, haud eſt in terræ mole deſignatum, ſed illud ſibi quiſque voluntate aperit, cum voluntate delinquit.

Anaxag. ſup. Rab. Mau in c. 3. Hierem.






DE CRVCIAMENTIS IN INFERNI CAVITATE EXISTENTIBVS LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De igne inferni. Recensentur haeretici contendentes, non extare verum gehennae ignem, malos post mortem, cruciantem.



AB infernali cauitate, ad ea, quae ibi existunt, corporeorum cruciamentorum genera, procedendum est: id enim agendũ nobis proposuimus secundo libro. Initium faciam ab igne, quòd haec notior omnibus poena sit, & frequentiùs de illa diuinae litterae, & Ecclesiastici scriptores loquantur. Praemittendi sunt errores more solito. Et quidem, si vniuersos hîc velimus haereticos enumerare, qui vel irriserũt quaecũq; nostri de tartareo igne scripserunt, vel, satanico inuento, ignis vocem toties à sacris oraculis vsurpatam, quibus illi ipsi erubescunt in speciem abrogare fidem, ad ea deducunt, quae nullam habent cum vero igne cognationem: omnes ad

Haeretici ferè omnes verum inferni ignem negant.

ad vnum recẽsendi essent. Cum enim vix vnus benè sentiat de inferno, non minus laborant, vt catholicam de illo veritatem labefactent, quàm vt persuadeant, vana esse, quæ de igne apud inferos existente, prædicant doctores sacri. Tres igitur tantùm præteriti æui hæreticos, hoc capite memorabo, qui multis errandi occasionem præbuerunt.

Horum hereticorum dogmata refert Feuard. l. 14. Theom. Cal. c. 8. Caluinus, à quo eius discipuli non recedunt, vt infernum ad tropos, & figuras reuocauit, sic eius ignem ad metaphoras ita detorquet, vt velit, haud veri ardoris cruciatum eo significari, sed acerbam quandam damnatorum pœnam, quam assequi sensu non possumus. *De igne æterno,* inquit Caluinus *scio argutè à multis fuisse disputatum: at colligere licet metaphoricam esse locutionem.* In caput verò 25. Matt. ait. *Diximus alibi Ignis nomine metaphoricè adumbrari pœnæ atrocitatem, quæ sensu nostro non comprehenditur.*

Cal. in c. 3. Matt. v. 12.

Cal. in c. 25. Matt. v. 41.

Beza in Confess. Fidei puncto 6. Theodorus Beza impietatis magister, nescio quid addidit, quod non modò declarat, nullum in inferno esse ignẽ, sed nullum dolorem, pęnę ignis respondentem. *Quantum spectat* (verba sunt Bezæ) *ad aniles illas speculationes data opera de Antichristi aduentu effictas, deque inferni doloribus, sunt verba, quæ non tantùm respuimus: sed etiam toto animo execramur.* Hunc secutus Lambertus Danæus arguit Scholasticos affirmantes, ignem inferni corporeum esse, ac verè amburere.

Lamb. Dan. com. in cap. 109. & 113. Enchir. D. August.

Ignem ergo gehennæ, persimilem esse volunt inferno, quem ipsi fingunt, nimirùm aut peccatum polluens animam, aut conscientiæ remorsum, qui ex peccato nascitur, aut miseram impij, & scelesti conditionem, quam tamen ita explicant, vt non omnino misera censenda sit.

CAP.

CAP. II.

Philonem Hebraum in eundem errorem inclinasse. Idem olim fecisse alios. D. Hieronimum Origeni tribuere, quòd nullum inferni ignem agnouerit, prater conscientiam peccatorum.



VETVS hic error. Philo Iudæus in eadem hæresi fuit, voluit siquidem Infernum, eiusq; tormenta, aliud non esse, præter impij, ac scelerati hominis vitam, eius sententiam primo libro recitauimus. Non multò post, Tertulliani, & Arnobij ætate, vt eodem libro monuimus, ridebantur prædicantes inextinguibiles quosdam gehennæ ignes, in quos malorum animæ conijciendæ essent. Atq; Aurelius Cassiodorus, qui trigesimo ad quingentesimum ortæ veritatis anno vixit, redarguit nescio quos opinantes ignem, ac gehennæ cruciatus esse metaphoricum quid. [Sensus ille (ait) omnino vitandus est, qui putat peccatorem, solâ delictorum suorum recordatione cruciandum.] Fortè ad Origenem allusit. D. enim Hieronymus, non vno loco vult, eum huic errori adhæsisse, sic enim inquit, dum illos enumerat. [Ignis quoq; gehennæ, & tormenta, quæ scriptura sacra peccatoribus comminatur, non ponit in supplicijs, sed in conscientia peccatorum, quando, Dei virtute, & potentiâ, omnis memoria delictorum ante oculos nostros proponitur. Et veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis, vniuersa vitiorum seges exoritur. Et quidquid feceramus in vita, vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac præteritas voluptates mens intuens, conscientiæ punitur ardore, & pœnitudinis stimulis confoditur.] Eiusdem erroris, aduersus Ruffinum meminit, cùm ait. [Quòd autē imprecaris fratribus, hoc est criminatoribus tuis æternos ignes cum diabolo; non tam fratres mihi vide-

Phil de congr. quæ. erud. gr.

Cap. 10.

Cap. 4.

Cassiod. in Psal. 9.

Orig. error ex D. Hier. L. 2. Periar.

Hierony. aduersus Ruff.

ris præmere, quàm diabolum subleuare, cum ijsdem, quibus homines Christiani ignibus puniendus sit. Ignes autem æternos, quos intelligere solet Origenes, puto te non fugiat, conscientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis vrentem &c.] Rursus idem Hieronymus in Epistolam ad Ephesios perstringere Origenem videtur, cum scribit ad illud Apostoli, *Nemo vos seducat inanibus verbis* [Verba, quæ decipiunt, atq; supplantant, inania sunt, & vacua. Quæ verò ædificāt audientes, plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerią; qui dicunt, non futura pro peccatis esse supplicia: nec extrinsecus adhibenda tormenta: sed ipsum peccatum, & conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in similitudinem febris, quę non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit, sine cruciatuum forinsecùs adhibitione, quod possidet &c.]

In cap. 5. Ad Ephes.

Non vnus Hieronymus censuit, hac labe Origenis libros aspersos fuisse, multi præterea, tum Patres, tum scholastici, id voluerunt, quod num verè Origenicis dogmatibus congruat, ex ijs, quæ iam ex eius scriptis hic inseremus, intelligetur. Monemus tamen à Gentilibus hunc errorem fluxisse, qui, Macrobio teste, ignem, & reliquas inferni pœnas, ad immoderatas tantùm animi affectiones reuocabant.

Macrob. in Som. Scip. L. 1. c. 10.

CAP. III.

Origenis de Igne inferni sententia ex proprijs libris collecta. D. Ambrosij locus, qui fauere Origeni videtur. Caietani, & Catharini placitum, affirmari non irrationabiliter posse, ignem inferni esse metaphoricum.



DE igne inferni non vno loco Origenes locutus est, ac uerè illum ita sæpe explicauit, quasi internum tantummodò animi cruciatum à conscientia, sordibus peccatorum inquinatā, illatum significaret, non autem extrinsecū quod-

dam tormentum ardentissimum, molestissimum, vero, ac germano sensu vocis *ignis* expressum. Homilia nona in diuersos, ita scribit. [Qui recedunt à Iesu, decidunt in ignem æternũ, qui alterius generis est, ab hoc igne, quem habemus in vsu: nullus enim ignis inter homines est æternus, sed nec multi temporis, extinguitur enim citò. Aeternus autem est ignis de quo dicit Esaias in fine prophetiæ suæ: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, à plerisquè conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in supplicijs cõstitutos, quia uitio suo, atquè peccato, tanto caruerunt bono, iuxta illud quod dicitur. Versatus sum in miserijs dum infigitur spina.] &c.

Hæc Hom. à Pellar. de Scrip. Eccl & Gil. Geneb. non censetur Origen. verè D. Gregorius Magnus multa ad verbum habet, quæ in hac hom. describuntur.

Esa. vlt.

Psal. 33.

In libris uero Periarchon, ubi agere hanc causam ex professo uidetur, manifestè significat peccatorem, postquàm ex hac uita excessit, haud conijci in ignẽ quempiam, uerum & solidum, in eius pęnam pręparatum, sed in eum, quem peccata ipsa in cuiusquè conscientia suscitat. Inuenimus, inquit, in Esaia propheta designari uniuscuiusq; proprium esse ignem, quo punitur. *Ambulate in lumine ignis vestri, & flammæ, quam accendistis.* Per quos sermones, hoc uidetur iudicari, peccator ut flammã sibi ipse proprij ignis accendat, & non in aliquem ignem, qui antea fuerat accensus ab alio, uel ante ipsum substiterit, demergatur. Cuius ignis materia, atq; esca, nostra sunt peccata, quæ ab Apostolo Paulo ligna, & fœnum, & stipula nominantur. Et arbitror, quòd sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas, & quantitas cibi, febres generant, & febres diuersi modi, uel temporis, secundũ eam mensuram, qua intemperies collectam materiam suggesserit, ac fomitem febrium, quæ materiæ qualitas ex diuersa intemperie congregata, causa, uel acerbioris morbi, uel prolixioris, existit. Ita anima, cum multitudinem malorũ operum, & abundantiam in se congregauerit peccatorum, competenti tempore, omnis illa malorum congregatio efferuescit, atq; supplicium inflammatur ad pœnas, cum mẽs ipsa, uel conscientia, per diuinam uirtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in semetipsa signa quædam, & formas

L. 2. Periar. c. 11.

Es. 50.

Apost. 1. Cor. 3.

mas cùm peccaret expresserat,& singulorum, quæ uel fœdè ac turpiter gesserat, uel etiam impiè commiserat,historiam quandam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam: tunc & ipsa conscientia proprijs stimulis agitatur, atq; compungitur,& sui ipsa efficitur accusatrix,& testis.]

Hæc clarè significant, uoluisse Origenem, malos non ignis elemento, sed accusantis conscientiæ pœnâ torqueri. Cui tamen opinioni,haud uidetur mihi adeo firmiter adhæsisse,quin aliquando dubitarit, nam tractatu 23. in Matt. de igne inferni uerba faciens,hęc scribit. Aeternus autem ignis est ille, de quo & Esaias dicit in fine perhetiæ suæ. Vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur. Forsitan talis substantiæ est, ut inuisibilia comburat ipse inuisibilis constitutus,secundum quod ait Apostolus. Quoniam,quę videntur temporalia sunt,quæ autem non videntur æterna. Si ergo quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt,necesse est,si visibilis est,ille ignis, & tẽporalis sit.Si autem æternus est,& inuisibilis est,quo puniuntur, qui recedunt à Saluatore.] Ex quibus constat hæsitasse Origenem visibilis ne, an inuisibilis esset ignis inferni, vt verbum, *forsitan* declarat. Non esset enim dubitandi locus, inuisibilis ne esset gehennæ ignis,si habuisset pro certo in vno conscientiæ remorsu consistere. Quin citatâ homiliâ in diuersos,si ea Origenis est, asserit corporeum ignem incorporeos spiritus torquere. Quamobrem mihi verisimile sit hæsitasse aliquantulum, qualis nam esset ignis inferni, quòd eius naturam,mirasq; operationes,nõ vsquequaq; perspectas haberet, qua de causa eâdem homiliâ, inquit. [Ignis æternus alterius generis est ab hoc igne, quem habemus in vsu. Nullus enim ignis inter homines est æternus,sed nec multi temporis,extinguitur enim citò.]

Orig hom. 9. in diuers.

D. Ambrosius visus est sequi ad vnguem sententiam, & argumenta ipsa Origenis,vbi nomine infernalis ignis exprimit nonnisi prauæ conscientiæ stimulos,& angores: metaphorice.n. videtur accipere tenebras, stridorẽ dẽtiũ, vermẽ & reliqua malorum cruciamenta,de quibus Scriptura,aitq;

impro-

improbos haud exuri igne, corporeâuè flammâ, sed mœstitiâ delictorum.[Quæ sunt, inquit Ambrosius, tenebræ exteriores? Numquid illic quoq; carcer aliquis, latumiæquè subeundæ? Minimè, sed quicumq; extra promissa sunt cælestium mandatorum, in tenebris exterioribus sunt, quia mandata Dei lumen sunt. Et quicunq; sine Christo est, in tenebris est, quia lumen tenebris est Christus. Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neq; ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate, & febres nascũtur, & vermes: ita si quis non decoquat peccata sua, sed miscendo peccata peccatis, tanquàm cruditatem quandã contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur, & suis vermibus consumetur. Vnde & Esaias, ait, ambulate in igne ignis vestri, & flamma, quam accendistis. Ignis est, quem generat mœstitia delictorum. Vermis est, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungant, & quædam exedant viscera conscientiæ &c.]

Ambros. in c. 1. Lucæ.
Psal. 118.
Ioan. 1.
Marc. 9.
Es. 10.

Ex Scholasticis Caietanus censuit haud irrationabiliter facere, qui ignem inferni metaphoricè interpretetur, atquè à propria nominis significatione recedat. Caietani verba hæc sunt, ad illud Marci 10. *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur.* [Affert Saluator authoritatem Esaiæ prophetę c. vlt., ex qua rationabiliter conijcitur, quòd sicut vermis damnatorum non est naturalis vermis, ita ignis eorundem non est naturalis ignis, sed vterq; metaphoricè. Et vermis quidem appellatur intrinseca pœna sensus, uelut corrodens internus morsus, ignis autem exterior pœna tam uehemens, quàm ignis nos cruciat.] Ambrosius etiam Catharinus, multis argumentis probauit, ignem gehennalem non esse corporeum, & naturalem, sed metaphoricè sonare summam quandam pœnam, immò eo comprehendi cruciatus omnes. Huc autem pręcipua reducuntur. Quòd eo crucientur dęmones, & animę, ignis autem uerus, & corporeus natus uideatur ad crucianda corpora. Quòd uagantes per hunc aerem mali spiritus, nullum habeãt secum huiusmodi

Caiet. in c. 10. Marci
Ambros. Cathar. lib. de ver. ign. inf. argumenta quibus probat ignem metaphoricè accipi.

corpo-

corporeum ignem. Quòd de ignis supplicio Christus agat tanquàm de summo cruciatu, omnium pœnarum molestissimo, summo beatorum bono, opposito, cruciari autem igne corporeo, non sit summa miseria, ęternæ felicitati contraria, sed carere Deo, qui summum est bonum. Quòd sæpè in Scriptura, ignis damnatorum, cum verme componatur, vermis autem à plerisq; metaphoricè accipiatur. Quòd deniquè varijs difficultatibus circumuoluantur, qui ignem inferni corporeum prædicant, haud enim, inquit, facilè inueniāt modum, quo ille torqueat, non solùm animas, & spiritus, quod videtur inopinabile, sed corpora, quæ tunc erunt incorruptibilia. His, in hanc sententiā statuit. [Concludo igitur, iam nihil esse periculi, si ignis appellatione summam, immò omnem pœnam intellexerimus.]

CAP. IIII.

Ex sacris Oraculis probatum, in inferno verum ignem existere. Eandem esse omnium Patrum sententiam, neq; D. Ambrosium, aut Caietanum dissentire. Argumenta Catharini non probare.

Cap. 26. & 28.



QVANQVAM, tùm hæreticos, tùm dubias hasce catholicorum opiniones, satis refellant ea, quibus primo libro probatum est, non tropicè, non figuratè, accipiendam esse gehennam, id enim consequitur, vt metaphoricè accipi non possint, quæ in ea, ad cruciatum malorum præparata esse dicuntur. Nihilominus, quòd aliud sit inferorum gurges, aliud ignis in gurgite, conuincendi etiam hoc loco sunt, ijs sacræ paginæ testimonijs, quæ omnium iudicio adeo sunt manifesta, vt infirmari metaphorica interpretatione nequeant, nisi omnia, quæ in illis de Deo, ac fidei nostræ sacramentis traduntur, metaphoris, & tropis illudantur.

In veteri testamento non desunt loca, quibus ignis inferni

ferni veritas, eiusq; existentia naturalis comprobetur. Nam in sacra Genesi cùm diuina iustitia constituit delere infames illas ciuitates, ac significare mortalibus, quàm diris pœnis plectenda sint flagitia, immisit super eas ignem, & sulphur, quę nec fantastica fuerunt, nec metaphorica, sed vniuersas illas vrbes in cineres, & fauillas redegerunt. Hoc porrò horrendum incendium, B. Iuda Apostolo teste, cùm specimen quoddam fuerit, & veluti vmbra infernalis fornacis, non potest nisi temerariè de eius veritate ambigi. Sanè quoties Deus in Scriptura tormentorum meminit, quę impios post mortem manent, toties inculcauit ignem. Legimus aliquando: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsquè ad inferni nouissima*. Quod D. Gregorius ad ęternas pœnas refert. Aliquando, cum de pœnis malorum post præsentē vitam agitur. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius, deuorabit eum ignis, qui non succenditur*. Regius Psaltes apertiùs exprimere non poterat sensibilem ignis pœnam. *Pluet*, inquit, *super peccatores laqueos ignis, & sulphur*. Alibi. *Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis*. Alibi. *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos, in miserijs non subsistent*. Salomon Eccles. 7. *Vindicta*, inquit, *carnis impij ignis, & vermis*. Isaias. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Hieremias. *Ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit*. Demum, nè de hoc ignis cruciamento dubitatio aliqua suboriretur mortalibus, sępissimè Deus in veteri lege impios ignis pœnâ affecit. Pentapolitani extincti igne. Igne Nadam, & Abiu consumpti. Quinquagenarius Princeps, & quinquaginta, qui erant sub eo igne cęlesti ambusti.

Gen. 19. | P. Iud. in suo can. | Deut. 32. v. 22. | D. Greg. l. 18. Mor. c. 11. | Iob 20. v. 16. | Psal. 10. | Psal. 20. | Psal. 136. | Is. 66. | Hierem. 15. | Gen. 19. | Leuit. 10. | 4. Reg. 1.

In nouo autem Testamento, ubi Christus ipse reserauit ueritatem, cum de improborum supplicijs, & carcere disseritur, ignis in primis recensetur. Quare locus ipse tormentorum Gehenna *ignis* appellatur. Caminus *ignis*. Stagnum *ignis* ardentis sulphure. Stagnum *ignis*, & sulphuris. Nec aliò, quam in caminum ignis mittendos esse eos, qui faciunt iniquitatem D. Matt. scribit. Atq; Christus Dominus post

Matt. 18. | Lucæ. 3. | Apoc. 19. | Apoc. 20. | Matt. 13.

vniuersalem resurrectionem, & commune examen dicturus est reprobis *Ite maledicti in ignem æternum*. Hæc vero, si typicè exponantur, quæ nam propriè exponenda erunt? Scio in sacris litteris, nonnunquàm *ignis* vocem metaphoricè accipiendam, quemadmodùm cum legimus Deus ignis est. Ignem veni mittere in terram. Quis scandalizatur, & ego non vror. Qui facit ministros suos ignem vrenté, & huiusmodi. Verùm hîc ratio, necessitasq; cogit, absurdissima enim sententia esset, si sensus propriæ *ignis* significationi responderet. Nihil autem suadet, nisi impietas, inter metaphoras ignem inferni numerare, atque opinari, ea voce expressam esse tantùm synderesim, molestamq; peccatorum recordationem.

Matt. 25.
Deut. 4.
Luce 12.
ad Cor. 2.
Psal. 103.

Patres non dubitant de veritate gehennæ ignis.

Vniuersi Patres Scripturæ testimonijs nixi, adeo sibi persuaserunt, malos veri ignis supplicio torquendos, vt nec suspicarentur quidem, dubitari à quoquàm sanæ mentis hac de re posse, quare haud solliciti fuerunt longius de eius natura differere, superfluum ducentes, cum ignem nominarent, explicare pluribus, qualis nam ignis esset, qualis enim ille sit, omnibus perspicuum, nempe elementum omnium viuacissimum, inferendis cruciatibus aptissimum, à synderesi, & conscientiæ remorsu longè diuersum. Excipio Origenem, quem, vt benignè de illo sentiam, puto hac in re dubium fuisse.

Quidàm renocati in vitam fatentur verum inferni incendiũ.

Demum quot quot ad hanc vitã, semel mortui, diuino beneficio reuocati sunt, qui ęternas pęnas, aut experiẽtia, aut Deo reuelante, cognouerunt, veri, ardentissimiq; illius ignis meminere. Exẽplis plena sunt sanctorũ volumina. Idq; iã certo didicerunt hæretici, qui id negarunt, optimè gnari, non tropum quendam, non metaphoram, esse æternum ignem, sed immane tormentum, & molestum cruciatum, cuius pœna multò acerbior est eâ, quâ, nonnulli suæ familiæ homines affecti sunt, cùm viui ob hæreseos crimen ambusti, etiam in hac vita dedere pœnas.

Sed nunquid Ambrosius tãtum Ecclesię decus, de hac veritate dubitauit? Minimè verò. Quin probè sensit de igne gehen-

gehennæ, nam non vno loco flammarum perennium meminit. Itaquè citato superiori capite loco in D. Lucam, aut iuxta Origenis dogma loquebatur, nihil definiendo, aut peccatorum pœnas in hac vita describebat, aut certe docebat animos malorum non affici corporeis cruciamentis, modo corporum, nimirùm per alterationem physicam. Inc. 2. Ep ad Rom. licet dubitetur an sit Ambrosij.

Caietanus verò, & Ambrosius Catharinus, cum bona eorum venia, non satis tutè mihi videntur locuti, cum pœnā ignis gehennæ metaphoricè accipiunt. Quanquàm affirmare possim, Caietanum Cardinalem doctissimum pro constanti habuisse ardere in inferno verum ignem, eumq; corporeum, id enim scribit, & probat in Cap. 25. Matt. Et Oratione 5. coram Iulio II. appellat imprudentes eos, qui Scripturę sententias de igne inferni metaphoricè accipiunt. Caiet. Tom. 3. Opusc. trac. 1.

Catharini argumēta leuia sunt, & indigna, quibus aures aperiāt docti viri, quòd ijs ipsis hęretici agant cōtra Scholasticos, ignis inferni veritatem tuentes. Ecce tibi quid habeāt ponderis. Verus ignis nonnisi corporibus amburendis, ac discruciandis, naturā suā, est aptus; At diuina vi, eo tanquàm iustitiæ suæ instrumento vtente, cruciare potest, & spiritus. Cùm enim naturæ Dominus rebus vtitur ad aliquid efficiendum, haud naturalis rerum uirtus, sed utentis infinita potestas attenditur. Torquentur in hoc aere mali spiritus inferni pęnis: neq; tamen negandum, etsi corporeum ignem non uideas, eo, in aere, & ubicunq; sunt torqueri, ferunt enim secum ignem, quocunquè pergant, ut patebit postremo libro. Quòd si eos doctores sequeremur, qui uolunt dęmones extra infernum uagantes ipsomet gehennali igne non cruciari, sed Deum, se solo, eandem illis pœnam irrogare absq; igne, quam ignis irrogat in gehenna, adhuc manifestum est, inconcussam stare ignis inferni ueritatem. Christus inculcauit sæpius ignis pœnam, ac eam comminabatur tanquam molestissimum cruciatum, neq; tamen hinc conijciendum, *ignis* nomine expressisse tantùm diuinæ uisionis carentiam. Acerbiùs quidem, æternùm Deum non gustare causā scelerum, quàm igne torqueri, at aliud est, non frui Deo, aliud Respōdetur argumentis Catharini. Ad primum. Ad secundū. Ad tertium

igne uri; atq; summâ sapientiâ Christus frequentiùs ignis cruciatũ obijciebat, quod soleant homines, ijs maximè pęnis, quæ sub sensum cadunt, excitari ad bonum. Vermis autem

Ad quartum. corrodens iungitur quidem, non uno diuinę scripturę loco, pęnæ ignis, atq; à multis metaphoricè accipitur: idem tamen de igne non censent, habent enim doctores sua argumenta quamobrem vermem metaphoricè, ignem propriè, accipiant, vt alibi indicatum, & sequenti libro latiùs aperiemus; deinde placet probatis scriptoribus, malos, sicuti sensili flamma cruciantur, ita corporeo verme. Aegrè deniq; intelligit mortalis homo, vt verus ignis cruciare in perpetuum valeat tum spiritus, ac animas malorum, tum corpora: at Fide intellectum roborante, atquè oculis in diuinam omnipotentiam defixis, non difficulter intelligit, id omnipotenti Dei iustitiæ facillimum esse, quamuis modum non assequatur.

Ad vltimũ.

CAP. V.

Corporeus ne sit, vel spiritalis, inferni ignis. Multorum Patrum, & aliquot Scholasticorum sententiæ, insinuantes esse spiritalem. Omnino censendum corporeum esse, & materialem.



VERVM enim verò, quanquàm videatur satis innotescere infernalis ignis conditio, & natura, cum manifestè probatum sit, verum esse ignem, qui malis cruciandis à Deo paratus est: quod tamen multi Patrum, qui ardentibus flammis amburi improbos minimè dubitarunt, eos ardores incorporeos esse non leuiter indicarint, explicandum est, hoc loco, corporeum ne sit, an spiritale gehennæ incẽdium.

Aug 8. de G. ad L. c. 5. D. Augustinus in primis, cum de flamma, quâ Diues ille cruciabatur, sermonem instituit, eam recusauit corpoream appellare. Illum diuitem, ait, in ardore pęnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse

non

non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua diuitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquàm inuenitur]. Alibi fatetur apertè, ignorare se, cuiusmodi sit gehennæ ignis, de Ciuit. Dei. [Ignis inferni, ait, cuiusmodi, & in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, scire arbitror neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit.] Sentiebat itaq; flammeum illum ardorem, minimè materialem, & corporeum esse, sed diuersæ conditionis, & naturę ab eo, quę propria est elemētaris ignis, aliter flāmæ qualitas, illi optimè perspecta fuisset). Quin accedere ad naturam incorporalium rerum, eodem de ciuitate Dei operę, apertè significat, cum flammam Diuitem cruciantem, incorporalem appellat. [Dicerem quidem, Augustini sunt verba, sic arsuros sine vllo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille diues, quando dicebat. Crucior in hac flamma, nisi conuenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos leuauit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum desiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ibi fieri postulauit, vbi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis, & illa flamma, quę exarsit, & illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, siue in ecstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.] D. verò Gregorius Magnus sine circumlocutione verborum, Gehennę ignem vocauit incorporeum. Sic enim inquit ad illud Iob. 20. *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur.* [Miro valdè modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cū necesse est, vt seruetur, per congesta ligna procul dubio nutritur. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succēditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & successione non indiget, & ardore non caret.] Damascenus etiam apertè tradit inferni ignē non esse materialem.

21. de C.D. c. 16.

21. de C. Dei c. 10.

Lucæ 16.

Greg. l. 15. Mor. c. 17.

Damas. l. 4. Ort. fid. c. vlt. in fine.

terialem. [Tradentur, inquit, Diabolus, & dæmones eius, & homo eius, idest Antichristus, & impij, & peccatores in ignē æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem Deus nouit.] Accedit his victor Antiochenus, quem opinatum esse, ignem inferni non esse sensilem, & corporeum, inde conijcio, quòd scripserit, ignem, quo Dæmones torquentur, haud cadere sub sensum. Sancta etiam Hildegardis, plena Dei spiritu, cuius reuelationes, tanti fecit Eugenius III., vt illam ad eas scribendum animarit, ad hanc, quam tractamus quæstionem, in hanc sententiam respondet. [Nequaquàm ignis inferni est corporeus, quia nec ille de his elemētis, nec hic ignis ab illo, & ille inuisibilis. Corporales, & spiritales pœnæ, æquales non sunt, vt etiam corpus animæ dissimile, & vt anima corpori æqualis non est, quia ex corporalibus pœnis, corpus arescit, & moritur, & in spiritali igne gehennæ, spiritus, & animæ torquentur, nec tamen in ipsis moriuntur.]

Vict. Anti. ad c. 5. Marci.

S. Hidel. in Quæst. 28.

Theodori. Abb. L. 1. vitæ Hildeg. c. 4.

At, quamuis nullus in hac mortali vita planè cognoscat qualitates omnes, ac conditionem immortalis illius flammæ, quæ perpetim ardet malos, siue, quòd longè absit ab oculis hominum, siue, quòd agendi munere, adeo ab hoc igne elementali discrepet, vt vix videatur conuenire in aliquo. Nihilominus, cum pluribus sacræ paginæ testimonijs, iam pateat, verè in gehenna ignem esse, meâ quidem sententiâ ambigi non potest, quin ille corporeus sit. Quid enim aliud exprimitur pœnæ ignis nomine, quàm ignis gehennæ, qui corporeus malos corporaliter vrit? An cùm legimus in Diuinis Oraculis [1] Terram in principio à Deo conditam: [2] aquis submersum aliquando hoc vniuersum: [3] aerem densissimis tenebris obscuratum in terra Aegypti: [4] igne extinctos esse Pentapolitanos, [5] Nadab, & Abiu combustos, [6] Quinquagenarios illos consumptos: terram, aquam, aerem ignem, spiritaliter interpretamur? Nemo adhuc tantum desipuit, ijs enim nominibus vera, corporeaq; elementa exprimuntur. Igitur idem fatendum est, cum legimus improbos mittendos esse in æternum ignem. Nam vbique elementa-


Gloss. in illud Iob. 20. Deuorabit eum &c.
1 Gen. 1.
2 Gen. 7.
3 Exodi 10.
4 Genes. 19.
5 Leuit. 10.
6. 4. Reg 1.

mentalium corporum mentio fit, quæ sicubi spiritaliter sine necessitate accipiantur, nihil cogit ea alicubi corporaliter accipere,& è conuerso. Quidquòd non absimile est, nullum in inferno ignem constituere,ac ignem inferni incorporeũ, & spiritalem, existimare. Ignis enim incorporeus, non est verè ignis,quòd ignis suâ naturâ sit corpus,sicuti esse non potest spiritus corporeus, quòd spiritus corpore necessariò careat. Id ergo validissimum argumentum ad probandum ignem inferni corporeum esse,& materialem,quod in inferno verè ignis existat. Neq; opus fuit, vt id Scriptura doceret, cum ignem appellabat, eum vocare corporeum, quòd minimè sit necessarium,corpora appellare corporea. Quemadmodum & sancti Patres, cum inferni ignem obiecerunt, quasi verum, solidumque incendium, eum similiter corporeum esse,haud obscurè significarunt. Tertullianus subterraneum ignis thesaurum memorat,& inæstimabiles gehennæ focos. Cyprianus meminit flammarum inconsumptibilium,quæ nudum corpus allambent. Basilius,ignem sine luce in inferno colloceat. Chrysostomus prædicat perpetuò exurgentes infernalis incendij flammas. Cyrillus Alexandrinus,inter cæteras tartarei ignis conditiones,ardorem, & obscuritatem enumerat. Omnes deniq; ita agunt de acerbo inferni ardore,ac si ab ardentissimo igne proueniat.

Tertull de pœnit. c 12. Cyp. ser de Ascen. Christi. Basil. Orat. de fut. Iud. Chrysost. Ep. 5. ad Theod. lap. Cyril. Al. Orat. de exitu animis.

CAP. VI.

Cur Deus ignem corporeum ad cruciandos spiritus adhibuerit. Sententiæ Patrum explicatæ, quæ innuunt, inferni ignem esse spiritalem.



SED, quid opus fuit,inquis, diuinæ iustitiæ, dæmones,ac prauas animas, corporeo igne plectere, cuius vim in spiritus intelligere mens humana non potest: cum Deus,se solo,tantum illis pœnæ possit irrogare, quantum inferre valeant

leant quælibet cruciamenta corporea? Potuit Deus sine dubio absq; igne corporeo, non absimilibus, immò atrocioribus pœnis mulctare sontes, atq; igne cruciante mulcter: sapientissimè tamen statuit, id præstare quibusdam instrumentis, quæ corpore non carerent. Læsere dæmones, læsere mali homines Deum totius vniuersitatis conditorem, ideò iustè in eorum supplicium armauit creaturam, communicata vi elementis, ex quibus vniuersitas ipsa componitur, quâ vlcisci in creatorem suum offensas possent. Dęmones insolenti animo ad Deitatem, eamq; potestatem in creaturas aspirarunt, quę superiorem non agnoscit; digna crimine pœna inflicta. Subditi in pœnis sunt abiectissimis corporibus, quibus imperassent, ni defecissent à creatore. Ignis autem potissimùm, elementum naturâ suâ leue, sublime, cæleste, fungitur in istos carnificis munere, in pingui, crassaque materia accensus, in profundissima mundi sentina inclusus: frangitur enim hoc pacto magis eorum superbia, qui ad cæleste regnum nati, cũ arrogare sibi illud iure quodam contenderent, in tenebricosissimum, vilissimumq; carcerem sunt detrusi. Homines verò nequam, qui cælestis portionis obliti, nullis pepercerunt flagitijs, terreni, & caduci corporis causâ, quàm meritò per hæc torquentur, per quæ peccauerunt, nimirum per ea instrumenta, ex quibus conflatur corpus, quod sæpe animæ incitamentum fuit ad peccatum.

Sapien. 5.

Sapien. 11.

Non dissensere ab hac veritate memorati superiori capite authores, qui gehennæ flammam incorpoream, spiritalem, aut immaterialem appellauère. Ac D. certè Augustinus, etsi alicubi disputando, ea proposuerit dubia de loco corporeo animarum, eiusq; cruciamentis, quæ humani ingenij acies se se proponebat, vbi tamen animaduertit nonnulla minus congrue sacris scripturis dicta, re maturiùs cogitata, dixisse noluit, ac censorio calamo notauit, vt alibi dictum. Atq; quod ad ignem spectat scripsit ille quidem, sibi haud esse plane perspectum, vt accipienda esset illa flamma in qua diues apud inferos cruciabatur, quòd pro certo haberet, oculos, linguam, & digitos eiusdem diuitis, haud es-

Explicantur doctorum testimonia, qui ignem gehennæ incorporeum vocãt.

se

se corporea membra, licet aptè Christus, eam historiam recensuerit, ac si indutus corpore fuisset in inferno, vt facilius mortales intelligerent tormentorum acerbitatem: veruntamen non dubitauit, quin re ipsa inferni ignis corporeus esset; id cum multis in locis pateat, tum maximè de Ciuitate Dei libro 21. vbi ait, ignem ad supplicium corporis pertinere, ac integro capite probat, eundem gehennalem ignem corporalem esse, eoquè Dęmones, quanquàm incorporeos torqueri miris modis. Aug. l. 21. de C. D. c. 9. C. 10.

Sed, quid de B. Gregorio cum incorporeum appellante? Exponi facilè posset, ita scripsisse, non quòd omnis materiæ, & corporis expertem esse censeret, sed quòd alimento corporeo, materiáq; non indigeat, quemadmodum noster, in quo sensu, & Paulus Apostolus asseruit, corpus in beata resurrectione futurum spirituale. At ego potius reor Syllabam illam *in* incuriá typographorum irrepsisse, ac legendum. *At contra gehenna ignis cum sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat &c.* Syxtus Senensis in Bibliotheca Sancta id monuit. [Sciendum est, inquit, hæc verba Gregorij, in omnibus codicibus Lugdunēsibus Hugonis à Porta, & in aliquibus manuscriptis exemplaribus corruptè legi, vbi. n. in his habetur, *Ignis gehennæ cum sit incorporeus* delenda fuerat sylaba *in*, vt pro dictione *incorporeus* legeretur *corporeus*; hoc. n. sequentia verba Gregorij palam ostendunt, & in hūc modum ea citat D. Thomas 4. d. 43. inquiens ex hoc loco non posse deduci, quod ignis inferni alterius sit naturæ, & speciei, quàm iste sit. Nam etsi in his ignibus, quędam diuersæ proprietates inueniantur, vtrisq; tamen eadem est natura, forma, & substantia.] Idem Bellarmino placuit. Neq; sine fundamento id excogitatum ab hisce authoribus. 1. Cor. 15. Six. Sen. Bib. San. l. 5. an. 141. Bell. T. 1. Cōtrouer. L. 2. de Purg. c. 11.

FEDERICVS CARDINALIS BORROMEVS Pastor Mediolanensis gregis, ac artium, & ingeniorum cultor, inter alia huiusce ciuitatis ornamenta, id quoq; adiunxit, quod in tanta eius amplitudine, desiderari iure poterat, vt proximè accederet ad eā, quæ totius orbis est caput. AMBROSIANAM BIBLIOTHECAM, Ambrosiana Bibliot. à Feder. Borrom. instituta anno. 1609.

Grecâ curâ, in conquirendis vndiq; libris, cum Romanâ copulatâ, animo Cæsareo instituit, perfecitq; Mediolani, quod [1] Cæsar Romæ destinarat, concessit enim eam magnifica liberalitate in publicum vsum, habuitq; primus præclarissimi facinoris laudes in Insubria, vt [2] Athenis Pisistratus, [3] Romæ Pollio. Habet clarissima hæc sapientiæ officina, præter omnis generis impressos codices, amplissimam librorum manuscriptorum omnis artis, & linguæ supellectilem, anteferendam thesauro, ob venerandam, & incorruptam pluriũ antiquitatẽ, qui nati cum authoribus ipsis videntur. Inter alia verò Patrum monumenta exarata manu, elucent vniuersa ferè D. Gregorij Magni opera, Dialogorum quidem duo codices vetustissimi, quos adij, eius loci causâ, quem tractamus: & quamuis alter corruptè legat [Gehennę ignis cum sit incorporeus.] Alter tamen incorruptè habet [Gehennæ ignis cum sit corporeus.] Atq; ita legendum esse, & scribendum suadet integra Gregorij sententia, admirandam enim ignis inferni conditionem ibi exequitur ea parte, qua alimento, vti noster, haud indiget. Non esset autem mirum incorporeum, & spiritale, nequaquàm nutriri. Mirum, si nutriretur. Sed quid pluribus D. Gregorij mentem interpretor? Ipsum audi. [Ignem, inquit, gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. Certè infine reprobis dictura est veritas. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Si igitur diabolus, eiusq; angeli cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ antequàm recipiant corpora possint corporea sentire tormenta?]

De D. Damasceno, aiunt Durandus, & Petrus Palud. fortè hęsitasse, an ignis inferni materialis esset vel spiritualis. Ego nullo modo adduci possum, vt credam hæsitasse doctissimum, sanctissimumq; Patrem, sed ea scripsisse existimo, vt vehementissimum illius ignis ardorem exprimeret, & acerbitatem eius cruciatus, quæ vires huiusce nostri longè superant. Quin, dum ait, non esse materialem, qualis ille, qui apud nos est, indicat materialem esse, & corporeum, licet

[1] Ait Suetõ. in Cæsare eũ cogitasse Bibliothecas publicare.
[2] Aulus Gel. L. 6. & Isid. L. 6. Orig. c. 3.
[3] Isidorus sup. c. 4.
Greg. 4. Mor. c. 29.
Matt. 25.
Dur. 4. Sent. d. 44. n. 11. Paludan. ibidem q. 6.

licet nullus mortalium planè perſpectum habeat, quæ ſit eius materiæ conditio.

Victor Antiochenus, niſi ignem inferni inſenſibilem appellarit, quòd in hac vita nihil nobis clarè, & apertè exprimat eius naturã, qualitates, ac proprietates, errauit, quod in margine eius loci animaduertitur, vt ſequenti capite referemus. Victor Antioch. ſuperiori cap. relatus.

Ad locum S. Hildegardis, reſponderi poteſt, eam appellaſſe ignem inferni corporeum, vel elementarem, quòd operationibus ab hoc igne diſcrepet, vt manifeſtum eſt ſententiam meditanti. Hildegardis quo ſenſum ignem inferni in corporeum appellarit.

In hunc modum ſatisfieri teſtimonijs eorum poteſt, qui benè ſentientes de communi infernalis ignis exiſtimatione, illum, corporeus cum ſit, incorporeum, & ſpiritalem appellauere: quanquàm & aliæ cauſę his non abſimiles ſubſint, quaobrem id fecerint. Quòd ſcilicet ſpiritus dolore afficiat, ac naturaliter, inter agens, & id quod patitur, ſimilitudo quædam intercedat, nec facilè à nobis intelligatur, vt in corporea corporeis torqueantur. Quòd futurus ſit in perpetuum extra proprium locum, neque tamen, ſicuti hic noſter, continua pabuli appoſitione nutriatur. Quòd corpora amburat, & cruciet, nec abſumat tamen: Quòd demum haud damnatos omnes pari cruciatu, & ardore torqueat, quæ omnia, naturalem huiuſce materialis ignis facultatẽ, ſuperant.

CAP. VII.

Sit ne error in Fide, ignem inferni incorporeum, & immaterialem, exiſtimare.



DIVVS Bonauentura, pro certo habet, corporalem eſſe gehennæ ignẽ: vult tamen nihil in hac re temerariè ſtatuendũ, quòd hãc quęſtionem nec Scriptura determinet, nec S. Auguſt. explicet. Haud igitur ad fidei decreta id pertinet, Bon. 4. d. 44. q. 1.

Caiet. in ca. 25. Matt.

tinet, quod Thomas Caietanus clare testatur, cum inquit, [An ignis inferni corporeus sit, non est certa fidei definitione firmatum. Credimus tamen rationabiliter, ipsum esse corporeum, quia scriptura vocat ipsum ignem, & propriè illum intelligere ignem, nullum habet obstaculum, nullum siquidem inconueniens sequitur ex confesso igne corporeo.] Confirmatur, etiam non esse vlla ecclesiastica sanctione decretatum, corporeus ne sit inferni ignis: nam in Concilio Florentino (inchoatum id fuit Ferrariæ, peractum Florentiæ) quæstione de Purgatorio, Latini Patres extare contendebant verum ignem, quo animę leuioribus peccatis obnoxiæ, quæ ue confessæ quidem, at absque prævia pœnę satisfactione, emoriuntur, pijs fidelium suffragijs coadiuuantibus, expiantur. Græci verò, admittentes alioqui, dari obscurum quendam locum, plenum laborum, in quo animæ degerent, donec coadiuuante Ecclesia, expiarentur, ac liberantur, negabant in eo, quem & ipsi Purgatorium appellabant, vllum adesse verum ignem. Eugenius tamen Papa IIII. quanquàm statuat, animas post mortem purgatorijs pœnis expiari, nihil omnino statuit de Purgatorij igne, quod tamẽ proculdubio fecisset Pontifex, si censuisset id ad Fidem pertinere. Igitur cum, multorum Scholasticorum sententiã, eiusdem natæ, & conditionis sit ignis gehennæ, ac Purgatorij, haud erit de fide, illum esse corporeum, quandoquidem nihil de hoc definitum est.

Concil. Flor. q. de Purg. initio.

Eugen. in Litt. Sanctæ vnion. in fin. Concil.

Benedic. Iust in c. 3. p. ad Corin.

His, Benedict. Iustin. probabilius existimat corporeũ esse inferni ignem, at non modo vult id non esse definitum tanquam de fide, sed nulla impietate, aut perfidia notandum, qui sentiat non esse corporeum, aitq; imprudenter facere, qui, ita opinantes, erroris damnant.

Archã. Rub. 4. sen. d. 50.

E contrario Archangelus de Rubeis, inter fidei decreta recenset, ignem gehennæ, quantum ad substantiam corporeum esse, vultq; id statutum apertã Christi sententiã, *Ite maledicti in ignem æternum*, & in Apocal. vbi infernus appellatur stagnum ignis ardentis sulphure, alijsq. in locis diuinæ scripturæ, vbi mentio fit de igne tartareo.

Matt. 25. Apoc. 19. & 20. &c.

Mihi

Mihi authoritate potissimum Bonauenturæ, & Caietani, non videretur damnanda hæresi sententia affirmantis, ignem inferni non esse corporeum, memorati enim Doctores, & in Romana Curia versabantur, & fuere catholicorum dogmatum peritissimi, ac ea scripsere, quæ scientibus, & probantibus religionis nostræ magistris, prodierunt in lucē.

Nihilominus dignum temeritatis notâ censerem, ac tantummodo non hæreticum, qui scriberet, in Gehenna nō esse ignem verum, corporeum, materialem, qualiscumq; sit eius materia: nam sacræ paginæ authoritates, quæ ita probāt ignem in inferno esse, vt dubitari hac de re, saluâ fide, non possit, probare similiter videntur, vt alibi dictum est, negari consequenter non posse, eundem inferni ignem verum, ac corporeum esse. Maximè cum in hanc sententiam eant vniuersi doctores, qui immeritò repræhenderent Origenem & hęreticos, *ignis* voce aliud ab igne exprimentes, nisi persuaderent sibi, verum corporeumq; esse inferni ignem. Quid enim aliud volebant hæretici, quàm *ignis* nomine, non significari sensilem pœnam, extrinsecus adhibēdam? Si ergo, concordi doctorum sententiâ, pœna ignis sensilis est, cur nō veri ignis. Si corporeo cruciatu torquendi sunt mali, cur non propriè eo, quem sacræ litterę insinuant, nempe ardentissimo igne? Si hæc sunt, quis sine erroris ac temeritatis labe contradicat? Cùm haud dispar ratio sit inferni, ac ignis in eo existentis, euidenterq; pateat, vt probauimus, non sine aperti erroris, & notæ temeritatis suspicione, reuocari in dubium nō posse, quin ille verus, sit locus, ac corporeus, idem existimandum est de igne: par enim causa militat. Confirmat id authoritas Correctorij Romani Bibliothecæ Veterum Patrum ad citatum capite quinto Victoris Antiocheni locum, monuit enim eam sententiam, *ignem gehennæ, non cadere sub sensum*, proximè accedere ad errorem in fide; ex quo duo colligo, alterum, oppositū nō esse vllo decreto, tanquàm dogma fidei apertè sancitum, alterum temeritatem errorem sapere, de corporeo inferni igne dubitare.

Atque licet Eugenius quartus in concilio Florentino, nihil

sta-


ſtatuerit de igne Purgatorij, quòd non adeo euidenter ex ſcripturis ſacroſanctis conijciatur, qua de cauſa opinantur multi non eſſe de fide dari purgantem ignem, quamuis de fide ſit, dari purgatorium: paulò tamen euidentiùs eſt, dari verum corporeumquè inferni ignem, quem toties diuinæ litteræ prædicant. Quin etſi Græci affirmarent, Purgatorium non eſſe ignem (quanquàm non adeo obſtinatè, nam ſummò Pontifici reſpondètes circa quæſtionem de purgatorio, pronunciarunt, credere ſe medias quaſdam animas in purgatorio eſſe: at non referre ſiue ignis ſit, ſiue obſcuritas, ſiue id genus aliud) exploratum tamen habebant, dari verum gehennæ ignem, malorum æternum ſupplicium, vt videre eſt in citata quæſtione de Purgatorio initio eius Concilij.

Lege Benedic. Iuſtin in Epiſt. D. P. ſup.

Seſ. vlt. non longe a fine.

CAP. VIII.

Num ignis tartareus eiuſdem ſit ſpeciei cum noſtro. Multiplex inter vtrumq; diſcrimen intercedere: naturâ tamen, & ſpecie conuenire.



ILLVD ſaltem concedendum eſt, inquiet aliquis, ignē inferni, quanquàm ſit corporeus, naturâ, ac ſpecie longè diuerſum eſſe ab hoc noſtro, cuius vires, & conditionem non obſcurè cognoſcimus. Etenim ſi conuenirent in naturâ, ac formâ, poteſtate ſimiliter, ſeu agendi facultate non diſcreparent. Quorū enim natura eſt eadem, eorum naturalis operatio eadem eſt, vt D. Damaſcenus tradit. Quis autem non intelligit, quantum diſcriminis inter gehennalem ignem, & elementalem hunc intercedat? Ignis ſupplicio malorum deſtinatus, nec alimentis nutritur, nec vllo caſu extinguitur, quietè, & tranquillè in ſubterraneo ſpecu detinetur, & incorruptibilis durat nec contendit eleuari ſurſū. Elementalis hic noſter emoritur, & corrumpitur deficiente materię fomite, & nunquam non petit eminentia loca. Lactan-

Damaſc. l. 3. Fid. Orth. c. 15.

Varia inter ignem inferni, & noſtrū diſcrimina.

ctantius Firmianus de mira hac gehennæ ignis ab hoc nostro diuersitate, ita scribit. [Ignis sempiterni natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria vtimur, qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per se ipsū semper viuit, ac viget sine vllis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versùs vrgetur; sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subuolare.] Ignis præterea crucians, ac adurens reprobos, haud illos absumit, & necat; Nam, vt eleganter idē Lactantius, Diuinus ignis vna, eademq; vi, atq; potentia, & cremabit impios, & recreabit, & quantū è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit.] At verò noster ocyssimè interimit quemcumq; in eum conijcias. Vno temporis momento, ait Chrysostomus, in ignem positus homo expirat, ibi aut (hoc est in igne inferni) crematur quidem, ac dolet, sed nequaquam quod crematur, consumitur. Atq; author sermonis 59. de diuersis T. 10. operum D. Aug. in Apendice, inquit. Ignis hic qui in præsenti est vita, absumit cuncta quæ recipit, ille verò quos susceperit semper cruciat, & pœnę suę semper integros seruat; Propterea enim & inextinguilis dicitur non solum, quia ipse non extinguitur, sed etiam quia nec eos, quos susceperit extinguet, aut perimet.

Lact. Fir. l. 7. de diuino præmio.

Lact. sup.

Chrys. hom. 44. in Matt.

Lucet, ac splendet hic noster, & oculos recreat, in illo infernali, densissimę tenebrę summo ardoti sunt admixtę, etsi quod lumen dat, dolori est, non voluptati. *Videbit enim peccator, & irascetur.* Hic propriâ naturâ perspectâ æquè cruciat, & amburit. Ille quamuis vnus sit, non vno modo sontes cruciat, sed iuxta modum culpę, pœnam, veluti mente præditus, infligit. Hic certos habet gradus, & limites ardoris; Ille acerbitate, & ardore hunc ita excedit, vt comparari cū eo non possit. Hic demum corporibus tantum esse potest molestię: Ille animas corpore solutas, ac malos spiritus acerbissimè cruciat. Ex tantâ vis vtriusq; ignis diuersitate, videntur

Ps. 111.

tur docti viri, quandam in natura diuersitatem collegisse.

Tertul. Apol. c. 48. Tertullianus hisce de causis scribit: [Nouerunt & philosophi diuersitatem arcani, & publici ignis: ita longe alius est, qui vsui humano, alius, qui iudicio Dei apparet, siue de cœlo fulmina stringens, siue de terra per vertices eructans.] Lactantius aperte inquit, diuersam esse vtriusque naturam; Origenes Ignem æternum alterius esse generis ab hoc igne, quem habemus in vsu. D. Ioannes Chrysostomus, affirmat, Igneos inferni fluctus, non huius ignis esse, sed ignis multò quàm hic horribilioris.

Orig. trac. 23 in Matt. Chrysos.

Chrys hom. 1. ad Heb. Idem Chrysostomus insinuat, ignem inferni nihil cũ nostro habere commune prĕter nomen. [Ignis (ait) ibi est, & tenebrĕ, & vincula, sed non hĕc sola, istis nominibus, sed alia multò peiora, & multò seuiora, quĕ nominibus vsitatis appellata sunt. Alij aiũt, Ignem hunc nostrũ picturã quandã ignis esse, non ignem, si cum gehennali incendio conferatur.

Bonau. 4. de. 44. q. 1. Atque D. Bonauentura, vbi dixit, Ignem infernalem corporalem esse, subdit. [Sed vtrum ille ignis sit elementaris, siue eiusdem speciei cum igne, qui apud nos est, hoc non ita potest pro constantiã quocumq; determinari.]

Scholas in 4. Sent. d 44. Statuunt tamẽ Doctores, concordi ferè voce, vtrumq; ignem in naturâ, & formâ, quam uocant substantialem, & specificatiuam, conuenire, nec tantam esse operationum diuersitatem, quin stare cum naturæ similitudine possit, ubicunquè enim uerè sit ignis, quantumuis materia, ac eius dispositio uariet, diuersaq; existat operatio, eadem tamen forma semper viget. Carbo, & flamma, si materiam respicias, distinguuntur specie, carbonis enim terrea est, flammæ aerea, at si formam, unde uerum discriminem potendum est, conueniunt. Siue ergo æternus ille ignis uiuat in pice, siue in sulphure siue in quauis alia materia, ab elementari hoc, formâ, & specie non distabit. Minus distabit etiam si quædã mira præstet, quæ huiusce elementaris uires superant. Haud enim quælibet operationum diuersitas, formĕ diuersitatem arguit, maximè cum ea operatio uniuersam speciem minimè consequitur, atq; à uaria materiĕ tantum dispositione,

seu

ſeu diuino miraculo oritur, non ab innatis rei principijs. Omnis aqua, cuilibet aquæ ſimilis eſt in ſpecie, ut commune fert philoſophorum decretum, notum tamen eſt, in certis locis, naturaliter, miros adeò effectus à quibuſdam aquis promanare, vt videantur propè ad miraculum accedere, quòd huius aquæ, quam in vſu quotidiano habemus, vim excedant.[1] Fons ſcatet apud Garamantas, cuius aquæ tam frigidæ ſunt diebus, vt non bibantur, tam feruidæ noctibus, vt non tangantur, [2] alius in Epiro extinctas faces accendit [3] Sylaris Campaniæ fluuius in ſaxa conuertit, quæcunq; in eum mimergantur. [4] In aliud flumen in Coloſſis, ſi lateres conijciantur, confeſtim lapides extrahuntur. [5] In Antandria, nonnullæ aquæ pecudes candidas reddunt› nonnullæ nigras. Quis, etiam in tanta agendi varietate, dicat, non retinere id elementum ſpeciem ſuam? Ignis ſimiliter, modò ignis ſit, cuilibet igni ſimilis in ſpecie eſt. Ignis in fulgure, non diſtat à ſe ipſo, etſi aliquando mollia, & tenera lædat, ſolida ac dura relinquat intacta, & contra. Eſt eius ignis, qui apud mortales quotidie alitur, humaniſq; commodis inſeruit ea conditio, vt extinguatur aquis, vehementiùs fœno, aut paleis excitetur, vt voret, & abſumat quæ, veluti in os eius, idonea pabula ingeruntur. [6] Scimus tamen nonnullos ignes accendi aquâ, extingui terrâ, & fœno, [7] nonnullos nutriri pluuijs [8] nonnullos feruere quidem, quidem ardere, at nullo modo, etiamſi manum admoueas adurere. Nullus tamē eſt, qui conijciat, hoſce ignes ſpecie diuerſos eſſe ab elementari. Ergo Inferni ignis, licet qualitatibus quibuſdam, ac operationibus eas conſequentibus magno diſcrimine differat ab hoc noſtro, non differet ſpecie, maximè cum haud naturâ ſuâ, ſed Dei omnipotentis miraculo, multa operetur eorum, quæ memorata ſunt, quod cum euenit, non immutatur natura, nam & ignis Babylonicæ fornacis, non deſijt eſſe ignis, etſi diuina vi, tres infantulos veluti ſuauis aura recrearit, adſtantes verò redegerit in cineres.

Manifeſtum itaquè eſt, ignis inferni perpetuitatem, atquè incorruptibilitatem, non probare, diſtingui ſpecie ab

Cc hoc

Arif. p. Top. c. 5.
1 Aug. 21. de C Dei c 5. Plin. l 5. c. 5.
2 Aug. ſ. Mela l 2.
3 Strab. l. 5. in fine.
4 Plin. l. 31. c. 2.
5 Ariſtot. l. 3. Anim. c. 11.
6 Plin. ita de igne ex Monte Chimera.
7 Et Ephestijs montibus erumpēte l. 2. c. 106.
8 Ariſt. de Admir. c. 35.
Daniel. 3.

ardore diuisisse. Summus demum ardor, ac mira crucia-di vis, etsi à varia materia, diuersaque dispositione oriantur, haud tamen à varia, diuersaque natura, fortius vrit ignitum ferrum, quam ardens stuppa, vtrobiq; tamen ignis. Deniq;, vt vno verbo concludam, quodcunq; discrimen dicatur intercedere, inter nostrum, & infernalem ignem, id haud ad diuersam naturam, speciemque referendum est, sed ad operationes. *Etsi longè excedat ardorē nostri.*

CAP. XI.

Vnus ne sit inferni ignis. Probabile visum aliquibus, varios esse gehennae ignes, quibus varia cruciandi vis insit. Probabiliùs, vnum esse, qui pro modo culpae paenam inferat. Hac de causa nonnunquam sapientem, *aliquando* rationalem, *aliquando* diuinum *vocari.*



QVI inferni scrobem in varias partiuntur cauernulas, in quibus diuersa plectantur peccata, plus, minusue pro qualitate sceleris, haud existimant vnum, eundemque ignem tartareum gurgitem occupare, sed pro diuersitate mansionū, diuersa esse distincti ignis cruciamenta, nō natura, sed vi, ac cruciandi potestate. Franciscus de Mayronis, causam inaequalitatis poenarum, quibus ab igne afficiuntur mali, inuestigando, ita inquit. [Dico, quòd vel oportet recurrere ad virtutem diuinam, vel ibi sunt diuersae mansiones, & in vno loco agit fortius (ignis scilicet) quam in alio.] Ea enim est ignis conditio, qui, sicut & reliqua elementa, moderate pro arbitratu suas operationes non potest, vt aequaliter comburat, quae sibi aequè proxima sunt, & ęquè apta, ut comburantur: corpora autem, animiq; damnatorum eiusdem omnino inter se naturae sunt, quare ni diuersa sint cruciamenta, quae diuersam habeant uim cruciandi, idem semper erit crucia-

Lib. 1. cap.

Fran. May. 4 d. 49. q. 3. L.

Ratio, quae probat varios esse inferni ignes.

Hier. in c. 50. Esa. tus,eademq; pœna unde D. etiam Hieronymus visus est affirmasse, quemlibet reprobum habere ignem proprium, cum scripsit in Esaiam, pro qualitate peccati, ignem sibi unumquemq; succendere.

Vt tamen primo libro statutum est, non esse in gehenna diuersitatem mansionum, pro diuersitate peccatorum, ac enormitate culparum, sed vnum ignem, infernalem fossam replere, quòd innumera propemodum crimina inter se qualitate, ac quantitate culpæ differant: sic in præsentia censendum, non esse opus, diuersos in inferno ignes distinguere. Nam si naturam ignis se se cogites, æquales semper cruciatus inferet, & æqualiter torquebit, ac vret. at corpora; Spiritus verò nequam, & animos malorum nullo modo torquebit. Ergo prçter ea, quæ eius naturæ cõpetunt, aliquid illi virium diuina virtute concessum esse, omnino putandum, scilicet, vt & discruciare spiritus, ac detinere eos possit, atq; acerbiùs, mitiùsue torquere, pro mensura culpæ. Hãc, diuersos inferendi cruciatus, vim, vni eidéq; gehennç igni inesse, Greg. 4 Dial. c. 43. egregiè D. Gregorius explicauit in hæc verba. [Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusq; enim quantum exigit culpa, tantum illic sentitur pœna. Nam sicut in hoc mundo, sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdẽ solis ardorem çqualiter sentiunt, quia alius plus çstuat, atque alius minus, ita illic in vno igne, non vnus est modus incendij, quia quod hîc diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorũ, vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.] In qua sententia mirum, quàm dilucidè, & apertè res enodetur. Etenim etiam ea ipsa, quç naturaliter agunt, licet sibi relicta non dissimiles effectus producant, tamen cogitata diuersitate corporum, & varia eorum dispositione, ad quæ dirigunt operationes suas, effectus dissimiles ab ijs oriuntur; Ignis citius amburit stupam, quam ferrum, sol liquefacit ceram, obdurat lutum. Sit ergo in inferno vnus ignis per vniuersam illam vastitatem diffusus, sint oẽs mali spiritus çqualis naturæ, hoc est vniuersi

careant

careant corporea mole, sint omnia damnatorum corpora se se æqualiter ab igne combustibilia. Vt tamen hæc cogitamus, inquinata peccatis, deturpata sceleribus, variè afficiuntur ab igne, eiusq; tormenta haud æqualiter sentiunt. Exerit enim ibi vires suas, ignis, diuina vi corroboratus contra peccata, quæ eius sunt materia, & pabulum, quare diuersitatas flagitiorum, nō incendiorum distinctio, in causa est, vt ab vno inferni igne, varij cruciatus inferantur. [Quo modo, inquit D. Hieronymus in eodem manentes loco, & si dici potest lectulo, alij sani sunt, alij febrium succenduntur ardoribus, ex diuersitate humorum, atque pituitate, diuersa supplicia sentientes, sic & ignis, qui à peccatoribus succenditur, materiam in peccatis habet, & in iniquitate, de qua scriptum est. Ardebit sicut ignis iniquitas, & sicut gramen siccum vorabitur incendio.] Quare, cum ait vnumquemq; sibi ignem succendere, noluit vnumquemque distincto igne cruciari, sed vnumquemquè, vt varijs se dedit criminibus, varios sibi præparasse cruciatus. Hier. sup.

Porrò, quòd unus inferni ignis, quatenus diuinæ iustitiæ instrumentum, à Deo eam facultatem acceperit, ut instar æquissimi iudicis ardentioribus, leuioribusuè flammis discruciet improbos, à Patribus nonnunquàm *sapiens*, nonnunquàm *diuinus*, nonnunquàm *rationalis* appellatus est; Sapienter enim, ac rationabiliter, iuxta diuinę iustitiæ imperium, pœnam infligit pro modo culpę. Arnob. l. 8. cont. gen. Lact. l. 7. de Diuin præm. Hier. in cap. 20. Iob.

CAP. XII.

De summo infernalis ignis ardore, ac eius causâ.



VALE, quantumq; sit infernale incendium, quàm sæuum, & uehemens, hoc unum satis declarat. Ab Omnipotentissimo, & ęquissimo Deo, iustè irato, pręparatum esse, ut in eo tot dęmones, tot mali homines, lęsæ eius diuinę maiesta-

maiestatis rei, pœnas darent peccatorum. Id cogitantes sacri doctores, uno uerbo statuerunt, neque sermone exprimi posse, nec mente concipi illius uires, & ardorem. Cogita Aetneos montes, aliasque terræ fauces, summam ignis copiam, ingentemque flammam exhalantes: remotæ quædam similitudines sunt inæstimabilis illius foci, qui ardet in gehenna, uixque uim scintillæ adumbrant. Lenes autem sunt accensum sulphur, & ignes, si huic conferantur, quibus olim nefandum scelus punitum, combusti Nadab, & Abiu, necati quinquagenarij illi, tot millia cadauerum exercitus Senacherib redacta in puluerem. Hæc enim à diuina iustitia ad pœnam corporis in hac uita destinabantur, erantque simulachra quædam atrocioris illius pœnæ, qua ab immortali & sempiterno igne, spiritus nequam, ac homines reprobi æternum cruciantur. Hinc ignis hic noster, pictus appellatur, comparatione æterni. D. Anselmus de igne inferni. [Ignis, ait, qui semel accensus, ut si totum mare influeret, non extingueretur, cuius ardor, sic istum materialem uincit ignem, ut iste pictum ignem. Beatus Polycarpus presbyter, ut extat in uita S. Sebastiani apud Surium, aiebat. [Hi dolores momentanei, illorum dolorum quandam referunt imaginem, & quantum interest inter ignem uiuum, & pictum, tantum distat inter dolores, quos nunc patimur, & illos, quos anima passura est, si ignara creatoris sui, præsentis uitæ munus expleuerit.] Chrysostomus de summo hoc ignis ardore id unum profert, cum uarijs eum similitudinibus proponat, longè atrociorem esse hoc nostro. [Maledicti (inquit Chrysost.) in ignis fluuium, atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur, ignei dico, non huius ignis, sed ignis certè multò, quàm hic horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyssum, ita ut undique ignis immanissimæ similis feræ trascurrere videatur.]

D. Ansel. in elucid.

Polyc. ex vita S. Sebast. apud Sur. mense Ianuano

Chrys. hom. 44. in Matt.

Sed rem ab ijs quæramus, qui eius flammæ acerbitatem sensere, & adhuc sentiunt. Nullus aptior testis cacodæmone ipso, alias quidem mendacissimo, at qui in prædicandis in-

ferni

ferni pœnis lubentius aliquid detrahendo mentiatur, quàm addendo. Hic Vualtero cuidam interrogãti, de statu animæ Vuilhelmi comitis Iuliacensis, in hanc sententiam respondet. Nosti, inquit Diabolus, Castra vicina Vuochenburg, & Drachenfles, cui cum optimè se nosse Vualterus responderet. Subiunxit Dæmon. Per fidem meam tibi dico, si ferrea essent tam castra, quàm eorum montana, & in eum locum mitterentur vbi anima Vuihelmi est, antequàm supercilium superius inferiori iungi posset, liquefierent.] Quis huic testi fidem non habeat? Cui quamuis familiare sit mentiri, vt dictum est, hîc tamen mentiri, haud sibi, suisquè dolis commodum. Multi etiam, qui diuino beneficio dicuntur in vitam restituti, & ab atrocibus illis flammis liberati, meminere in primis horrendi illius ardoris. Referam tantum, quid Cæsarius author fide dignus scripserit de Eueruuacho Theodorici Traiatensis Episcopi famulo, qui falsæ cuiusdam accusationis declinandæ causa, se totum Dæmoni, magicisquè artibus dederat, & in ea labe mortuus, ac addictus æternis pœnis, cœlesti ope ad vitam reuocatus fuit. [Primo loco, ait, sicut ipse resurgens à mortuis confessus est; missus est in ignem intolerabilis ardoris vt diceret, si ex omnibus mundi lignis vnus ignis esset confectus, mallem in eo vsquè ad diem iudicij ardere, quam per spacium vnius horæ illum sustinere.] Plures etiam, qui gehennali ergastulo mancipati, viuentibus apparuerunt, Deo ita disponente in mortalium vtilitatem, certis indicijs declararunt, quã sæuum sit incendium, in quo versantur, idq; vel vnicâ sudoris stillâ, vel leui contactu, vel alijs argumentis. Sacra pariter oracula, non obscurè indicant ignis inferni atrocitatem, cum vbicunq; eum appellant, ferè, non contenta simplici ignis voce, certas illi notas addunt, eius vim exprimentes. Cæs. Hemster. l. 12. mir. c. 5.

Habet verò ignis ille tantam vim, primò quidem ab omnipotenti Dei iustitia, quæ destinauit eo vti, tanquàm instrumento ad improbos summè, & acerbè cruciandos, tùm à situ, & cõditione infernalis regionis, intra cuius ambitũ ita concluditur ignis, vt exhalare inde ardor nullo modo possit. Inferni ignis cur tantum ardoris habeat.

Quod

Lege Dion. Carth de 4. Nouiss. de Infer. S. Th. 4. d. 44. q. 2. a. 2. qla. 3. Barthol. Sybil. Spec. Per. Q Dec. 1. q. 11. c. 3.

Quòd enim inclusus ignis vehementiùs ardeat, & vrat; & ratio, & experientia docet: nam videmus, nullum in fornacibus, spiramen apertum relinqui, vt conclusum incendium fortius lateres, & saxa concoquat. Accedit etiam circumstans frigus, quod à terra ambiente oritur, id enim procul dubio efficit, vt ignis vires vniantur, fortiúsq; agant, naturale enim est, per anthiparistasim, vnius contrarij aduentu, alterum colligere vim, vt vehementius resistat, fieriq; ad agendum potentius; Adde postremò materiam, in qua ignis uiuit, multùm conferre ad ardoris incrementum, vnde cum in sulphure, & pice ignis inferni vigeat, summâ vi comburet. Vtramq; causam complexus Episcopus Abulensis, ita scripsit. [Ille ignis erit violentior, & fortior apud inferos etiam naturaliter, quàm alibi. Nam ignis fortificatur ex conditione rei ignitæ, nam quantò res ignita est solidior, & compactior, tantò est actio fortior, & intensior caliditas. Alia etiam intensionis causa est, scilicet per anthiparistasim. qualis ibi erit; Nam erit illa concauitas inferni in corde terræ, & quia est ibi locus valde frigidus, cum terra sit nimis frigida, & ibi sit elongata ab omni calore, frigiditas totius terræ circumstantis faciet congregari virtutem ignis, & erit ignis efficacior in actione, & intensior in calore.]

Abul. p. 7. in Matt. q. 520.

CAP. XIII.

De materia ignis inferni. Esse potissimùm sulphur, tetramq; picem. Fluidam censeri, non duram omnino, ac densam.

Aug. 20. de C. Dei c. 16.



HAVD is sum, qui putem, id me assequi certò posse, quod Augustinus, abditissimorum sacræ scripturæ misteriorum perscrutator, omnibus mortalibus incertum esse, testatus est. [Ignis, ait, inferni cuiusmodi sit, scire arbitror neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit.] Sciunt vniuersi,

ſi, qui retinent nonnihil impreſſę ſibi à conditore lucis, nec penitus catholicam fidem abiecerũt, immortale quoddam incendium ardere in pœnã malorum, horrendum, ac vehemens: at quod nam ſit tanti incendij fomentum, quę ve eius materia, non adeò perſpectum habent. Quantùm tamen licet aſſequi coniecturâ quadam, atque ex diuinis litteris, ac probatis Doctoribus conijcere, dici non improbabiliter poteſt, Deum, cum in terrę penetralibus gehennę cauitatem fabricauit, ingentem ibi ſulphuris, & picis maſſam pręparaſſe, atq; in ea omnipotenti ſuo flatu, inferni ignem accendiſſe. Non conuenit ſanè, ignem in foſſa inferni vigere in propria tantùm materia, pura, ac ſubtili, qualem obtinet in ſua ſphęra, eo enim torquendi ſunt impuri ſpiritus, & ponderoſa damnatorum corpora crucianda: habet igitur admixtum aliquid alienę materię fętentis, & ſpurcæ, in qua detentus ignis exerit omni conatu vires ſuas, atque vehementiſſimè vrit. Nulla autem ad id munus aptior ſulphure, ac pice, in quibus accenſus ignis ſummè quidem ardet, at exuit quidquid parere voluptatem aliquam poteſt. Quòd enim hæc pinguis quædam materia, acerbiſſimè amburet, ac in ea veluti in viſco inhæreſcent mali, quòd verò fuſca ſit, & nigrori ſimilis, nihil ferè lucis emittet. Scriptura, cum inferni ignem memorat, ſępiſſimè hanc illi materiam tribuit. Regius Pſaltes de vindicta diuinæ iuſtitiæ. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur pars calicis eorum.* Pſal. 10. Iſaias de Gehenna loquens. *Præparata eſt ab heri Tophet: à rege præparata profunda, & dilatata, nutrimenta eius ignis, & ligna multa: Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Eſa. c. 30. Alibi contra impios inquit. *Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur, & erit terra eius in picem ardentem. Nocte & die non extingetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius &c.* Eſ. 34. Hæc à D. Hieronymo, & alijs metaphoricè accipiũtur: quid tamen obſtat; quod ad ſulphur, & picem attinet, quominus propriè iuxta verum verborũ ſenſum intelligantur? B. etiam Petrus inſinuauit, huiuſmodi tartarei ignis pabulum; cum ſulphur, & ignem, quę ſcimus ſuper infames

Petr. Epist. post. c. 2. v. 6. Gen. 19. v. 24.

illas ciuitates compluisse, uocauit exempla quædam gehennalis incendij. *Ciuitates*, inquit, *Sodomorum, & Gomorræorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Idem S. Iudas Apost. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*, D. Ioannes in Apocal. apertè sulphurei gehennæ ignis meminit. 14. cap. scribit, Bestiam cruciandã esse igne, & sulphure: alibi Diabolum missum esse *in stagnum ignis, & sulphuris, vbi et bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum*. Quoties demum ignẽ inferni nominat, toties addit sulphur. Patres, & quicunq; de inferni igne dixere, sulphur non omiserunt. Cyril. Alex. ait in inferno esse turbidam picem, & fœtens sulphur. D. Io: Chrysos. Ignem Sodomorum, qui sulphuri admixtus fuit, effigiem gehennæ uocat. Augus. *Specimen Diuini iudicij*. D. Anselm in Elucidatio. & Innocent. Sulphur inter inferni cruciamenta enumerant. Ambros. etiam Ansber. id tanquàm indubitatum habet. *Sulphur autem*, ait, *quid aliud, quam fomentum ignis est?* Haymo, authoritate Esaiæ confirmat in gehenna fœtere sulphur. Archangelus de Rubeis, inter alios scholasticos, ait id notum esse, & manifestum, quin statuit, non minus sulphur, quam ignem, eiusdem esse speciei cum hoc nostro, cum nihil cogat illud distinguere.

Sanctus Iud. in sua can. v. 7.

Ioan. Apoc. 14. & 20.

Cyril. Alex. orat. de exitu animi.

Chrys. hom. 4. in Ep. ad Rom.

Aug. de C. D. l. 16. c. 30.

Innocent. III. l. 3. de cõtem. mundi c. 4.

Ambros. Ansb. ad c. 14. Apoc.

Haymo. in c. 30. Es.

Archã. Rub. 4. d. 50.

Hæc porrò materia, eo congruentior ad alendum inferni ignem censetur, quo non modò aptissimum est ardentissimi ignis pabulum, sed accensa fœtentissimum odorem exhalet. Potuit Deus solo igne, absq; sulphure, & pice, acerbissimis pœnis plectere malos, potuit solo fœtore, nullo igne adhibito, eos vehementissimè cruciare. Libuit tamen utrũq; copulare, ut adesset intolerabilis ardor, & putidus odor non deesset. Præclarè Ambrosius Ansbertus. [Suffecerat, inquit, ad intolerabilem pœnam, si solus ignis exurens sempiternus fuisset, etiam si fœtor sulphuris, ignem non comitaretur. Rursumquè suffecerat ad pœnale supplicium, si solus fœtor sulphuris adesset, etiamsi ignis æternus defuisset. Sed dignũ est,

Ansb. l. 6 in Apoc. c. 14.

eſt, vt illic ignis ardore, ac ſulphuris crucientur fœtore, qui hîc dum uiuerent, ad diuerſa deſideria, ex carnis arſerunt fœtore. Ipſa namq; cruciamenta reproborum, actus ſignificant eorundem hominũ peruerſorum. Quid itaq; in ſulphure, niſi carnalem concupiſcentiam accipimus? Quæ dum peruerſis cogitationibus, quaſi quibuſdam fœtoribus, mentem replet, ęterna incendia præparat, & dum fœtoris ſui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis ſequentibus, quaſi nutrimentum ſubminiſtrat. Nam quia ſulphur fœtorem carnalis concupiſcentiæ deſignet, ipſa ſacra eloquia teſtantur, quæ contra Sodomam ignem, & ſulphur Dominum pluiſſe narrant. Qui cum carnis eius ſcelera punire decreuiſſet, in ipſa qualitate ultionis, notauit maculam criminis. Sulphur quippe (ut diximus) fœtorem habet, ignis ardorem. Qui ergo peruerſa deſideria, ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul igni, & ſulphure perirent.]

Non omittam aliam coniecturam haud leuem, eſt autem ex eo deducta, quòd frequentiſſimè mali ſpiritus, autè conſpectu hominum auolantes, quibus uiſibiliter apparent, aut ab obſceſſis diuino imperio iuuiſibiliter abſcedentes, fœtidiſſimum ſulphuris odorem relinquunt; plena ſunt exẽplis geſta ſanctorum Patrum, quibus ſi opponatur, odorem illum malè olentem prouenire à materia, ex qua corpus conflant, quod aſſumunt, quæ dum in auras euaneſcit, fętorem exhalat. Quid, dicam ipſe, cum nullo induti corpore, ab oppreſſis fugantur, & aerem ſulphureo odore inficiunt? Certè opinari non abſurdè licet, tunc ſpeciali Dei permiſſu, ignem, quem dæmones ſecum ferunt, quoddam ſui ſpecimen dare in exemplum mortalibus, quanquàm alias, communi lege, extrinſecùs non prodat.

Aliquot exẽpla collegit Petr. Tyr. de dæmonia. c. 52.

Hinc uidere eſt, ignem gehennalem non habere eam puritatem, quam illi tribuit Lactantius Firmianus, neque eam leuitatem, ac ſubtilitatem, quam Hebręi quidam. [Scito, aiunt, gehennam nihil aliud eſſe, quàm ignem quendam leuem, atque ſubtilem, qui ob miram ſubtilitatem poteſt animas exurere.] Leuis cauſa, quamobrem ſubtilis ſit, & leuis.

Lac. L. 7. de Diuin. pręm. Heb. in L. b. cui tit. Abkat Rochel.

An subtile corpus, afficere spiritus potest? An habent animæ subtilia corpora? Propriùs alij ad veritatem accedunt, quorum sententiâ, gehennæ ignis fuscus est, & subuiridis. [In quadam inferorum mansione (lego in libro cui titulus Iesod Sirim) est ignis subuiridi colore nigricans, neq; enim ibi vlla lux, sed caligo, & tenebræ.] Hunc colorem amat materia, in qua diximus foueri ignem tartareum.

Apud Barthol Valuer. in asser. ignis purg. ex Heb.

Quoniam verò igniti sulphuris, & accensæ picis, ea videtur conditio, vt molliantur instar plumbi, reor fluidam esse, & facilè penetrabilem gehennalis incendij materiam, id maximè eius munere flagitante, cum enim corpora damnatorum iuncta animis mergenda sint in ignem, & singulis membris, veluti indumentum quoddam, ardens moles aptanda, esse non potest ea materies, quasi fortissimus murus, aut durissimum ferrum. Lactantius eam comparauit aquæ, cum ignem cruciantem appellauit, purum, & liquidum, & in aquæ modum fluidum. Diuinæ litteræ infernale incendium, describunt torrentium similitudine, piceorumquè fluminum.

Lact. sup.

CAP. XIV.

An ignis inferni absumat aliquid materiæ, in qua alitur? Refellitur opinio dicentium absumere: at illud confestim resarciri, aut cæli influxu, aut creatione noui pabuli.

DICET hic quispiam, huiusmodi non esse sulphur, in quo viuere perpetuò ignis possit, eadem enim facilitate, qua accenditur, eâdem & consumitur: quamobrem nisi dies, noctesq; illi noua fomenta suppeditentur, tandem, agente summa ui igne, in nihilum redigetur.

Varia doctores excogitarunt, vt enodarent, quo nam pacto in eo pabulo, quod facilè comburitur, perseuerare æter-

no tempore ignis possit. Refert Guido Brians. existimasse nonnullos, tartareum ignem aliquid materiæ, in qua viuit proprio ardore absumere, at nouum illi alimentum, influentis cæli beneficio, subministrari, ita vt tantum materiæ semper generetur, quantum absumitur edacitate ignis. [Alia opinio, inquit, quod ignis inferni est sub aliena materia, & in illo loco perpetratur per naturam. Dicunt enim, quod continuè depascit suam materiam, sed quoniam in loco illo est, cælestis influentia conuertens continuè aquam in terram, & partem aeris, & interdum partem illius ignis, ideo perpetuari potest, quod sicut ex vna parte materia sua consumitur, ita per influentiam prędictam proportionaliter regeneratur.] Guid. Briar. 4. Sen. q. 1. Corol. 1.

Opinati sunt alij, infernalis ignis fométa deficere paulatim, non secus ac, vi nostratis ignis, quodcunq; combustioni aptum deficit, resoluiturquè in cineres: at Deum, qui statuit in inferno perpetuò ignem vigere, statim creatione recentis materiæ, id restaurare, quod flamma vorarat. Id sibi persuasere, ni fallor, quod minimè intelligerent, vt ignis, qui se ipso cōficit quodlibet corpus, non depascat in gehenna, minuatq; suum pabulum. Ex Abulen. p. 7. in Matt. 9.

Improbabilem vtramq; sententiam existimo. Et quoad id quidē, quod vtriq; cōmune est, quòd scilicet aliquid exedat sui pabuli: fateor, si cogitemus gehennæ ignem illū agere tantùm iuxta innatam sibi facultatem, neq; eius agendi vim à Deo moderari, non modo sulphur in quo ardet, sed quodvis corpus facilè consumpturum, est enim vorax naturá suâ. At cum ignis in inferno conclusus, nihil ferè sui habeat pręter cruciandi potestatem, immò hanc quoq; à Deo corroboratam, vt inferre spiritibus dolorem possit: ea tantùm potest, quæ postulat diuinæ iustitiæ ordo, quare ardet, non lucet, ardendo cruciat, cruciando nō extinguit. deniq;, quòd eo mali ęternùm cruciandi sint, æternùm vigebit vt creatus est, diuina potestate, sicut .n. iniecta in eum corpora concremabit, nec absumet, sic ardebit ipse, nec aliquid minuet de propria materia. Non est ergo opus restaurari continuo sulphur in inferno, quòd nihil ibi sulphuris actione ignis in auras resoluatur,

Alia ratio cui ignis inferni nō abſumat aliquid ſuæ materiæ, qua vtitur Fran. Mayr. 4. d. 49. q. 3. Litt. L. dub. 4.

uatur. Argueret etiam philoſophus, quòd ſi quid ſemper materiæ ignis deperiret, hęc, cum nihil agentis naturalis actione penitus conſumatur, in aliud quid verteretur, nam generatio vnius, eſt alterius corruptio, & contra. Quid tunc de vaporibus inde genitis, vel quapiã ſimili re, fieri putandũ eſſet? Concludi in ipſa inferni cauitate non poterunt, hæc enim habet certos fines, qui illis capiendis haud ſufficient. Non euolabunt ad ſuperiorem terram, per certas aperturas, tum quòd minimè id æquum ſit, primùm enim diffunderentur per reliqua ſubterranea loca, quę infernum ambiunt, maximè Limbum puerorum, & Sinum Abrahę: tùm quod nullũ extet apertum inferni os, niſi dicamus exhalare per Aetnę fauces, quod non euenire, priore libro ſtatutum eſt.

Sin autem ſingillatim perpendamus rationem, quã volũt id fieri, intelligemus perfectò irrationabilem eſſe. Ex quo enim, eo cęli influxu (quandoqui haud eſt creatio) recens ignis inferni pabulum generatur? An ex terra, quę infima animarum ergaſtula circumſtat? At quid illius ſupereſſet, ſi tanta longinquitate temporis, tantum eius molis verteretur in ignem, quantum abſumere gehennę incendium poteſt? An ex aqua, aut aere, vel igne? At pręterquàm quòd eadem ratio militat: aqua non eſt idonea materies, vt ex ea fiat ignis pabulum: aer ob ſui raritarem redigi eò non poteſt, vt ignem alat: ignis cur deſinat eſſe ignis, vt ignem foueat?

Refellitur opinio dicētium creari in dies nouã ignis materiam.

Nulla etiã neceſsitas cogit, vt exiſtimemus, ſingulis momentis Deum nouam materiam creare, illi reſpondentem, quam ignis voracitas conſumpſit: Deo enim ęquè facile eſt, ignem inferni in eodem ſemper tenore, ſine vlla diminutione, conſeruarè, atq; continua creatione, nouum illi pabulum ſuppeditare. D. Hieronymus ad illud Iob *Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.* [Hunc ignẽm, inquit, non abſurdè intelligimus eſſe gehennam, qui non materijs quibuſdam, & pabulis viuit, ſed per ſe ipſum, vt creatus eſt vigens, cuncta ei, quę iniecta fuerint, concremat.] D. Gregorius in eandem ſententiam. [Gehennę ignis, ait, cum ſit corporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio

Hier. in c. 20. Iob.
Ideſt eo modo, quo noſter.
Greg. l. 15. Mor. c. 17.

dio

dio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſucceſſione nō indiget, & ardore non caret.] Igitur, ſi vt ſemel creatus eſt viget, & durat, ſi non indiget ſucceſſione, in eodem ſemper ſtatu perſeuerat, nec quotidiana noui alimenti appoſitione viuit.

CAP. XV.

Ignem inferni nihil abſumere ſuę materię, ſiue quòd in materia incombuſtibili ardeat, ſiue quòd à Deo data ſit infernali cauitati naturalis conditio propriæ ignis ſphæræ, quam habet Lunæ concauum: aliorum opinio breuiter refutata.



Enſuerunt alij, vt par eſt, ignem gehennæ nihil imminuere propriæ materiæ: at ijs mouentur rationibus, quæ mihi haud ſatisfaciūt. Quidam, recitatâ à nobis initio ſuperioris capitis difficultate, non putant, tartareum ignem in ea eſſe materia, quæ extinctioni ſubiaceat, & abſumi ardore poſſit, ſed volunt huiuſmodi eſſe eius ignis fomentum, quod reſiſtere edacitati ignis poſſit. Quòd enim (aiunt) ignis deficiat, haud ab igne ipſo oritur, alioqui & in propria ſphæra deficeret, ſed à defectu materiæ, nam videmus eundem ignem in alia breuiùs, in alia diutiùs perſeuerare. Vt ergo ignis inferni in perpetuum duret inextinguibilis, talis conditionis eſſe debet eius materia, vt fouere perpetuò ignem valeat; huiuſmodi eſſet aliquid ex Anſbeſto lapide fabricatum, quem dicunt, ſemel accenſum nunquàm extingui. Marcus Vigerius Cardinalis videtur amplexus hanc ſententiam, cum ſcribit. [Ignis ſi ſub cinere, vel alia materia clauſus extinguitur, non ſuâ naturâ, ſed imbecillitate materiæ, cui fuerit ſociatus, id patitur. Huius rei argumentum eſt, quòd in aliqua materia diutiùs, in aliqua breuiùs durat:

Dicentes gehennæ ignē eſſe in materia incombuſtibili.

Marc. Viger. in Decachor. Chriſtian. Chor. 1. tit. de operat. Dei.

cum

cum enim vtrobiq; sit par ignis substantia, non est cur illa vtrobiq; pari modo non duret, nisi quod materiæ non sunt pares. Quare si igni materiam dederis, quæ illum perpetuò ferre sufficiat, nunquàm extinctum, nunquàm ociosum inuenies. Hinc (inquit) ego existimo, ignem inferni extingui non posse, & cruciare perpetuò, quoniam materia in qua ardet, semper durat.] Quo modo autem semper duraret, iuxta hanc opinionem, nisi ferre perpetuò ignem posset?

Dicentes ignem inferni non absumere suam materiam quod centrũ habeat à Deo conditionem sphæræ ignis.

Alij, nullam ignis inferni materiæ rationem habentes, hoc argumẽto probãt, quęcumq; ea sit, non posse vi ignis exhauriri. Ignis (inquiunt) in Lunæ concauo, naturali eius sede, nec agit in materiam propriam, nec eam vllatenus imminuit, sed in eodem statu sine vlla mutatione durat, ob eam causam, quòd in naturali, sibiq; competenti loco degat, cuius munus est, proprium locatum fouere, ac seruare: est enim cuiquè elemento innatum, vt in propria sede quiescat, ab illa remotum, in summa sit perturbatione, ac motu, ob appetitum eius acquirendæ. Nam graue corpus in sublimi loco detentum, tendit ad infimum, leuissimus ignis, summo conatu versùs cælum erigitur, quoniam amant hæc proprium locum, in quo læta profruuntur quiete, nisi vi inde extrahantur. Habent ergo elementorum sedes certam conditionẽ, amicam, & salutarem corporibus, quę in eis naturaliter degunt, cuius beneficio sine vllo detrimento, & molestia, ibi commorantur. Hanc vim sphæræ ignis suum elementum conseruandi, putant à Deo, loco omnium infimo, & abiectissimo, videlicet centro terræ, concessam, ac propterea ignem inferni non secus ibi existere ac in proprio sibiquè naturali loco, nullis fomẽtis indigere, nihil demum proprię materię depascere. Retulit horum existimationem Abulensis Episcopus in hunc modum. [Inquiũt alij, quod siue esset ignis inferni in fomentis aliquibus, siue, absquè illis poterat Deus illũm conseruare semper manentem contra ignis conditionem, qui apud nos cernitur, & hoc quidem non per miraculum continuum, sed dando illi loco conditionem naturalem sphęrę ignis, ex eo, quod ea sphęra est locus

Abul. p.7. in Matt.9.

eus naturalis ignis, ibi ignis sine fomentis perseuerare potest, quod secus est apud nos, cuius eam rationem assignant, quòd esse conseruatiuum ignis, sit res quæpiam, quam alteri loco communicari, haud inconueniens existimant.] .

Non inficior profectò, vt patefaciam dubitandi causam de priore opinione, quin Deus ignem inferni accendere in ea materia potuerit, quę, naturâ suâ, illi sine vlla extinctione, fouendo suffecisset: veruntamen, cum placuerit eius prouidentię, vt in sulphure potissimùm arderet, quemadmodùm probauimus, haud prouenit à materia, quòd non deficiat. Deficere ea potest, naturâ suâ, nihilominus idem omnipotēs Deus, qui lapidi illi, & quibusdam alijs rebus concessit, vt semel accensa, non extinguantur, efficere facillimè potuit, vt ardens in inferno sulphur nunquàm deficeret. Patebit ratio, quâ id effecerit, sequenti capite.

Refellitur prior sententia.

Posterioris sententiæ inuentum non subsistit. Esse nàmquè conseruatiuum ignis, seu proprium eius locum, quid aliud est, quàm ignem, naturâ suâ leuissimum, stare supra cętera elementa, quæ uniuersitatē hanc componunt? Vbicunque ergo collocetur ignis, etiā Diuina ui, haud erit in naturali sede, nisi super cętera elementa emineat, quamobrem propria conditione perspecta, eodem conatu ad sublimem locum tēdet, mouebitur, aget, deficietque, nisi à Deo impediatur. Sed concedamus quandam ignis conseruandi facultatē, loco leuissimi elementi competentem, ab eo quouis modo distinctam, ut proprię passiones dicuntur à Philosophis congruere proprijs subiectis: inuoluet tamē implicantiā, hanc alteri loco communicari, quemadmodùm risibile, alteri ab homine, nequit conuenire. Vt ergo, rebus ita se habentibus, fieri non potest, vt ignis sphæra sit naturalis corporum grauium locus, quamuis Deus sua ui, eo in loco, conseruare perpetuò posset molares lapides: nequè centro terrę concedi poterit, ut sit naturalis leuium locus, quanquàm leuissimum elementorum ibi esse, diuina uirtute, sine fine possit. Postremò, communicetur hęc sublimis loci conditio infimę mundi sentinę; Quo pacto cum ea stare perpetuò id poterit,

Argumenta contra secundam opinionem.

Lege Dion. Carth de 4. Nouiss. de Infer. S. Th. 4. d. 44. q. 2. a. 2. q la. 3. Barthol. Sybil. Spec. Per. Q Dec. 2. q. 11. c. 3.

Quòd enim inclusus ignis vehementiùs ardeat, & vrat; & ratio, & experientia docet: nam videmus, nullum in fornacibus, spiramen apertum relinqui, vt conclusum incendium fortius lateres,& saxa concoquat. Accedit etiam circumstans frigus, quod à terra ambiente oritur,id enim procul dubio efficit,vt ignis vires vniantur, fortiùsq; agant, naturale enim est, per anthiparistasim,vnius contrarij aduentu,alterum colligere vim,vt vehementius resistat, fieriq; ad agendum potentius; Adde postremò materiam,in qua ignis uiuit, multùm conferre ad ardoris incrementum, vnde cum in susplure,& pice ignis inferni vigeat,summâ vi comburet. Vtramq; causam complexus Episcopus Abulensis,ita scripsit. [Ille ignis erit violentior, & fortior apud inferos etiam naturaliter,quàm alibi. Nam ignis fortificatur ex conditione rei ignitæ,nam quantò res ignita est solidior,& compactior, tantò est actio fortior, & intensior caliditas. Alia etiam intēsionis causa est, scilicet per anthiparistasim. qualis ibi erit; Nam erit illa concauitas inferni in corde terræ, & quia est ibi locus valde frigidus, cum terra sit nimis frigida, & ibi sit elongata ab omni calore, frigiditas totius terræ circumstantis faciet congregari virtutem ignis, & erit ignis efficacior in actione, & intensior in calore.]

Abul. p. 7. in Matt. q. 520.

CAP. XIII.

De materia ignis inferni. Esse potissimùm sulphur, tetramq; picem. Fluidam censeri, non duram omnino, ac densam.

Aug. 20. de C. Dei c. 16.



HAVD is sum, qui putem, id me assequi certò posse, quod Augustinus,abditissimorum sacræ scripturæ misteriorum perscrutator, omnibus mortalibus incertum esse, testatus est. [Ignis, ait, inferni cuiusmodi sit, scire arbitror neminem,nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit.] Sciunt vniuersi,

si, qui retinent nonnihil impressę sibi à conditore lucis, nec penitus catholicam fidem abiecerũt, immortale quoddam incendium ardere in pœnã malorum, horrendum, ac vehemens: atquod nam sit tanti incendij fomentum, quę ve eius materia, non adeò perspectum habent. Quantùm tamen licet assequi coniecturâ quadam, atquè ex diuinis litteris, ac probatis Doctoribus conijcere, dici non improbabiliter potest, Deum, çum in terrę penetralibus gehennę cauitatem fabricauit, ingentem ibi sulphuris, & picis massam pręparasse, atq; in ea omnipotenti suo flatu, inferni ignem accendisse. Non conuenit sanè, ignem in fossa inferni vigere in propria tantùm materia, pura, ac subtili, qualem obtinet in sua sphęra, eo enim torquendi sunt impuri spiritus, & ponderosa damnatorum corpora crucianda: habet igitur admixtum aliquid alienę materię fętentis, & spurcæ, in qua detentus ignis exetit omni conatu vires suas, atquè vehementissimè vrit. Nulla autem ad id munus aptior sulphure, ac pice, in quibus accensus ignis summè quidem ardet, at exuit quidquid parere voluptatem aliquam potest. Quòd enim hæc pinguis quædam materia, acerbissimè amburet, ac in ea veluti in visco inhærescent mali, quòd verò fusca sit, & nigrori similis, nihil ferè lucis emittet. Scriptura, cum inferni ignem memorat, sępissimè hanc illi materiam tribuit. Regius Psaltes de vindicta diuinæ iustitiæ. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur pars calicis eorum.* Isaias de Gehenna loquens. *Praparata est ab heri Tophet: à rege praparata profunda, & dilatata, nutrimenta eius ignis, & ligna multa: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Alibi contra impios inquit. *Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem. Nocte & die non extingetur, in sempiternum ascendet fumus eius &c.* Hæc à D. Hieronymo, & alijs metaphoricè accipiũtur: quid tamen obstat, quod ad sulphur, & picem attinet, quominus propriè iuxta verum verborũ sensum intelligantur? B. etiam Petrus insinuauit, huiusmodi tartarei ignis pabulum, cum sulphur, & ignem, quę scimus super infames

Psal. 10.
Esa. c. 30.
Es 34.

Dd illas

Petr. Epist. post. c. 2. v. 6. Gen. 19. v. 24. illas ciuitates compluisse, uocauit exempla quædam gehennalis incendij. *Ciuitates*, inquit, *Sodomorum, & Gomorræorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui* Sanctus Iud. in sua can. v. 7. *impiè acturi sunt, ponens*. Idem S. Iudas Apost. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitima ciuitates simili modo exfornicata, & abeuntes post carnem alteram facta sunt exemplum ignis æterni pænam sustinentes*, D. Ioannes in Apocal. apertè sulphurei Ioan. Apoc. 14. & 20. gehennæ ignis meminit. 14. cap. scribit, Bestiam cruciandã esse igne, & sulphure: alibi Diabolum missum esse *in stagnum ignis, & sulphuris, vbi et bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum*. Quoties demum ignẽ inferni nominat, toties addit sulphur. Patres, & quicunq; de Cyril. Alex. orat. de exitu animi. inferni igne dixere, sulphur non omiserunt. Cyril. Alex. ait in inferno esse turbidam picem, & fœtens sulphur. D. Io: Chrys. hom. 4. in Ep. ad Rom. Chrysost. Ignem Sodomorum, qui sulphuri admixtus fuit, effigiem gehennæ uocat. August. *Specimen Diuini iudicij*. D. Aug. de C. D. l. 16. c. 30. Ansel. in Elucidario. & Innocent. Sulphur inter inferni cruciamenta enumerant. Ambros. etiam Ansber. id tanquàm Innocent. III. l. 3. de cõtem. mundi c. 4. indubitatum habet. *Sulphur autem*, ait, *quid aliud, quam fomentum ignis est?* Haymo, authoritate Esaiæ confirmat in Ambros. gehenna fœtere sulphur. Archangelus de Rubeis, inter Ansb. ad c. 14. Apoc. alios scholasticos, ait id notum esse, & manifestum, quin statuit, non minus sulphur, quam ignem, eiusdem esse speciei Haymo. in c. 30. Es. cum hoc nostro, cum nihil cogat illud distinguere. Archã. Rub. 4. d. 50.

Hæc porrò materia, eo congruentior ad alendum inferni ignem censetur, quo non modò aptissimum est ardentissimi ignis pabulum, sed accensa fœtentissimum odorem exhalet. Potuit Deus solo igne, absq; sulphure, & pice, acerbissimis pœnis plectere malos, potuit solo fœtore, nullo igne adhibito, eos vehementissimè cruciare. Libuit tamen utrũq; copulare, ut adesset intolerabilis ardor, & putidus odor non Ansl. l. 6 in Apoc. c. 14. deesset. Præclarè Ambrosius Ansbertus. [Suffecerat, inquit, ad intolerabilem pœnam, si solus ignis exurens sempiternus fuisset, etiam si fœtor sulphuris, ignem non comitaretur. Rursumquè suffecerat ad pœnale supplicium, si solus fœtor sulphuris adesset, etiamsi ignis æternus defuisset. Sed dignũ

est,

est, vt illic ignis ardore, ac sulphuris crucientur fœtore, qui hic dum uiuerent, ad diuersa desideria, ex carnis arserunt fœtore. Ipsa namq; cruciamenta reproborum, actus significant eorundem hominũ peruersorum. Quid itaq; in sulphure, nisi carnalem concupiscentiam accipimus? Quæ dum peruersis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus, mentem replet, ęterna incendia præparat, & dum fœtoris sui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis sequentibus, quasi nutrimentum subministrat. Nam quia sulphur fœtorem carnalis concupiscentiæ designet, ipsa sacra eloquia testantur, quæ contra Sodomam ignem, & sulphur Dominum pluisse narrant. Qui cum carnis eius scelera punire decreuisset, in ipsa qualitate ultionis, notauit maculam criminis. Sulphur quippe (ut diximus) fœtorem habet, ignis ardorem. Qui ergo peruersa desideria, ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, ut simul igni, & sulphure perirent.]

Non omittam aliam coniecturam haud leuem, est autem ex eo deducta, quòd frequentissimè mali spiritus, autẽ conspectu hominum auolantes, quibus uisibiliter apparent, aut ab obsessis diuino imperio inuisibiliter abscedentes, fœtidissimum sulphuris odorem relinquunt; plena sunt exẽplis gesta sanctorum Patrum, quibus si opponatur, odorem illum malè olentem prouenire à materia, ex qua corpus conflant, quod assumunt, quæ dum in auras euanescit, fętorem exhalat. Quid, dicam ipse, cum nullo induti corpore, ab oppressis fugantur, & aerem sulphureo odore inficiunt? Certè opinari non absurdè licet, tunc speciali Dei permissu, ignem, quem dæmones secum ferunt, quoddam sui specimen dare in exemplum mortalibus, quanquàm alias, communi lege, extrinsecùs non prodat.

Aliquot exẽpla collegit Petr Tyr de dœmonia. c. 52.

Hinc uidere est, ignem gehennalem non habere eam puritatem, quam illi tribuit Lactantius Firmianus, nequè eam leuitatem, ac subtilitatem, quam Hebręi quidam. [Scito, aiunt, gehennam nihil aliud esse, quàm ignem quendam leuem, atquè subtilem, qui ob miram subtilitatem potest animas exurere.] Leuis causa, quamobrem subtilis sit, & leuis.

Lac. L. 7. de Diuin. pręm. Heb. in Lib. cui tit. Abkat Rochel.

An ſubtile corpus, afficere ſpiritus poteſt? An habent animæ ſubtilia corpora? Propriùs alij ad veritatem accedunt, quorum ſententiâ, gehennæ ignis fuſcus eſt, & ſubuiridis. [In quadam inferorum manſione (lego in libro cui titulus Ieſod Sirim) eſt ignis ſubuiridi colore nigricans, neq; enim ibi vlla lux, ſed caligo, & tenebræ.] Hunc colorem amat materia, in qua diximus foueri ignem tartareum.

Apud Barthol. Valuer. in aſſer. ignis purg. ex Heb.

Quoniam verò igniti ſulphuris, & accenſæ picis, ea videtur conditio, vt molliantur inſtar plumbi, reor fluidam eſſe, & facilè penetrabilem gehennalis incendij materiam, id maximè eius munere flagitante, cum enim corpora damnatorum iuncta animis mergenda ſint in ignem, & ſingulis membris, veluti indumentum quoddam, ardens moles aptanda, eſſe non poteſt ea materies, quaſi fortiſſimus murus, aut duriſſimum ferrum. Lactantius eam comparauit aquæ, cum ignem cruciantem appellauit, purum, & liquidum, & in aquæ modum fluidum. Diuinæ litteræ infernale incendium, deſcribunt torrentium ſimilitudine, piceorumquè fluminum.

Lact. ſup.

CAP. XIV.

An ignis inferni abſumat aliquid materiæ, in qua alitur? Refellitur opinio dicentium abſumere: at illud confeſtim reſarciri, aut cæli influxu, aut creatione noui pabuli.

DICET hic quiſpiam, huiuſmodi non eſſe ſulphur, in quo viuere perpetuò ignis poſſit, eadem enim facilitate qua accenditur, eâdem & conſumitur: quamobrem niſi dies, noctesq; illi noua fomenta ſuppeditentur, tandem, agente ſumma ui igne, in nihilum redigetur.

Varia doctores excogitarunt, vt enodarent, quonam pacto in eo pabulo, quod facilè comburitur, perſeuerare æter-

no

no tempore ignis possit. Refert Guido Brians. existimasse nonnullos, tartareum ignem aliquid materiæ, in qua viuit proprio ardore absumere, at nouum illi alimentum, influentis cæli beneficio, subministrari, ita vt tantum materiæ semper generetur, quantum absumitur edacitate ignis. [Alia opinio, inquit, quod ignis inferni est sub aliena materia, & in illo loco perpetratur per naturam. Dicunt enim, quod continuè depascit suam materiam, sed quoniam in loco illo est, cælestis influentia conuertens continuè aquam in terram, & partem aeris, & interdum partem illius ignis, ideo perpetuari potest, quod sicut ex vna parte materia sua consumitur, ita per influentiam prędictam proportionaliter regeneratur.] Guid. Brian. 4. Sen. q. 25. Conel. 3.

Opinati sunt alij, infernalis ignis fomẽta deficere paulatim, non secus ac, vi nostratis ignis, quodcunq; combustioni aptum deficit, resoluiturquè in cineres: at Deum, qui statuit in inferno perpetuò ignem vigere, statim creatione recentis materiæ, id restaurare, quod flamma vorarat. Id sibi persuasere, ni fallor, quod minimè intelligerent, vt ignis, qui se ipso cõficit quodlibet corpus, non depascat in gehenna, minuatq; suum pabulum. Ex Abulen. p. 7. in Matt. 9.

Improbabilem vtramq; sententiam existimo. Et quoad id quidẽ, quod vtriq; cõmune est, quòd scilicet aliquid exedat sui pabuli: fateor, si cogitemus gehennæ ignem illũ agere tantùm iuxta innatam sibi facultatem, neq; eius agendi vim à Deo moderari, non modo sulphur in quo ardet, sed quodvis corpus facilè consumpturum, est enim vorax naturâ suâ. At cum ignis in inferno conclusus, nihil ferè sui habeat pręter cruciandi potestatem, immò hanc quoq; à Deo corroboratam, vt inferre spiritibus dolorem possit: ea tantùm potest, quæ postulat diuinæ iustitiæ ordo, quare ardet, non lucet, ardendo cruciat, cruciando nõ extinguit. deniq;, quòd eo mali ęternùm cruciandi sint, æternùm vigebit vt creatus est, diuina potestate, sicut .n. iniecta in eum corpora concremabit, nec absumet, sic ardebit ipse, nec aliquid minuet de propria materia. Non est ergo opus restaurari continuo sulphur in inferno, quòd nihil ibi sulphuris actione ignis in auras resoluatur,

Alia ratio cur ignis inferni nō absumat aliquid suæ materiæ, qua vtitur Fran. Mayr. 4. d. 49. q. 3. Litt. L. dub. 4.

uatur. Argueret etiam philosophus, quòd si quid semper materiæ ignis deperiret, hęc, cum nihil agentis naturalis actione penitus consumatur, in aliud quid verteretur, nam generatio vnius, est alterius corruptio, & contra. Quid tunc de vaporibus indegenitis, vel quapiā simili re, fieri putandū esset? Concludi in ipsa inferni cauitate non poterunt, hæc enim habet certos fines, qui illis capiendis haud sufficient. Non euolabunt ad superiorem terram, per certas aperturas, tum quòd minimè id æquum sit, primùm enim diffunderentur per reliqua subterranea loca, quę infernum ambiunt, maximè Limbum puerorum, & Sinum Abrahę: tùm quod nullū extet apertum inferni os, nisi dicamus exhalare per Aetnę fauces, quod non euenire, priore libro statutum est.

Sin autem singillatim perpendamus rationem, quā volūt id fieri, intelligemus perfectò irrationabilem esse. Ex quo enim, eo cęli influxu (quandoqui haud est creatio) recens ignis inferni pabulum generatur? An ex terra, quę infima animarum ergastula circumstat? At quid illius superesset, si tanta longinquitate temporis, tantum eius molis verteretur in ignem, quantum absumere gehennę incendium potest? An ex aqua, aut aere, vel igne? At pręterquàm quòd eadem ratio militat: aqua non est idonea materies, vt ex ea fiat ignis pabulum: aer ob sui raritatem redigi eò non potest, vt ignem alat: ignis cur desinat esse ignis, vt ignem foueat?

Refellitur opinio dicētium creari in dies nouā ignis materiam.

Nulla etiā necessitas cogit, vt existimemus, singulis momentis Deum nouam materiam creare, illi respondentem, quam ignis voracitas consumpsit: Deo enim ęquè facile est, ignem inferni in eodem semper tenore, sine vlla diminutione, conseruare, atq; continua creatione, nouum illi pabulum suppeditare. D. Hieronymus ad illud Iob *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur.* [Hunc ignem, inquit, non absurdè intelligimus esse gehennam, qui non materijs quibusdam, & pabulis viuit, sed per se ipsum, vt creatus est vigens, cuncta ei, quę iniecta fuerint, concremat.] D. Gregorius in eandem sententiam. [Gehennę ignis, ait, cum sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec stu-

Hier. in c. 20. Iob. Id est eo modo, quo noster. Greg. l. 15. Mor. c. 17.

dio

dio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis,& successione nō indiget,& ardore non caret.]Igitur, si vt semel creatus est viget, & durat, si non indiget successione,in eodem semper statu perseuerat, nec quotidiana noui alimenti appositione viuit.

CAP. XV.

Ignem inferni nihil absumere suę materię, siue quòd in materia incombustibili ardeat, siue quód à Deo data sit infernali cauitati naturalis conditio propriæ ignis sphæræ, quam habet Lunæ concauum: aliorum opinio breuiter refutata.



Ensuerunt alij, vt par est, ignem gehennæ, nihil imminuere propriæ materiæ: at ijs mouentur rationibus, quæ mihi haud satisfaciūt. Quidam, recitatâ à nobis initio superioris capitis difficultate, non putant,tartareum ignem in ea esse materia, quæ extinctioni subiaceat, & absumi ardore posset, sed volunt huiusmodi esse eius ignis fomentum, quod resistere edacitati ignis possit.Quòd enim(aiunt) ignis deficiat,haud ab igne ipso oritur,alioqui & in propria sphæra deficeret, sed à defectu materiæ, nam videmus eundem ignem in alia breuiùs, in alia diutiùs perseuerare. Vt ergo ignis inferni in perpetuum duret inextinguibilis, talis conditionis esse debet eius materia, vt fouere perpetuò ignem valeat; huiusmodi esset aliquid ex Ansbesto lapide fabricatum, quem dicunt, semel accensum nunquàm extingui. Marcus Vigerius Cardinalis videtur amplexus hanc sententiam, cum scribit: [Ignis si sub cinere, vel alia materia clausus extinguitur,non suâ naturâ, sed imbecillitate materiæ, cui fuerit sociatus, id patitur. Huius rei argumentum est,quòd in aliqua materia diutiùs, in aliqua breuiùs durat:

Dicentes gehennæ ignē esse in materia incombustibili.

Marc. Viger. in Decachor. Christian. Chor. 1. tit. de operat. Dei.

cum

eum enim vtrobiq; sit par ignis substantia, non est cur illa vtrobiq; pari modo non duret, nisi quod materiæ non sunt pares. Quare si igni materiam dederis, quæ illum perpetuò ferre sufficiat, nunquàm extinctum, nunquàm ociosum inuenies. Hinc (inquit) ego existimo, ignem inferni extingui non posse, & cruciare perpetuò, quoniam materia in qua ardet, semper durat.] Quo modo autem semper duraret, iuxta hanc opinionem, nisi ferre perpetuò ignem posset?

Dicentes ignem inferni non absumere suam materiam quod centrũ habeat à Deo conditionem sphæræ ignis.

Alij, nullam ignis inferni materiæ rationem habentes, hoc argumẽto probãt, quęcumq; ea sit, non posse vi ignis exhauriri. Ignis (inquiunt) in Lunæ concauo, naturali eius sede, nec agit in materiam propriam, nec eam vllatenus imminuit, sed in eodem statu sine vlla mutatione durat, ob eam causam, quòd in naturali, sibiq; competenti loco degat, cuius munus est, proprium locatum fouere, ac seruare: est enim cuiquè elemento innatum, vt in propria sede quiescat, ab illa remotum, in summa sit perturbatione, ac motu, ob appetitum eius acquirendæ. Nam graue corpus in sublimi loco detentum, tendit ad infimum, leuissimus ignis, summo conatu versùs cælum erigitur, quoniam amant hæc proprium locum, in quo læta profruuntur quiete, nisi vi inde extrahantur. Habent ergo elementorum sedes certam conditionẽ, amicam, & salutarem corporibus, quę in eis naturaliter degunt, cuius beneficio sine vllo detrimento, & molestia, ibi commorantur. Hanc vim sphæræ ignis suum elementum conseruandi, putant à Deo, loco omnium infimo, & abiectissimo, videlicet centro terræ, concessam, ac propterea ignem inferni non secus ibi existere ac in proprio sibiquè naturali loco, nullis fomẽtis indigere, nihil demum proprię materię depascere. Retulit horum existimationem Abulensis Episcopus in hunc modum. [Inquiũt alij, quod siue esset ignis inferni in fomentis aliquibus, siue, absquè illis poterat Deus illum conseruare semper manentem contra ignis conditionem, qui apud nos cernitur, & hoc quidem non per miraculum continuum, sed dando illi loco conditionem naturalem sphærę ignis, ex eo, quod ea sphęra est lo-

Abul. p. 7. in Matt. 9.

eus naturalis ignis, ibi ignis sine fomentis perseuerare potest, quod secus est apud nos, cuius eam rationem assignant, quòd esse conseruatiuum ignis, sit res quępiam, quam alteri loco communicari, haud inconueniens existimant.].

Non inficior profectò, vt patefaciam dubitandi causam de priore opinione, quin Deus ignem inferni accendere in ea materia potuerit, quę, naturâ suâ, illi sine vlla extinctione, fouendo suffecisset: veruntamen, cum placuerit eius prouidentię, vt in sulphure potissimùm arderet, quemadmodùm probauimus, haud prouenit à materia, quòd non deficiat. Deficere ea potest, naturâ suâ, nihilominus idem omnipotēs Deus, qui lapidi illi, & quibusdam alijs rebus concessit, vt semel accensa, non extinguantur, efficere facillimè potuit, vt ardens in inferno sulphur nunquàm deficeret. Patebit ratio, quâ id effecerit, sequenti capite. Refellitur prior sententia.

Posterioris sententiæ inuentum non subsistit. Esse namquè conseruatiuum ignis, seu proprium eius locum, quid aliud est, quàm ignem, naturâ suâ leuissimum, stare supra cętera elementa, quæ uniuersitatē hanc componunt? Vbicunq; ergo collocetur ignis, etiā Diuina ui, haud erit in naturali sede, nisi super cętera elementa emineat, quamobrem propria conditione perspecta, eodem conatu ad sublimem locum tēdet, mouebitur, aget, deficietquè, nisi à Deo impediatur. Sed concedamus quandam ignis conseruandi facultatē, loco leuissimi elementi competentem, ab eo quouis modo distinctam, ut proprię passiones dicuntur à Philosophis congruere proprijs subiectis: inuoluet tamē implicantiā, hanc alteri loco communicari, quemadmodùm risibile, alteri ab homine, nequit conuenire. Vt ergo, rebus ita se habentibus, fieri non potest, vt ignis sphæra sit naturalis corporum grauium locus, quamuis Deus sua ui, eo in loco, conseruare perpetuò posset molares lapides: nequè centro terrę concedi potest, ut sit naturalis leuium locus, quanquàm leuissimum elementorum ibi esse, diuina uirtute, sine fine possit. Postremò, communicetur hęc sublimis loci conditio infimę mundi sentinę; Quo pacto cum ea stare perpetuò id poterit, Argumenta contra secundam opinionem.

quod naturaliter sublimi loco congruit? Nisi dicas, continuo Dei miraculo, conseruari, quod faciliùs de igne dici poterat, etsi nulla sphæræ ignis conditio, centro terræ, data esset.

CAP. XVI.

Ignem inferni non absumere materiam, in qua viuit, Deo illi opem denegante, quâ possit absumere.



EVS igitur ille ipse est, qui voracitatem ignis impedit, nec permittit deficere nutrimenta, quæ illum fouent. Cogita, vniuersa, quæ à Deo condita sunt, habere ea quidem proprias agendi vires, quibus verè vtuntur, dum ab ijs videmus effectus progigni: nec enim Conditor ipse ad illarum præsentiam cuncta efficit, vt opinati sunt nonnulli: Veruntamen hæc, quibuscunq; viribus polleant, in agendo ita pendere à Deo ipso, vt proprijs vti facultatibus non possint, nisi Dei ope concurrente, quæ licet omnibus horis, & momentis parata sit, & communi lege seruata, eam Deus non subtrahat, quoties tamen certo consilio subtrahitur, cessat agentis naturalis virtus, nec operari quicquam iuxta proprias vires potest. Docent id nos abundè diuina miracula. Vt igitur ignis aliquid absumat, siue sit materia in qua ardet, siue aliud corpus appositum sibi, necessum est, Deum suo concursu præstare opem, alioquî nihil poterit. Combusisset procul- Daniel. 3. dubio ardentissimum Babylonicæ fornacis incendium tenera infantulorum corpuscula, quemadmodùm combusit robustos homines, immani spectaculo adstantes. Nihilominus coniecti in illud infantes, nihil læsi, retinente Deo, & cohibente vim ignis: quod alias sæpissimè accidit, vt Sanctorum historiæ loquuntur.

Ex his intelliget quisq;, fieri non posse, vt ignis inferni suam materiam exhauriat, quæcumq; illa sit, nisi consueta

ope

ope Deus iuuet. Iuuare autem in hoc casu quis dicat? Incongruum forte videtur, nulla cogente necessitate, excogitare tantum miraculum, quale est perpetua ignis, in materia combustibili, sine vlla sui diminutione, conseruatio? At reor ego magis inuerisimile, Deum, continua materiæ creatione, voracitati ignis satisfacere, vt superioribus capitibus probatū. Deinde quanquàm alijs modis conseruare Deus ignem in æternum potuisset, seruare tamen hoc pacto ea ratio suadet, quòd facillimè ignis inferni æternitas percipiatur, & inextricabiles aliarum opinionum difficultates declinentur. Patres etiam ab hoc sensu non abhorruerunt. D. Hieronymus ad illud Iob. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* [Gehenna, inquit, perpetua quædam incorruptio, & æterna perseuerantia tormentorum est.] Eodem loco ait, ignem, per se ipsum vt creatus est, vigere. D. Gregorius vult, talem gehennę ignem perseuerare, qualis à Deo semel cōditus est. Idem, Beda. Quorsum hęc? Quia nimirùm ignis nihil sui imminuit, imminueret autem, ni Deus impediret, denegata illi ope, qua imminuisset. Ex Scholasticis Ioannes Maior, apertis verbis docuit causam, cur gehennę ignis non deficiat, nec noua materia indigeat, esse, quòd Deus minimè concurrat ad illius extinctionem. [In inferno (inquit) Deus non concurrit cum aliquo ad corrumpendum ignem inferni, ideo perpetuò manet, nec opus est, quòd noua materia ministretur, siue sit in materia intrinseca, siue extrinseca. Deus conseruat corpora perpetuò in cęlo, & in inferno, cur non etiam ignem inferni possit conseruare? Neque res quępiam corrumpitur, nisi Deus ad corruptionem concurrat.] Cum itaq; diuina omnipotentia perpetuò incorruptam seruet escam ignis, ignis perpetuò durabit, nec pabulum conficiet, Vt inquit Alcuinus Auitus,

Hier. in c. 20. Iob.

Greg. L. 15. Mor. c. 17.

Beda L. 2. in Iob. c. 3.

Ioan. Maior. 4 d. 44. q. 4.

L. 3. de sententia Dei.

Sed sic accipiet feruentis flamma camini
Ambustura suas, vt nunquam finiat escas.

CAP. XVII.

Ardere ignem in centro terræ perpetuò posse, etsi naturâ suâ supremum locum appetat, ac nihil violentum sit perpetuum.

HINC non modò constat, nullum esse dubitandi locum, quin ignis inferni sit ęternus, idest non habiturus finem, quanquàm habuerit initium, sed etiam facillimè euertitur argumentũ illud, quo eius ęterna in centro terrę perseuerantia, oppugnari in speciem posset. Nimirùm fieri haud posse, vt ignis, qui superiorem locum amat, durare in sempiternum posit, eius repugnante naturâ, in infimo omnium, cum *nihil violentum sit perpetuum*. Quęcunq; enim excogitata sunt in eius enodationem ab ijs, qui statuto à nobis decreto non adhęrent, plena sunt difficultatibus. An ibi esse ęterno tẽpore ignis potest, quòd materia, quã absumit, creatione, aut cęli influxu restauretur? An quia in eo corpore ardeat, quod ferre ignem sine extinctione potest? An quòd centrum, eam habeat, seruandi ignis, qualitatem, quę loco proprio eius elementi conuenit? At hęc iam apertè refutata. An quòd ibi degat in materia ei non absimili, quę illum fouet in sua sphęra? At iam probatum, picem, ac sulphur nutrire subterraneum incendium. Deinde recitatum argumentum vires sumeret: quî enim leuisimus ignis sub terra perseuerat, nullo materię pondere grauatus, cuius natura sursũ perpetuò contendit? An quòd extincta hac vniuersitatis forma, & cælorum motu cessante, nulla in his inferioribus futura sit contrariorum pugna, nulla generationis, ac corruptionis vicisitudo? At quid stante seculo, ac mouentibus, cęlestes orbes, intelligentijs?

Durare igitur in profundisimo illo specu sine ulla mutatione, aut diminutione ęternùm ignis poterit, quòd Deus

cum

eum seruet, ac minimè permittat extingui. Stat ibi ignis Dei omnipotentis iussu, & mandato, cui paret creatura ad nutũ, siue illa imperet, quæ naturali eius facultati congruunt, siue quæ superant proprias vires, ac repugnant etiam propensioni, quam sequitur peculiaris cuiusq; natura. Quid quæris rationẽ, ut perseuerare ignis in omnes æternitates pòssit extra proprium locum, nullo, illi, recenti alimento suppeditato? Deus imperat, ut ibi sit, Deus seruat inextinguibile, quod extingui potest, ac naturâ suâ extingueretur. Quid inculcas, ibi uiolenter concludi, propriâ naturâ contradicente? Nihil creaturæ uiolentum, cum Creatori deseruit: nihil contra eius naturam illi accidit, cum obsequitur authori naturæ. Id iam diu statutum à Theologis. [Cum Deus, ait doctor Angelicus, sit actus purus, omnia uero alia habeant aliquid de potentia admixtum: oportet, quòd Deus comparetur ad omnia sicut mouens ad motum, & actiuum ad id, quod est in potentia. Quod autem est in potentia secundum ordinem naturalem respectu alicuius agentis, si aliquid imprimatur in ipsum ab illo, non est contra naturam simpliciter, etsi sit aliquando contrarium particulari formæ &c.] Hac etiam de causa statuit Auerroes, nihil uiolenter conuenire rei per causam superiorem: nam & sphæra ignis, inquit, haud mouetur circulariter ex principijs propriæ naturæ intrinsecis, quoniam naturâ suâ mouetur sursum: nihilominus circularis ille motus, non est igni uiolentus, quòd per causam superiorem, cęlum uidelicet, aut motricem intelligentiam, illi conueniat. Itaq; non repugnat naturæ ignis, ut in imo terræ loco conclusus, nunquàm extinguatur, iuuante Creatore suo, ut æternùm uiuat, seu non iuuante, ut pereat.

D.Thom. 3. con. Gent. c. 10.

Auer. in 3. de Cæl. & Mun. Com. 20.

CAP.

CAP. XVIII.

Confirmatur exemplis naturæ, & artis, ardentium terræ montium, lapidum quorundam, atque inextinguibilium lucernarum, esse in gehenna ignem sine extinctione posse.



QVIS autem inficietur, facillimum esse creditu, etiamsi aliquantulum à Fide diuinitùs reuelata mentem abducas, diuinum illum ignem ardere ad malorum supplicium in omnes æternitates posse, sine suspicione interitus, aut ulla mutatione, uel diminutione sui? Iam inde à mundi primordijs ardentes, certis in locis terræ, montes, ignes emiserunt, atq; usquè ad eius interitum emittent, nec defecerunt tamen. Ignis gehennæ haud poterit sine extinctione semper ardere? Si montes uruntur, & durant, cur nō urat, & duret ignis ad torquendos nocentes, ac Dei hostes? Id Tertulliani argumentum. Augustinus. [Quidam (inquit) notissimi Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis, atquè uetustate, usquè nunc, & deinceps flammis æstuant, atq; integri perseuerant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi.] S. Orientius eleganter.

Tertull. in Apol c.48. Aug.21 de C.Dei c.4.

Orientius in suo Commonitorio. Viuebat circa annum 499.

Ignibus æternis immensos respice colles
Iugiter amburi, non tamen imminui,
Et gelidos fontes, & cærulea flumina cerne,
Fundere semper aquas, semper habere tamen.
Sic miseros vindex semper populabitur ignis,
Vt semper seruet pabula læta sibi.

Satis notum est, quod de Asbesto lapide fertur. Nunquā extingui, vbi semel accēdatur, quod Solinus tradit. [Nec lapidem, ait, spreuerimus, quem Archadia mittit: Asbesto nomen est, ferri colore, qui accensus semel, extingui nequit]. Similia Augustinus, & Isidorus. Ex lapide Amiantho, partibus

Solin. c.13.

Aug.21. de C.D. c.5. Isid. l.16. Orig. c.4.

tibus terreis excussis, veluti capillamenta quædam fluunt, ex quibus linum conficitur, quod fouendo igni, atq; emittendæ luci perpetuò sufficiat, ex hoc lino, teste Damaso in Syluestro Papa, Constantini iussu, confectum elychinum, vt in lampadibus prope suum Baptisterium sine extinctione splenderet.

Quid, quod humanâ industriâ accensi aliquando lychni, durāt in multa secula, ac iniurijs temporum resistunt. De lucerna, quæ hac de causa inextinguibilis appellata est, Plinius. Augustinus etiam scripsit, propè Veneris phanum, lucernam sub dio sic arsisse, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, vnde sicut ille lapis, ita ista λυχνος ασβεστος idest *lucerna inextinguibilis* appellata est. Solinus tradit in æde Mineruæ perpetuos ignes seruatos, qui nūquàm canescebant in fauillas. Digna memoriâ est lucernula à Maximo Olibio fabricata Patauij, arte miranda, perpetuū enim ignis lumē seruabat, atquè mille, & quingētos annos luxit, & luceret adhuc, ni uis artis, admisso intus recenti aere, euanuisset. Bernardinum Scardeoniū testē profero, cuius sunt hæc ipsa verba, de Olibio. [Constat fuisse virum maximæ præstantiæ, & summo ingenio præditum, quandoquidem tam admirabili arte lucernam concinnauerit, vt perpetuo fulgore lucens, mille, & quingentos annos plus minus, Plutoni dicata, sub terram accensa permāserit. Nam annum circiter millesimum quingentesimum nostræ salutis Athesten municipium Patauinum, dum foderetur à rusticis terra solito altiùs, reperta est vrna fictilis, & in ea altera vrnula, in qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas, quarum altera aurea, altera argentea, purissimo quodam liquore plenas, cuius virtute lucerna illa per tot annos arsisse creditur, & nisi retecta fuisset perpetuò arsura.] Eandem historiam recenset Hermannus Lignaridus, indignum nomen (vt hoc obiter moneam) quod prodeat in lucem, ob pestilentissimum hominis ingenium: dum enim perlegerem Opusculum ilud *Oblectamenta accademica* appellatum, adhuc, quod scirem, non damnatum, in ea incidi, quæ satis sine vllo decreto, illud tanquam

Plin. l. 2. c. 96.
Aug. 21. de C.D. c. 6.
Solin. c. 15.
Bēr Scar. de antiq. Pat. L. 1 class 3.
Herman. Lignar. oblec. Accad. c. 11

quam

quam aridum, & inutilem truncum, damnant igni cum authore suo. Horreo referre, quæ euomit, infecto stomacho, in Christi Vicarium, in salutarem de Purgatorio doctrinam, in sacros doctores, & Scholasticos, in omnes Dei seruos.

Lud.Vl. ad c. 6. lib. 21. de C.D. August.

De lychno, memorato non absimili, hæc Scholiastes D. August. de Ciuitate Dei. [Erutum est sepulchrum memoriâ patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, vt ex inscriptione apparebat, supra millesimum, & quingentesimum annum, eaq; tota extemplo, vt contrectari cœpta est, inter admotas manus friata, in tenuissimum abijt puluerem.] Gulielmus Monachus Malmesburiensis, de Gestis Regum Anglorum, simile quid narrat in hæc fermè verba. Corpus Pallantis Romæ repertum est per multa secula incorruptū, ad caput cadaueris ardens lucerna inuēta, arte meschanica vt nullius flatus violentia, nullius liquoris aspergine valeret extingui, quæ adhuc forte arderet, ni vnus, cui solertius in malo ingenium fuit, stylo subtus flammâ foramen fecisset, ac ita introducto aere, ignis euanuisset. Deniq; Guido Pancirolus affirmat, ætate sua sedente Paulo III. repertum fuisse sepulchrum Tulliæ filiæ Ciceronis, in quo lucerna erat etiam tum ardens, quæ admisso aere extincta est. Arserat autem annos circiter mille quingentos.

Guliel Malmes. l. 2.

Guid. Pancirrer. deper. de Oleo incobust.

Quis ergo miretur, quandoquidem tanta uis inest nonnullis rebus à Deo creatis, vt retinere ignem perpetuò possint, atq; humano ingenio, earundem rerum naturalium vsu, tanto artificio, concludi potest splendens flamma, intra certum fictilis vrnulæ genus, vt vel indeficientem habeat luminis materiam, vel eam ipsa sibi subministret, ac nunquàm non emittat lucem, semperq; ardeat; Quis inquam miretur, cum audiat, intra gehennalem cauernam, perpetuum ardere ignem, cuius materia nunquàm depereat, cuius cruciandi uis eadem semper duret ad imperium diuinæ iustitiæ, vt semper in ardentissimis cruciatibus Dei hostes futuri sunt?

CAP.

CAP. XIX.

An sulphur accensum in gehenna verè fœteat. Id ab aliquibus in dubium reuocari. Communi doctorum sententiâ, exhalare putidum odorem.


NEMINI est dubitandi locus, quin accensum sulphur, naturâ suâ, fœteat: sunt tamen, qui persuadeant sibi, in gehenna non fœtere. Cũ enim, vti definitum, eadem perseueret ignis inferni materia, nec quicquam ibi existat generationi, aut corruptioni obnoxium, nullus odor (inquiunt) exhalare à sulphure poterit. Nam odor est tenuis quidam vapor emissus à materia, nihil autem emittitur, sine quadam diminutione emittentis. In hanc sententiam iuit Alphonsus Tonstatus, cum scribit. [Dicendum videtur, quòd non erit ibi (in inferno) fœtor, quia fœtor dicit odoris speciem, vel modum, & odor licet perueniat ad sensum immaterialiter, idest secundum intentionem, non per fumalem euaporationem, tamen semper fit fumalis euaporatio de re odorifera, vel fœtente, & ille est odor materialiter, & ille postea multiplicatur, & peruenit ad distantiam, ad quam non potest peruenire exhalatio, vel euaporatio illa fumalis, & tamen apud inferos, non potest esse fumalis euaporatio, eo quod illa est quædam corruptio rei continua, & generatio alterius, sed post iudicium non erit generatio, & corruptio, ergo neq; euaporatio fumalis, sed sine illa non est odor, ergo non poterit esse odor, neq; fœtor post diem iudicij.] Quamobrem metaphoricè accipit ea, quæ in Diuina scriptura significare videntur, ingratum quendam odorem, ac insuauem inficere vniuersam inferni cauitatem.

Abul. p. 7. in Matt. c. 24. q. 560.

Persuasissimum mihi est, ijs omnibus molestijs verè, & propriè malos in gehenna afficiendos esse, de quibus diuinæ litteræ, aut sacri scriptores mentionem faciunt, modò eui-

dens ratio non cogat adhibere metaphoram. Igitur re ipsa putido spiritu infernalis carcer repletus, quem non ambigo etiã à sulphure oriri. Ex cælestibus oraculis id conijcio, cũ in-

I. 3. ter Iudæorum calamitates, hanc enumerant. *Erit pro suaui*

2. Machab. 9. *odore fœtor*. Cùm Antiochi superbiam Deus intolerabili fœtore puniuit, non Antiocho tantùm, sed vniuerso exercitui molestissimo. Præsentis enim sæculi pœnæ, eorum tormentorum sæpè sunt exemplaria, quibus in futuro afficiendi sunt Dei hostes. Beati Petrus, & Iudas, ignem, & sulphur, quibus execrandæ Ciuitates extinctæ, tanquàm exemplum futuri iu

Gregor. 4. dial. c. 36. dicij proposuerunt. Magnus Gregorius hoc ipso supplicij genere in execrandum scelus, confirmat tartarei fœtoris pœnam. [Putamus ne, inquit, authoritate sacri eloquij posse mõstrari, vt culpæ carnalium fœtoris pœna puniantur? Potest: nam libro Geneseos attestante didicimus, quia super Sodomitas Dominus ignem, & sulphur pluit, vt eos & ignis incenderet, & fœtor sulphuris necaret. Quia enim amore illicito corruptibilis carnis exarserant, simul incendio, & fœtore perierunt, quatenus in pœna sua agnoscerent, quia æternæ morti, fœtoris sui se delectatione tradidissent.] Apertiùs in Scriptura sulphureus inferni fœtor obijcitur, cum illic ardere sul-

Apoc. 20. phur, non obscurè significatur. Est gehenna *stagnum ignis, & sulphuris*. Quid iure suadet, eam propter sulphur, non repleri intolerabili fœtore, vt propter ignẽ, maximo ardore repletur? An extenuabitur, deficietq; paulatim materia, exhalãte fœtore? Deficit & ignis pabulum, ardente igne. Aut ergo sulphur ardens perseuerare in gehenna non poterit, quin deficiat, aut sine vllo sui detrimento poterit fœtere. Quæ odorem spirant, naturaliter attenuantur nonnihil, spiritu illo prodeunte: at naturale pariter est, accensum sulphur fœtorem emittere; quamobrem, siue sulphur fœteat, siue non fœteat, peculiari quodam modo, opus est ad vtrumq; Dei digito, vt nimirùm, vel ardeat sine fœtore, vel fœteat sine materiæ diminutione. Rationabilius autem putandum, placuisse Deo, vt sulphur sine sui iactura sulphureum odorẽ exhalaret, quàm vt eum in se ipso retineret: id enim cedit in ma-

ius damnatorum malum, videturq; conforme agendi modo diuinæ iustitiæ, in eo carcere miseriarum: vbi, cum instrumenta cruciandi multa agant, omnipotentis vi, quæ naturalẽ eorum facultatem excedunt, non est ambigendum, quin id quoq; in sulphure accidat. Itaq; in eo temporis puncto, quo Deus ignitum illud sulphur in tartarea cloaca condidit, atq; incendit, exhalauit illud quidem tetrum, ac fœtentem spiritum, veruntamen, non permisit Diuina vis, vt noxius ille vapor euanesceret, deficeretq; paulatim, eâdem materiâ iterũ emittente odorẽ, cum sui diminutione, sed in eodem prorsus statu eum seruauit, ac seruat, quo primùm fuit emissus, ita vt perpetuò fœtens spiritus permaneat, nec tamen materia depereat, quæ illum exhalat, quemadmodum & ignis, etsi perpetuò ardeat, eadem tamen materia perseuerat.

Cæterùm, quãuis difficilè quis modum assequeretur, quo id eueniat, haud tamen iustè inficiaretur euenire, sacris doctoribus id tanquàm certum docentibus. Gregorius. [Iustum valdè est, inquit, ut illic nebula fœtoris assideat, quos hîc adhuc fœtor carnis delectat.] Ansbert. [Sulphur autem (ait) quid aliud, quàm fomentum ignis est? Quod tamẽ sic ignem nutrit, vt fœtorem grauissimum exhalet. Et fœtorem igitur habet, & ardorem nimium obtinet, ac per hoc, & ex igne fœtor, & ex fœtore ignis succrescit.] Bernard. inter pœnas damnatorum hanc quoq; fœtoris enumerat, in hæc verba. [Vnde impij tanto animi furore tabescent, nisi in regnum summæ beatitudinis vidissent alios (Beatos scilicet) introduci, & tunc demum in illos se se fœtores, in illos horrores, in illos incendij æterni cruciatus gemerent esse damnatos?] Anselmus in inferno posuit putidum odorem. Innocent. Hugo à Sancto Vict. Iustinianus, & alij quamplurimi dixere damnatos afficiendos esse sulphureo fœtore. Arsenius ille, qui post splendidum, ac opiparum vitæ genus, eremitarum Scitiæ instituta amplexus est, manus in fœtentem aquam immergebat, quoties eâ opus esset, vt huiusmodi afflictatione sensuum Dei causa, inferni fœtores declinaret. [Oportet, aiebat, nunc me, dum in hoc corpore sum, sustinere istiusmodi

Greg. 4. dial. c. 36.
Ad c. 14. Apoc. l. 6.
Ber. ser. 6.
Ansel. in Elucid.
Innocent. l. 3. de c. m. ca. 4.
Hugo l. 4. de anima c. 13.
Iustinian. de vita Sol. cap. 10.
Arsen. apud Rosueyd. l. 3. Vit. Pat. nu. 39.

fœtorem, pro suauissimo illo odore, vt in die iudicij de illo gehennæ inenarrabili fœtore liberet me Dominus.]

CAP. XX.

Quod ignis inferni, sine sui iactura, fumum, ac flammam emittat.


ADEM prorsus ratio, quã nonnulli authumarunt, ardens gehennæ sulphur nihil fœtoris spirare, persuasit alijs, ab eo incendio, nihil fumi, aut flammæ emitti. Exit, inquiunt, fumus ab accenso corpore, cum materia resoluitur, consumiturq; paulatim; Flamma pariter suscitatur, cum flatu quodã excitatur ignis, eiusq; alimenti tenues quædam exhalationes accenduntur. Quamobrem cum certum sit, hæc non euenire sine eius materiæ diminutione, quę fumum, aut flammam emittit, vt nihil in gehenna deperit, aut imminuitur eorum, quæ ibi existunt (omnia enim sunt perpetua, ac in eodem statu durant) erit quidem ibi ardentissima ignis massa, nullus tamen inde fumus, nulla flama procedet. Ribera in Apocalypsim, hac de causa sensit, ignem inferni non fumare, illudq; D. Ioannis Apoc. 14. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum*, de æternitate pœnarum accepit, quod sempiternus fumus, sit ignis æterni argumentum. Fauere huic videtur Lactantij Firmiani authoritas cum scribit. [Ille Diuinus ignis per se ipsum semper viuit, ac viget sine vllis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus.]

Rib. in c. 14. Apoc.

Lact. l. 7. de Diuino præmio.

Admittit ea D. Io. sententia Riberę interpretationẽ, quę iam placuerat Ansberto, & alijs: haud tamen conuincit argumentũ, quin affirmare possimus iuxta germanũ verbi sensũ, fumum propriè ex igne inferni ascẽdere, ac tartareã cauitatẽ replere. Cur enim id negetur? Quia, inquis, deniq. ignis materia absumeretur. At cur ignem sempiternum esse, non infi-

Ambros. Ansbert. in c. 14. Apoc.

ciatis, qui, naturâ, edax est, sibiquè relictus, breuissimo temporis spacio, rediget vniuersum sui pabulum in tenues auras? Quia, inquis, æternum futurum esse Diuinæ Scripturæ prędicant, Deiq; manus eum perpetuò seruat, ne absumatur, ac eius voracitatem impedit, quamuis non tollat ardorem. Fatere ergo similiter, non repugnare, turbidissimum fumum ex igne inferni consurgere, tum quòd eadem Diuina, vis, efficere possit, vt stet fumus sine minima amissione materiæ, quæ efficit, vt duret perpetuò ignis, absq; alimenti diminutione, tum etiam, quia sacrę paginæ eius sæpè meminerint. In Apocalypsi *Angelus aperuit puteum abyssi, & ascendit* Apoc. 9.
fumus putei. sicut fumus fornacis magnæ. Atq;. *Fumus eius in* Apoc 19.
sæcula sæculorum; Quibus similia, iam scripserant Dauid, & Psal. 17.
Esaias. Andreas Cæsariensis, vbi D. Ioannes inferni fumum Es 34. Andr. Cęs in
recenset, inquit. [Aut per fumum hunc intelligere oportet Apoc. c. 42.
inflammatum halitum, quem in tormentis constituti ex imo pectore continuò, non absq; suspirijs emittunt: aut illum certè, quem ignis, qui illos punit, & incendit, qui in illum inciderunt, sursum emittit.] D. Bonauentura Theologus, ac phi- Bon. Dietæ
losophus insignis sentit in inferno esse fumum continuum, Salut. tac. 10 c 1.
dicente Esaia *isti fumus erunt in furore meo*. Ioannes Maior Es 65.
idem testatur. Alij Scholastici non repugnant. Maior. 4. d. 44.

Non absimili ratione putandum est, aliquid subobscuræ q 4.
flammæ à gehennali igne emitti, quæ tegat ardentem massam veluti nebula quędam, idq; sine vlla vaporum resolutione, aut extenuatione materiæ. Qui enim ignem seruat, ne absumatur, in eodem semper tenore seruabit flammam sine vlla ignis diminutione. Condidit ab initio mundi Deus, ignitam illam sulphuris fœcem, ardentemq; picem, in eo statu in quo, voluntatis suæ decreto, statuerat eam perpetuò conseruare Opus ergo non fuit, vt flamma esset, resolui materiam, quandoquidem non opus fuit ante produci materiam, quàm esset flamma, sed & materiam, & ignem, & flammam simul Deus creauit, simulq; sine vlla prorsus mutatione conseruat. De hac flamma apertam mentionem facit Scriptura, cū tradit, Diuitem illum in ea fuisse cruciatum. Patres ardentem, ac vltricem inferni flammam sæpissimè memorant.

CAP.

CAP. XXI.

De tenebris inferni. An ignis aliquid ibi lucis emittat. Authoritates, & argumenta, quæ probant in gehenna adesse tenebras, sine vlla prorsus luce. Basilij, & Theodoreti sententiæ, diuino imperio, omnem lucem ademptam esse infernali igni.



VOD porrò fuscus sit hic fumus, ac turbida flamma, non possumus non existimare tenebricosum esse, & obscurum infernale chaos: tenebricosum inquam, ijs tenebris, quarum speciem prætulit horribilis illa Aegypti caligo, (Exodi. 10.) quæq; sunt absentia corporeæ lucis receptæ in aeris elemento, cuius beneficio oculi fungi suo munere possunt; nam de tenebris, quæ cælestis gratiæ, atq; gloriæ lucem non admittunt, haud hîc dicendi locus. Atq; adeò densas esse, & crassas profundi damnatorum antri tenebras, vt nihil omnino lucis habeant admixtum, & sacræ paginæ, & Sanctorum Patrum nonnulla testimonia, & rationes non infirmæ, probare videntur. D. Iob inter cæteras infernalis regionis conditiones, hanc quoq; tenebrarum enumerat: (Iob 10.) [*Dimitte ergo me* (inquit) *vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo inhabitat.*] Quod licet ab aliquibus de sepulchro, statuq; mortuorum intelligatur, communiùs tamen de inferis, eorumq; supplicijs accipitur, iuxta Hieronymi, Augustini, & Bedæ interpretationem. (Lyran & Eugub. ibi.) D. Hieron. id tanquàm indubitatum habet. (Hieron. Aug. Beda in cit. Iob. Locum.) [Quod terram (inquit) inferorum describerit, nulli dubium est, nullus ordo ibi est vitæ, tenebrosa est, vt dixi proculdubio, velut carcer in quem peccatores, & impij, qui lucem odio habuerunt, vt tenebrarum filij contrudentur.] Immò colligo ex sententia Iob, propriè gehennam

esse

esse tenebrarum matrem, appellauit enim eam *terram tenebrarum*, quasi tenebræ in eo infelici regno, veluti in propria sede sint, nascanturq; ibi, ac proginantur. Insinuabat Christus perpetuam hanc inferni noctem, cum aiebat, sontes mittendos esse in tenebras exteriores. Duplex erat apud Iudæos carceris genus, vtrumq; intra terram cauatum, vtrumq; sordibus, ac tenebris molestissimum: alterum intra domesticos parietes, alterum in vestibulo domus, seu prope ianuam. In vtrumq; missus Ieremias. Cum exteriores tenebras Christus apellauit, respexit aliquando ad illud ergastulum, quod extra domum erat, ac putabatur horribilius. At, hac similitudine, miseriam infernalis carceris describebat, quod sit omni luce destitutus. Quin nonnunquam nomine exteriorum tenebrarum, nonnisi regio gehennalis exprimitur. Christus apud Matthæum. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno calorum: filij autem regni ejcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Quando nam hæc erunt? Nimirum post finale Iudicium; Ergo *tenebræ exteriores* propriè eum locum significant, quo tunc ingrati conijciendi sunt, infernum videlicet. Hunc repletum esse caligine tradit & Beatus Petrus, cum scribit, Pseudoprophetis caliginem tenebrarum reseruari. B. Iudas inquit, sequacibus Caini seruatam esse procellam tenebrarum in æternum. Aut igitur non est vndequaq; tenebrosa inferni terra, aut nulla ibi lux existit, sed vt D. Chrysost. aiebat. [Quemadmodum ignis illic non habet vim resoluendi, sic nec lucere potest, alioquin non essent tenebræ.] Ita videntur existimasse Patres, cum docuerunt inferorum plagam infelicem esse carentiâ lucis, & miserrimam palpabilibus, densissimisq; tenebris. Lactantius Firmianus de Diuino præmio, Prophetarum, & Zenonis, Stoicorumq; sententiâ, asserit impios *luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis*; Magnus Basilius de damnatis coram iudice astantibus in iudicio vniuersali, inquit. [Subin conspicient barathrum in imum patens; tenebras impermeabiles quidem illas, ignemq; obscurum, causticas

Matt. 8. & 29.
Ierem. 37. & 38.
Matt. 8.
2. Petr. 2. v. 17.
B. Iudæ v. 13.
D. Chrys. Paræn. priore ad Theod. Lap.
Lact. Firm. l. 7.
Basil. in Psal 33.

cas quidem vires habentem, luce verò destitutum.] Idem fermè alibi. [Mente agita barathrum illud profundum, & tenebras, quæ perspici nequeunt, & ignem, qui in tenebris non lucet, vrendi quidem facultate præditus est, at luce caret.] D. vero Chrysost. ait ignem inferorum, hac item de causâ esse nostro sçuiorem, quòd ille nequaquàm luceat. [Non habet(inquit)lumen, aut vllam luminis claritatem.] Cyrillus Alexandrinus aiebat, se metuere tenebras, quæ nihil haberent lucis. Auctor etiam septuaginta sex sermonum, qui immeritò tribuuntur D. Augustino, & leguntur ad finē decimi eiusdem tomi, nullum in igne inferni lumen agnouit. [Ipsa deniq; flamma (inquit) concremationem habet, sed lumen nullum habet.] Quæ verba, vti alia multa à D. Gregorio Magno accepit, cuius hæc eadem fuit sententia. [Natura verò ignis, ait in Moralibus, est vt ex se ipso, & lucem exhibeat, & concremationem. Sed transactorum vltrix illa flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet.] Et alibi. Flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. Innocentius item III. Pontifex æquè pius, & doctus, hæc scripta reliquit in lib. de contemptu mundi. Ignis autem gehennæ semper ardebit, & nunquàm lucebit, semper afficiet, & nunquam deficiet. Est enim apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, infinita miseriarum æternitas. Quotquot demum ex Patribus de cruciamentis inferorum sunt locuti, tenebras non omiserunt, quæ profectò luci haud associantur.

Orat. 23. de fut. iud.

Chrysost. hō. 1. in c. 1. Ep. ad Heb.

Cyril. Alex. orat. de exitu animi.

Gregor 9. Mor. c. 38.

Ibid. c. 39.

Innocent. 3. lib. de contem. mundi. cap. 6.

Atq; id ipsum, si argumentis agendum sit, eius regionis situs, & conditio efflagitat; Quæ enim terræ plaga à luce solis, vel syderum remotior inferno? In terræ centro est, quo nihil profundius, terrâ vndiquè circumseptus, veluti fortissimo muro, nullum ibi spiraculum, nullus aditus luci patens. Habet quidē ardentē ignē, fœculētus tamen est, & turbidus, ibiq; existit ad amburendum, non ad lucem emittendā, oritur enim à luce nescio quid voluptatis, quâ impios frui, non est existimandum. Miserrimus etiam damnatorum status omnibus angustijs plenus, arguit in inferno palpabiles tenebras

A luce volupt.

bras

bras: cum enim vnicuiq; humani corporis ſenſui, certus cruciatus in gehenna reſpondere debeat, concupiſcentia oculorum, ſuâ pœnâ non carebit. Nulla autem moleſtior oculis calamitas, cęcitate, caligine, tenebris. Quid enim iucundi accidere poteſt homini in perpetuis tenebris degenti? Venerandus Tobias, nihil omnino ſolatij ſupereſſe ſibi cenſuit, cum orbatus viſu, cæli lumen nequibat intueri. Tobiæ.5.

Quod verò videatur ſuperare fidem, ardere ignem inferni, neque vel tantulùm lucere, aiunt D. Baſilius, & Theodoretus, diuino imperio, ab igne diuiſam eſſe lucem. Baſilius ad illud Pſal. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, tradit diſertis verbis, non modò flammam interciſam eſſe, cùm diuina vi adſtantes fornaci Babylonicę combuſſit, tres verò puerulos incluſos in camino ignis mirabiliter recreauit, veluti aura ſuauiſſima: verùm etiam cum, diuino iuſſu, factum eſt, vt illuminandi vis in igne inferni, ſepararetur à facultate amburendi, luxque beatis ſuccederet in gaudium, ignis obſcurus, reprobis maneret in ſupplicium. [Longè (inquit) eſt admirabilius ignis naturam intercidi, quam mare rubrum in partes diuidi. Attamen domini vox, ignis continenter ſibi cohęreſcentem, atque vnitam naturam intercidit. Quanquàm igitur indiuiſibilis, & inſecabilis humanis ſenſibus videatur ignis, veruntamen ad pręceptum Domini interciditur, ac diuiditur. Exiſtimo autem, quod ignis ad ſupplicium Diabolo, & angelis eius paratus domini voce interciditur. Quoniā duo ſunt in igne potisſima, vſtiua vis, & illuſtratoria. Vis prior ignis acerrima quidem ad pœnas irrogandas, repoſita eſt his, qui vſtione ſunt digni. Altera, nēpe ſplendidiflui ſui luminis diffuſua, velut ſortitò ſuccedet ijs, qui claritate perfruituri ſunt gaudij perennis. Vox itaque domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obſcurus quidem ſit ignis ſupplicij, vi vero comburendi careat lux illa refocillationis.] Auctor etiam earum quæſtionum, quæ Tom. 4. operum D. Athanaſ. leguntur, ad eadem Dauidis verba. [Significat hoc (inquit) futurum ignis ſupplicium, qui tandem iuſſu Chriſti dirimetur. Ignis namque duplicem vim habet, ad Baſil. in Pſ. 28. Quæſt. 112. Pſal. 28.

Gg lucen-

lucendum videlicet, quod dabitur iustis, & ad cremandum, quod peccatoribus dabitur.]

Theodoret. Psal. 28. Theodoretus verò in eundem Psal., opponit inferni flammas, ignitis linguis, quę super capita Apostolorum sederunt, quòd ignitæ Spiritus Sancti linguę, egregiè splēderent, neque tamen amburerent: at inferni flammæ vrant, verùm minimè splendeant, Deo illis lumen adimēte.] Cum Sacrorum Apostolorū chorus (inquit) ignitam Spiritus Sācti gratiam accepisset, illustrabatur quidem sed non cōburebatur: in futura autem vita, gemina ignis vis bifariam diuisa, hæc quidem virtutis athletas illustrat, hęc verò peccati studiosos comburit, pręterea & ignis nominatur, & obscuritas uocatur impiorum pœna, eò quòd illa uis ignis, quæ illustrat, ibi non existat.] Et in Psal. 96. ad illa uerba *Illuxerant fulgura eius orbi terræ*. Ait. [Geminæ sunt vires ignis, videlicet comburendi, & illuminandi. Verùm hanc illustrandi vim Sanctorum chorus consequitur. Per alteram verò iniqui homines supplicijs afficiuntur.]

CAP. XXII.

Nonnihil molesti luminis, ad cumulum miseriarum, in tartareo carcere splendescere.



E CONTRARIO alij, non leuia rationū momenta, & validissima testimonia proferunt, quæ, terram inferorum, lucis omnino expertem non esse, suadeant. Distet enim quantumlibet ea regio à luce, & splendore solis, quòd tamen ibi ignis existat, quem lux aliqua cōsequitur, veluti vmbra corpus, aliquid ibi lucis negari non potest, nisi ab eo qui ignem neget. Fieri quidem potest aliquando, vt materiæ defectu, in qua nutritur ignis, vel causa emergentis fumi, minus splendeat flāma, at non potest eò redigi, vt prorsus nō Greg. l. 9. Mor. c. 38. luceat, nisi omnino extinguatur, nam. [Natura ignis est, vt

ex

ex se ipso, & lucem exhibeat, & concremationem.] Licet itaque igni Gehennæ teter fumus sit admixtus, licet atro alimento nutriatur, haud tamen omnino amisisse lucem existimandum erit: maximè cum eâ, non modò minuantur tormenta damnatorum, sed augeantur. Cruciantur enim, & horrent, dum loci squaliditatem, carnificum sæuitiam, tormentorum varia, multipliciaq; genera, spectant, quæ, sine aliqua lucis scintilla, quomodò spectari possent? Hinc illi ipsi Patres, qui negasse videntur, aliquid luminis apud inferos esse, optimum duxerunt ea partitione vti: posse videlicet lumen, aut solatio, & voluptati esse, aut dolori, & miseriæ, voluptati quidem, cum illius ope, iucunda spectamus, dolori, cum molesta nobis, & minimè grata. Quanquàm enim, dulce lumen, & delectabile in oculis hominum: amarum tamen nõnunquam, & insuaue, cum parentum, vel amicorum interitus, aut aduersi quidpiam imminet, quæ nec mente intelligere, nec spectare oculis vellemus. Hac de causâ Chrysost. qui toties densitatem illarum tenebrarum inculcarat, tantum tamen lucis in horrendo illo carcere superesse significauit, quantum sufficeret ad dignoscendos pœnarum socios [Plorabimus omnes tristissimè (inquit) flamma nobis vehementius incumbente. Neminem videbimus præter condemnatos nobiscum, & immanem solitudinem.] Et Gregorius Magnus, qui dixerat inferorum cauernam in summa esse caligine, hęc scripsit. [Quamuis illic ignis ad consolationem non luceat, & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoq; suos secum in tormento, flamma illustrante, visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus, qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerunt, ipsorum quoquè interitus in augmentum suæ damnationis affligat.] Et eodem loco. [Ignis itaq;, qui in obscuritate cruciat, credendum est, quia lumen ad tormentum seruat]. Ne cui verò absurdum videretur, horrendis tenebris admixtam esse lucem, subiungit. [Quod si probare testimonijs in sua expressione non possumus, superest vt è diuerso doceamus. Tres quippe Hebreæ gentis pueri per Chal-

Lux aliqua apud inferos non leuat dolorem, sed auget.

Eccles. 11.

Greg. 9. Mor. c. 39.

Daniel. 3.

dæi regis imperium succensis camini ignibus, ligatis manibus, pedibusq; proiecti sunt, quos tamen cum idem Rex in camini incendio miseratus exploraret, illæsis vestibus deambulantes vidit. Vbi apertè colligitur, quia mira dispositione conditoris, ignis qualitas in diuersa virtute temperata, & vestimenta non attigit, & vincula incendit, Sanctisq; viris, & ad inferendum tormentum, flamma friguit, & solutionis ministerium exarsit. Sicut ergo electis, ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit, ira è diuerso Gehennæ flamma reprobis, & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam, vt damnatorum oculis, ignis supplicij, & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum, delecti qualiter crucientur ostendat. Quid autem mirum si Gehennæ ignem credimus habere supplicium simul, & obscuritatis, & luminis, quando etiam experimento nouimus, quia thædarum flamma lucet obscura.] D. quoq; Isidorus tradit, inter inferni tenebras micare aliquid lucis ad maiorem damnatorum calamitatem, atquè ad aliquid lumē habere, & ad aliquid nō habere, habere ad damnationem, vt videant impij vnde doleant, & non habere ad consolationem ne videant vnde gaudeant. D. etiam Thomas, cuius auctoritas omnes Scholasticos secum trahit, his Patrūm documentis insistens ait. [Simpliciter loquendo infernus locus est tenebrosus; sed tamen, ex diuina dispositione, est ibi aliquid luminis, quantum sufficiat ad videndum illa, quæ animam torquere possunt:& ad hoc satisfacit naturalis situs loci, quia in terræ medio, vbi infernus ponitur, non potest esse ignis nisi fæculentus, & turbidus, & quasi fumosus.]

Isid. de Sum. bono. c. 31.

In addit. ad 3. p. q. 128. alias 97. a 4.

Authoris sententia.

Quæ superiori capite, doctissimorum virorum testimonijs, dicta sunt, persuadent mihi, esse quidem in inferno tenebras, horrendas, & palpabiles, quòd id conuincant Diuinæ scripturę, auctoritates Sanctorum Patrum, loci situs, sine vllo aditu inclusus ignis, fusca materia in qua detinetur, summa deniq; damnatorum miseria. Adducor tamē vt credam, haud tantas esse hasce tenebras, quin nonnihil admixtum

habeant

habeant luminis, quæcunq; enim tenebras postulant, aliqualem etiã lucem postulant, & ij ipsi Doctores, qui caliginosam prædicant inferni terram, aiũt, aliquid ibi luminis superesse, sicuti diximus. Atq; si de nudo inferni loco dicendum est, quãquàm ille natura sua remotissimus sit ab omni luce, nihilominus minimũ quid luminis se ipse postulat, vt est ad torquendos impios destinatus. [Dispositio enim Inferni (ait D. Thomas) erit talis, quòd maximè miseriç damnatorum competet, vnde secundum hoc sunt ibi lux, & tenebræ, prout maximè spectant ad miseriam damnatorum; ipsa autem visio secundum se delectabilis est, vt enim dicitur in principio Metaph. sensus oculorum est maximè diligibilis, eo quòd per ipsum plura cognoscimus, sed per accidens contingit visionem esse afflictiuam, in quantum videmus aliqua nobis nociua, vel nostræ voluntati repugnantia, & ideo in inferno, hoc modo, debet esse locus dispositus ad uidendum secundum lucem, & tenebras, ut nihil perspicuè uideatur, sed solummodò sub quadam umbrositate uideantur ea, quç afflictionem cordi ingerere possunt.] Ignis uerò in quacunq; ille materia sit, sine quantulacunquè particula lucis esse non potest, nam naturâ suâ lucet. Nullum etiam pœnarum leuamen sentient damnati exiguâ illâ luce. Lumen se ipso iucundissimum est: at molestiam parit, cũ ea detegit, quæ non sine molestia spectamus. Odiosæ sunt tenebræ: at gratæ nonnunquàm, si doloris occasionem tegant. Quamobrem neq; tanta erit in gehenna lux, ut mali habeant, unde gaudeant, neq; tantæ tenebræ, ut eius cruciatus materiam tollãt, quem gignit aspectus fœdissimi carceris, ac immanium tormentorum, quibus, oculis ipsis, conspicantur, affici se, atquè alios complures quos in hoc mundo summoperè dilexerunt. Itaq; exiguum ibi lumen, uix quantum sufficiat ad hanc calamitatem, idquè adeo perturbatum, prodeunte fumo, ut hac de causa Patres ut plurimùm sine exceptione infernũ, appellarint tenebricosum carcerem, omne lumen excludentem, ad eum modum, quo Deus appellauit tenebras noctem, licet haud omnino expers sit lucis. Quis enim putet multùm

Locus inferni, aliquam lucem se se postulat.

D. Thom. loco sup. cit.

Ignis inferni lux aliqua.

Cumulus pœnarum in dãnatis, aliquã lucem postulat.

Gen. 1.

splen-

splendere ignē, intra obscurissimam cauernam inclusum, atquè in pice, ac sulphure detentum, quæ aptiora sunt ad emittendum caliginosum fumum, quàm ad pellendam caliginē?

CAP. XXIII.

De frigore gehennæ. Num ibi sit gelidissima aqua, in pœnam malorum. Opinio negantium.



LIVD tormenti genus ignem comitatur: id gelidissimæ aquæ, aut acerbissimi frigoris sine aqua, esse, nō obscuri authores tradunt. Quęrēdum hîc, an huiusmodi cruciatus re vera existat in tartarea fornace: nam difficilè creditu visum est aliquibus, in gehenna, quæ *gehenna ignis* dicitur, esse aquam, aut inter summos illos ardores, vllam adesse frigoris pœnam. Est in inferno ardentissimus ignis, qui perpetuas cum aqua inimicitias gerit, suntquè enim hęc elementa inter se contraria, nec alicubi sine pugna inuicem propinqua esse possunt, quapropter cum potentissimus sit inferni ignis, non modò non patietur in eo loco, quem ipse occupat, commorari inimicum sibi elementum, sed pro suo munere quàm longissimè pellet omne frigus. Superat communem opinionem, simul degere ignem, & aquam, ardorem, & algorem, cumq; nulla ratio probare id possit, non videtur sine graui authoritate affirmandum. Nullū autem extat in diuinis scripturis testimonium, quo euidenter probetur esse in gehenna, aquæ, frigorisuè molestiā, vt patebit cap. 26. Immò cum Saluator, qui sæpè egit de igne inferni, de tenebris, de verme, de fletu, de stridore dentium, & huiusmodi, ne verbum quidem fecerit de aqua, niue, glacie, vel quouis frigore; satis indicauit, hæc non esse inter cruciamenta inferni numeranda, secus enim haud fuissent omissa ab eo. Zacharias etiā propheta, dum gloriosissimum Christi triumphum de inferis recenset. *Tu autem* (inquit) *in sanguine testamenti*

Matt. 5. & 18.
Argumenta negantium in inferno esse aquam.

Zach. 9.

tui

Tu eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Lacus hic pars inferorũ erat, neq; tamen, diuino testimonio, habebat aquã. Cur habeat infernus, vbi Diues ille epulo anxiè postulabat ab Abraham, vt Lazarum mitteret, qui exiguâ aquæ guttulâ leuaret ardorem linguæ? Tantâ curâ id non efflagitasset, si veluti immensum quoddam mare aquæ frigidissimæ, partem gehennæ occupasset, in quod immergendus aliquando fuisset. Lucæ 16.

Impossibile etiam est excogitare, quo pacto in eo stagno ignis, & sulphuris aqua existat, nec enim mixta erit igni, hic enim ob aquæ frigiditatem amittet calorem, ea, ob calorem ignis, frigiditatem. Quod si aquam & ignem certam seorsim sedem habere, quis dicat: adhuc duo hæc elementa pugnabunt inter se, & contendent, nisi longo interuallo disiungantur, quod non videtur affirmãdum, cum vna tantum sit gehennæ cauitas, vndiq; plena cruciamentis. Præterquam quod nouum est, & diuinis litteris non satis congruum, iniquos modò in igne futuros modò in aqua frigidissima. Est .n. gehennæ ignis æternus, non solùm, quòd perpetuò duraturus sit, nec vllo tempore finem habiturus, sed quòd sine vlla cessatione damnatos cruciet, ac cruciabit, neq. ab eius ardore vel exiguâ temporis morâ liberandi sint mali. Si verò causam perpendamus, quamobrem existiment aliqui esse in inferno crucianti saquę elementum, ea potius suadebit contrarium. Quis enim putet, pœnam ijs accedere, qui ardentissimi ignis sentiunt cruciatum, si vehementissimum frigus succedat ardori? Aliquod doloris leuamen id videtur. Concupiscit quilibet febrium ardoribus vehementer, exagitatus aquam frigidissimam, hanc sibi voluptati fore animo reputat, non ægritudinis augmento. Inter medias flammas detentus optat gelidissimas aquas, quanquam ingenti frigore affectus, algere potius velit, quàm conijci in ardentissimum ignem. Sunt enim duo hæc elementa, si vires promant absq; certo temperamento molesta quidem, & nociua: attamen quod alterum præstet, & excellat agendi vigore, vehementiùs aget, ac acerbiùs torquebit altero, fietq; eâ de causa mitior

tior alterius cruciatus, atque cum ignis proprium sit pellere frigus, frigoris extinguere ardorem, ardoris pœnam aliquantulum leuabit frigus, frigoris ardor. Nisi ad Dei miraculum confugiamus, pugnam, atq; vim horum elementorum impedientis, quod leuiter non est affirmandum, cum, sine hoc miraculo intelligatur optimè, vt extremis cruciatibus afficiantur mali, solo igne, absq; aqua, vel frigore, quod existimarunt Cornelius Iansenius, Dominicus Soto, in 4. sententiarum, ac Petrus Tyreus, qui videntur habere pro sua sententia Sanctum Martialem Episcopum Lemouicensem Epistolá ad Tholos. (si ea Martialis est, quemadmodum & illa ad Burdegalenses, nam iustè dubitatur) cuius sunt sequentia verba. [Confracta est denique catena diaboli, qua ligatos Dei seruos in incredulitate tenebat, cuius sectatores maligni in suis iniquitatibus assumentur, & supercilio suo deijcientur vsq; ad profundum nouissimi in quo non est aqua, sed ariditas perpetua cum igne æterno, vnde nunquam extrahentur.]

Iansen c.45. Concor. Soto.4.d.50. a.4. Petrus Tyræus de Glorios. fil. Dei. Appar.c.26. n.68. S.Martialis Epis. ad Tholos c.20 Lege Pell. de Scrip. Eccles.

CAP. XXIV.

Aquæ frigidæ cruciamentum in inferno non deesse, multos Doctores, & aliquos Hebræorum probabilius sentire. Hanc non distingui specie ab elementali.



PERSVASERVNT sibi alij doctores authoritate graues, Omnipotentis iustitiam, quò acerbiùs crimina plecteret, collocasse in carcere gehennali frigidissimam aquam, quæ sine vllo pœnæ ignis leuamine, innato frigore malos discruciaret. Putant multi id à Christo subindicatum, cum gehennam ignis nominabat, quasi alia existat gehenna aquæ, cum etiam ait futurum in inferno stridorem dentium, qui à frigore vehementi oritur. Sed apertiùs, confirmat hanc

Matt.5. & 18. Matt.8.&c.

hanc opinionem nota illa Sancti Iob authoritas. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsquè ad inferos peccatum illius*, ex quo loco, non modò duplicem gehennam, ignis & frigoris, collegere, Hieronymus, Beda, & Philippus Presbyter, sed omnes ferè scholastici probant, hanc frigoris pœnam ab elemento aquæ prouenire, quod iunctum igni, in Deum offensas vlciscatur. Sapientissimus ille testatur[1], terrarum orbem contra insensatos pugnaturum: [2] Deum, vim daturum creaturæ ad vltionem inimicorum; cur aqua huiusce vniuersitatis pars, Deiq; creatura, iniurias in creatorem suum non vindicet? Vindicat, vt communi sententia tradunt D. Thomas, Bonauentura, qui ardentem ignem, & aquam congelantẽ recenset, Durãdus, Paludanus, Archangelus de Rubeis, qui ait, secus opinantes communi opinioni, aduersari. Ioannes Maior, cuius sententiã, Poetæ de fluminibus inferorum scribentes, ad hanc aquæ pœnam alluserunt. Alij demum plures, qui Magistrum sententiarum illustrarunt. Episcopus Abulensis, decernit tanquam certum, esse in inferno tormentum aquę, quemadmodum ibi existit ardentissimi ignis cruciamentum. [In hoc gehennę loco (ait) aqua frigidissima est, in qua qui damnati sunt affliguntur. Nam sicut calor nimius pœna afflictiua est, sic & magna frigiditas. Vtrumq; ergo cruciatibus impiorum tradi debuit. Nec abs re, aut absurdè dictum quis existimauerit in inferno aquam fore. Nam cum ibi verum corporeumque ignẽ esse non ambigatur, ita neq; aqua, esse irrationabile est, sed potius rationi ualde cõsentaneũ, ut à duobus extremis maximus conficiatur cruciatus.] Dominicus Soto, qui cõtrariæ opinioni adhæret, apertè tradit frequenti doctorum sententia, aquam in inferno esse. Gulielmus Parisiens, adeo compertum habet, in Gehenna esse aquam, ut ab eo decretum hoc, *Doctrina Christianorum* appelletur. [Doctrina uero Christianorum (inquit) cui in parte concordat doctrina Hebræorum, licet fabulis impossibilibus, & incredulissimis refertissima, habet quòd in inferno sũt aquæ gelidissimæ.] Atq; alibi ait. [Infernus quoq; locus est proprius tormentorum, & ma-

Iob c. 24.
1 Sap. 5.
2 Ibid.
In 4. sent. d. 50 q. 2. ar. 3.
Duran. ibid. q. prima.
Palud. ibid. q. vnica.
Rubeus. d. 50.
Abulens. c. 98. Paradox. 5. & conclu. 6. de stat. animarum pòst mortem.
Guliel. Par. p. p. de vn. c. vlt.
2. p. de un. p. 3. c. 17.

lignis spiritibus propriè præparatus, non solùm ignem habet cruciatum, sed etiam aquam, iuxta sermonem Sapientis, qui dicit. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.]

Iob. 24.

Aurelius Prudentius poeta Christianus, memoratis authoribus antiquior, infernalem aquam, reliquis inferni cruciamentis adiunxit, cum cecinit.

Pruden. in Hamart.

Præscius inde Pater liuentia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aqua furno suffodit Auerno.

S. etiã Patritius Episcopus Prusæ ante conspectum tyranni, huius supplicij meminit. [Ignis, aiebat, infra terrã locum occupat, ubi fontes, & impij supplicijs torquentur. Quemadmodũ, & aquã infimã, chrystallũ, & tartarum nominãt, ubi gentes Idolorum cultrices, & ipsorum Dij cruciantur.]

Ex Matt. Rader. in Menæ. Græc.

Hebræi duo esse latera in barathro censent, quorum alterum, aquæ occupent, alterum ignis, ac in vtroque malos dare scelerum pœnas. Rabi Simon Ben Iochai postquam scripsit, duos esse sinus in Gehenna. [Hoc latus (inquit) aquarum, illud verò ignis vtrumq; autem est supplicium gehennæ, nam qui rei sunt, duobus his supplicijs plectuntur.] Ob duo isthæc ignis, & aquæ latera, imam inferorum mansionem appellauit duplicatam. [Est (inquit) in gehenna profunda quædam mansio, cœteris omnibus inferior, quæ aliam, & ea rursus aliam habet supra se; vocaturq; HAIAFTHA. Ecquid est Haiaftha? Duplex, seu duplicatum, iuxta illud Exod. Quadragulum erit duplex.] Et paulò post. [Vocaturq; ea mansio Secol Thachthijothi, & certe Tachtithi vocatur terra subterranea estque mansio ima] & paucis interiectis. [Nec verò omnes illæ mansiones duplicatæ sunt sed hæc vna.] Quibus non modò significat, certum aquarum locum in inferno esse, sed tantum in inferno damnatorum esse. Tandẽ in Glossa recondita Gen. 18. hæc extant. [Impij, & Idolatræ igne, & aquã iugiter torquentur, neq; inde ascendunt.]

Zoar. 1. Apud Valuerd. in assen. Purg. ex heb.

Internarum partium infernus.

Hæc mihi sententia semper visa est probabilior, tum quod in eam communiter eant doctores, paucis exceptis, nec leuia habeat sacræ scripturæ testimonia, tum quòd videatur

deatur congruum, vt creaturis, quæ in bonorum commodũ paratæ erant, malorum in Creatorem iniuriæ plectantur. Sic enim contra insensatos pugnabit orbis terræ, quoniam elementa pugnabunt, è quibus inferior hæc mundi machina componitur. Sic aliquando meritas pœnas dabit immundum animæ tabernaculum, quoniam ab elementis ipsis cruciabitur, quæ illud composuerunt. Sic seruabitur iustitiæ ordo, quoniã per hæc homo torquebitur, per quæ peccauit. Sap. 5. Sap. 11.

Quemadmodum autẽ ignis inferni, ab hoc elementari, specie non discrepat, sic infernalis illa aqua, naturâ, & specie, cum hac nostra conuenit. Vtraq; frigida est, vtraque humida. Admittit tamen hæc speciei similitudo, operationum, ac noxiarum qualitatum diuersitatem. Habet enim crucians gehennæ aqua, vt molesta sit spiritibus, vt improbos in eam coniectos necare minime possit, vt cum igne cohabitet, vt eius vehementissimum frigus non minuatur ardore, fœtida est, fœculenta, nigra, omnibus denique miserijs referta, quæ stare cum eo elemento possunt. Aqua inferni eiusdem speciei cum elementari.

CAP. XXV.

An Christus de hoc aquæ cruciatu aliquid dixerit. Cur apertè vnum inferni ignem recensuerit. Quis inferni lacus non habens aquam. Cur Diues epulo stillam aquæ postularet ab Abrahamo, si proxima illi erat. Quo modo infernalis aqua in gehenna existat, an admixta igni, an separata. Demum, an ab igne calefiat, vel ignis ardorem minuat.



QVANQVAM verò argumenta eorum, qui absurdum reputant, esse in gehenna aquam, nonnihil habeant coloris, facilè tamen dissoluuntur. Etenim affirmare in primis possum, vti superiori capite diximus, Christum huiusce Soluuntur argumenta in contrarium.

Matt. 8. supplicij meminisse, cum ait. *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores ibi erit fletus, & stridor dentium*. Stridor enim dentium, ingentem frigoris vim consequitur, frigus autem ab aqua frigidissima oriri, cur negetur? Addo Christum ibidem indicasse hanc pœnam, cum tenebrarum exteriorum appellatione, gehennalem carcerem expressit. Vocantur enim aliquando tenebræ exteriores, in diuinis litteris, horrendi quidam carceres, extra domos sub dio positi, intra terram cauati ad cisternæ modum, lato fundo, angusto ore, ob idquè tenebris infælices, cœni, purgamentorumq; vrbis receptacula, quò pluiales aquæ, sordidaq; quæque secum trahentes confluebant. Vt igitur infernus à Christo gehennę voce appellatus est, quòd in eo, ardentissimo igne cruciientur mali in perpetua morte viuentes, quemadmodum in valle Geennom Iudæorum filij cremabantur, sic, exterioribus illis tenebris, miseriam eiusdem infernalis carceris describebat, quòd in eo degentes, præter horrorem tenebrarum, habeant sordidissimarum aquarum molestiam.

Sed nihil dixerit Christus apertè de hoc supplicij genere, an hac, de causa inficiandum, eo minimè torqueri dānatos? Id mihi non persuadeo, cum habeamus traditiones, & aliqua fidei nostræ decreta (licet huc non referam id, de quo agimus) de quibus non sit expressa mentio in Sanctis paginis. Vbi nam Saluator dixit de horrenda visione dæmonum? Tamen nullus ambigit, quin tetro, ac deformi aspectu, Dæmones summæ molestiæ reprobis futuri sint. Quapropter quamuis Christus de igne inferni clarè locutus sit: aquām vero inferni nunquam explicatè nominarit, haud tamen minus probabilem censeo recitatam opinionem. Proponebat enim Christus clarè ignis pœnam, quòd pluris hanc soleant facere mortales, sæuiorquè censeatur pœnâ frigoris, aut certè ignis nomine vniuersos inferni cruciatus comprehendebat. Ita Bonauentura [Sub igne, inquit, alia affligentia continentur, vel à maiori fit denominatio.] Alij ignis nomine, non ignem tantùm, sed etiam ignis locum intelligunt, vt vox eundi declarat, qui locus præter ignem admittere aquam

Cur Christus clariùs de igne, quam de aqua locutus.

Bona. 4. d. 44. q. 2. a. 2.

quam potest. Archang. de Rubeis ait, Christū, nudū ignem proposuisse, quòd ignis cruciatus sit communis damnatis omnibus, iuxta illud *Ite maledicti in ignem aeternum*, frigore vero, vel aquâ, non omnes sint cruciandi, quemadmodū Epulonis historia indicat. Sed id non probatur, nam verba Iob. *transibunt ab aquis nimium ad calorem nimium*, ad omnes damnatos diriguntur, & rationes, quæ probant in inferno aquam esse, probant communem omnibus esse, idemque testimonia conuincunt. Diues Epulo guttam aquæ postulabat, non quòd frigoris pœnam minimè sentiret, sed vt ardorem leuaret, qui vehementissimo illo frigore nihil minuitur, vt paulò post dicemus.

Archan. de Rub.d.50. litt.D.

Lacus autem ille, è quo Christus eduxit vinctos, pars inferorum erat sublimior, non repugno; non habebat aquam, similiter consentio. Hic enim Sinus Abrahæ est, in quo degebant Sanctorum Patrum puri animi ante aduentum Liberatoris. Sed an æqua argumentatio est, ab eo, ad miserrimum impurorum Spirituum, ac damnatorum omnium receptaculum? Quis adeo insaniat?

Sin⁹ Abrahæ lacus non habens aquam.

De Diuite ab Abrahamo aquam postulante, iam indicatum, eā petijsse, vt leuaret flammæ ardorem, at gehennæ aqua cruciat frigore, non minuit ardoris pœnam. Aiunt alij petijsse aquā, vt opē ferret ardēti linguæ, licet forte in alia parte, frigore cruciaretur. Verū an anima erat induta corpore?

Epulo cur aquam petierit, si aqua in inferno existit.

Bonauent. sup.

At quæ nam est existendi ratio tartareę aquę in fornace aeterni ignis? Testimonium Diui Iob *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*, innuit in alio loco esse ignē, in alio aquam, atq; vicissitudine quadam, modò hic, modò illic, damnatos cruciari. Hebræi apertè id cogitant, in duo latera diuidentes gehennæ cauitatem, in quorum altero sit aqua, in altero ignis. Idem videtur eorum doctorum sensus, qui putant malos post ignis cruciamentum, in aquam conijciendos esse. Videtur hæc fuisse Angelici doctoris opinio, cum ait. [Ignis inferni dicitur æternus propter interminabilitatem tantùm. Est tamen in pœnis eorum transmutatio secundùm illud Iob 24. Ad nimium calorem transibunt

Iob. 24.

Hæbrei

S.Th. p.p.q. 10.a.3.ad.2.

bunt

bunt ab aquis niuium, vnde in inferno non est vera æternitas, sed magis tempus secundum illud Psalmi, erit tempus eorum in sæcula.] Ioannes Maior ab hac sententia non abhorret, quæ verè facilior uidetur, & communior.

Psal.
Maior. 4. d. 44. q. 4.

Placet tamẽ ijs adhærere, qui cẽsẽt, duo hæc elementa in inferno esse inuicẽ mixta, & confusa, licet enim ad faciliorẽ hominum captum, adhibeat Iob uocem illam *transeat*, tamen iam statuerat, nullum in gehenna adesse ordinem, sed ibi horrorem sempiternum inhabitare, ordo autem non deesset, si elemẽta in ea infelici sede, essent inter se disposita, & ordinata. Ita sensit D. Bonauentura [Si autem quæratur, ait, per quem modum elementa ibi esse intelligantur, dicendum quod elementa ibi sunt confusa, non distincta, non ordinata.] Ioannes Maior supra relatus non discrepat. Fauet etiam Albertus Magnus his uetustior, cuius sententiâ, mali in eodem loco, caloris, & frigoris pęnâ afficientur, sicut in eodem lecto febricitantes, nunc frigoris, nunc ardoris molestias patiuntur. Miraris hanc ignis, & aquæ societatẽ, hãc frigoris, & caloris coniunctionem? Tecum ipse reputa, in hac ipsa superiori terra, ubi mortales degunt 1 ex ardentibus montibus fluere gelidos fontes, 2 nonnullis ignibus adeo amicam esse aquam, ut eâ alantur, & accendantur; 3 eadem uenarum commercia, apud Garamantas, ut ait Solinus, interdum glaciali horrore algescere, interdum ignito vapore æstuare. Cogita 4 Aetnæum montem, vt eiusdem Solini sententiâ vtar, in illa feruentis naturæ peruicatia, mixtas ignibus niues proferre, & licet vastis exundet incendijs, apicis canicie perpetua brumalem detinere faciem; ita vt inuicta in vtroq; violentia duret, atq; nec calor frigore, nec frigus calore dissoluatur. 5 Cogita, inter medios maris fluctus, deprehendi venas feruidissimis aquis manantes, quas prætereuntes vndæ, multorum seculorum spacio, nec extinguere potuerunt, nec diluere. 6 Cogita demum, humana arte, quoddam ignis genus confici, quem Græcum appellant, cuius ardentissimæ vires, nihil roboris amittunt inter gelidissimas aquas. Atquè his naturæ exemplis, facillimè intelliges, non esse laborio-

Aqua in inferno mixta igni.
Iob 10.
Bon 4. d 44. a. 2. q. 2.
Alber Magn. L. de Sacra.
1 Plin. l. 2. c. 106.
2 Ibidem.
3 Solin. c. 32.
4 Solin. c. 11.
5 Philo Heb. de somnijs.
6 Lege Simon Maiol. Tom. 1. dier. Canic. Coll. 22.

sum

ſum authori naturæ, duo hæc elementa permiſta, & confuſa, ſine vlla proprij vigoris iactura, in tartareo antro ſeruare. Habebant ignis, & aqua, quibus Aegyptij cruciati, vt etiam permiſta, non extinguerentur: nam *ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem, & aqua extinguentis naturæ, obliuiſcebatur*. An, ad diuinæ iuſtitiæ nutum ſtare inuicem confuſa non poterunt in gehenna, ignis ardentiſſimus, & aqua frigidiſſima? Sap. 16. & 19.

Non eſt autem exiſtimandum, hac elementorum mixtione, aut tolli ignis ardorē, aut minui aquæ frigus. Sunt enim in inferno quæuis cruciandi inſtrumenta, vt diuinæ iuſtitiæ deſeruiant in cruciando, non autem, vt inuicem agant, ſibiq; ſint impedimento in irrogandis pœnis, quamobrem vno crudeliſſimi tortoris munere fungi poſſunt, nihil præterea. Audi Albertum Magnum. [Calor, & frigus (verba illius ſunt) non affligunt in ratione qualitatum elementalium, ſed potius in virtute iuſtitiæ vindicantis. Et ideo virtutes illius habent in ſe, & ideo per extremorum excellentias intentas, & exacutatas ad acerbitatem tantæ vindicationi competentem agit tam in animas, quam in corpora damnatorū. Et exemplum huius eſt, in calore digeſtiuo animalium, qui licet ſit calor ignis, non tamen agit ad modum caloris ignis, ſed ad modum animæ, quæ mouet ipſum tanquam inſtrumentum. D. Bonauentura. [Confuſio, inquit, elementorum pœnam non minuit, ſed auget, pro eo quod actio elementorum mutua, poſt reſurrectionem ceſſabit, dum ceſſet generatio, & corruptio, ſed tamen manebit actio eorum in corpus damnatorum: quoniam ad hoc omnis eorum virtus dirigetur, non tanquam intendentia multiplicare ſpeciem, ſed ſecundum imperium creatoris intendunt vindicare diuinam iniuriam, quod quidem fit affligendo humanam naturam.] Summa huiuſce argumenti eſt, id tantum virium conceſſum eſſe elementis in inferno, vt iuxta diuini mandati legem operentur, hac de cauſa, haud eſſe intenta ad mutuam pugnā, ſed ad vindicanda in Deum flagitia, quod etiam ante mundi exitium, & communem reſurrectionem accidit,

Aquæ frigus non minuit ardorem nec contra.

Alb Magn. in c. 24. Matt.

quo

Cornelio Ianſenio, quæ ſic habet. *Arida & calor rapiunt aquas niuis, infernus eos, qui peccauerunt.* Quòd ſi in medium proferatur argumentum illud, quod Sapientis ſententijs nititur, cum inquit, *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Atq; *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos,* vnde collegimus, eſſe rationi conſonum, vt elementa, ex quibus omnis creatura corporea fabricata eſt, diuinæ iuſtitiæ inſeruiant ad cruciandos hoſtes ſuos: facilè reſpondebo æquum id eſſe: at non requiri, vt re ipſa omnia exiſtant in ea uitate inferni: nam etſi ignis tantùm, & aer in gehenna eſſent (ignem enim frequentiſſimè repetunt ſacra oracula, & aer, neceſſarius eſt ad ſuſcipiendam caliginem, & moleſtam lucem, ad detinendam flammam, ad recipiendum fœtorem) adhuc terrâ, & aquâ cruciarentur, eâ quidem, cogitantes, ſc. intra eius vaſtitatem, veluti cathenis vinctos, detineri: aquâ verò, quod eius ardentiſſimo deſiderio teneantur, neque tamen poſſint vel minimam ſtillam impetrare. Anguntur enim nonnunquam homines, & dolent, tum ob miſerias in quibus verſantur, tum ea ſpectantes commoda, quibus alij perfruuntur, quæque proprias leuarent moleſtias. Cruciant auaros pecuniæ, quas poſſident alienæ diuitiæ. Cruciant lautiſſimæ menſæ famelicos, & helluones, ſi eas arripere manibus, Tantalo ſimiles, nequant. Cruciabunt ſimiliter aquæ damnatos in viuaciſſimis ignibus exiſtentes, quod extinguere, illarum beneficio, ardorem non poſſint. Hinc Dionyſius Carthuſianus ait quidem, D. Iob. teſtimonium communiter accipi de viciſſitudine, ac commutatione pœnarum è calore ad frigus, at ſubdit latere omnino mortales, num in Gehenna ſit aqua frigidiſſima, vel aliquid reſpondens aquæ. [An verò (inquit) per omnipotentiam Dei ſit in inferno aqua frigidiſſima ad reproborum ſupplicium, vel aliquid proportionale, quod aqua vocatur, quia hæc aqua perfrigida eſt, quis niſi Deo reuelante poterit certitudinaliter ſcire?]

Ianſen. c. 45. Concor. in c. 8. Matt.

Sap. 5.

Dyoniſ. Carth.

CAP. XXVII.

Frigus vehementissimum in gehenna esse, etsi nulla ibi aqua adesset.



VLTO manifestiùs est, quanuis infernus careret aquâ, frigus intolerabile ibi nõ deesse: video enim vetustissimos Patres, sanctitate, & doctrina illustres, cum de pœnis gehennæ disserent, minimè id omisisse, video etiam vniuersos ferè Theologos, hunc cruciatum prædicare. Mitto diuini eloquij testimonia, de quibus dictum, illud maximè, quod stridoris dentium meminit, quo frigoris rigorem significari, communis doctorum sensus est, ac Albertus Magnus acutè de illo, hæc scripsit. [Stridor dentium prouenit ex frigore, sicut & aliorum tremor membrorum. Cum enim frigus constringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eosdem distendit, & ex pugna, quæ est inter conrrahens, & distendens ex duobus motibus tremor accidit, & ille in dentibus est stridor, & in alijs membris est tremor.] Ad Patres venio.

Cap. 25. Alb. Magn. in c. 24. Matt. lit. N.

D. Hierony. ex illo Iob testimonio, & ex citata Christi auctoritate, duplicem esse Gehennam collegit, ingentis frigoris, & ardentissimi caloris. Eius verba hæc sunt. [Quasi duas gehennas S. Iob dicere mihi videtur, ignis, & frigoris, per quas Diabolus, hæreticus, & homo impius commutentur. Forte in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet, illis qui in ea torquebuntur, vt nunc quasi ignem ardentem nũc nimium algoris incendium, & pœnalis commutatio nunc frigus sentientibus nunc calor sit, vt quasi de loco ad locum transitus æstiment. Et fortassis, idem dominus ait in Euangelio. Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Vt hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur. Vbi & similitudinem quandam ex nostris corpori-

Hier. in c. 24. Iob.

bus possumus inuenire in quibus rursus abundantia, quod est calidissimum in typicis motibus intolerabilis rigor præcedit ignem febrium ardentissimum secuturum,& dicuntur à medicis hæc duo, quæ sibi contraria dinoscuntur ex vna fellis materia in homine procreari.] Hanc Hieronymi sententiam,immò ipsa verba,secuti sunt Beda,& Philip.Presbyter. Neq; verò dicas,quemadmodum ait Iansen. sub dubitatione loqui Hieronymum,nam alibi. [Nihil (inquit) gehennâ calidius est,tamen ipsa frigida est]. Atq; particula illa *fortè* non respicit rem, sed modum:accipitur enim sine exceptione D. Iob sententia de frigore,& calore inferni; verum subdubitatur de modo, quo peccatores duplicis istius gehennæ cruciatum sentiunt. D. similiter Gregorius de hoc supplicio scribit. [In inferno erit frigus intolerabile, vermis immortalis,fœtor intolerabilis &c.] Ioannes Cassianus, meminit læthalis gehennæ frigoris,& glaciei indeficientis. Petrus Damiani, horrendi frigoris. S. Bernard. exclamat de inferis.[O Gehennalis regiò fugienda, vbi est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis fœtor intolerabilis.] Beda memor eorum, quæ scripserat in Iob, inquit in Matthæum.[Duplex ostenditur gehenna, idest nimij frigoris per stridorē dentiū,& intolerabilis esse feruoris per fletū oculorū.]Bonau. Quarto loco inter inferni pœnas recenset frigus. Isid. duplicem,& ipse gehennam agnoscit ignis,& frigoris, scriptumq; reliquit,Infernum dici Tartarum à vehementi frigore. Anselmus, inquit, eodem nomine appellari ab horrore, & tremore, ac alibi ait, tantam in Gehenna esse frigoris vim, vt si igneus mons immitteretur,verteretur in glaciem.Denique,vt alios omittam,Author Libri de triplici habiculo cap. 2.[Principalia, inquit, duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile,& calor ignis inextinguibilis, de quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris,pœna angustiæ, pœna tenebrarum &c.] Confirmant etiam id eorum testimonia, qui Deo reuelante, varia inferni supplicia cognouerunt, aut in vitã reuocati sunt, diui-


Beda, & Phil.presb. in c 24.Iob. Iansenius c 45 concor. in Psal. 47. Hieron. in Psal. 47.

Casfian. in cõfes. Theol. Pet. Dam. ser. de S.Nicol. Bernard. Soliloq. c. 3. Beda in cap. 8. Matt. Bonauent. Diæte Salut tit. 10. c. 1 Isid l. 14. orig c 9. Ansel. l. 1. de imag mundi c. 21 & in Elucid. T 9. Oper. D. Aug.

no priuilegio, hi enim ardentissimo igni, acerbum frigus adiunxerunt, vt docere possem multis exemplis.

CAP. XXVIII.

Vnde frigus oriretur, si nulla esset aqua in inferno? An ab igne ipso infernali? An à terra inferos ambiente, eiusq; loci conditione?



SED, quæ nam esse potest tanti frigoris causa, si gelidissimæ aquę in inferno nō existunt? Haud desunt causæ. Atq; vnum quidem ignis elementum adurere in gehenna malos, ac vehementi rursus frigore excruciare, ex D. Hieronymi sententia colligitur, quam sequuntur Beda, & Philippus presbyter. Statuerunt siquidem hi circa hanc frigoris pœnam, damnatis haud mutandam esse sedem de loco ad locum transeundo, vt eà puniantur, sed in eodem penitus situ, modò ardore, modò frigore affligendos, eodem igne, ardoris, & frigoris cruciatum inferente, ad eum modum, quo in typicis morbus, ex eadem fellis rufi materiâ, nunc rigor procedit, nunc ardor maximus. [Certum est, inquit, Philippus presbyter, non minus, quàm in igne, esse adustiones in frigore.] Ergo è contrario non minus, quàm in aqua, erit rigor in ardore. Videtur sanè difficile ad intelligendum, quo pacto inter ignes ardentissimos constituti, ab igne ipso affici extremo frigore possint. Est enim ignis elementum frigoris omnino incapax, eiusq; conditionis, vt cæterorum elementorum sibi repugnantium, attributa capere non possit, citra sui extinctionem, non enim frigescit ignis, licet aliquādo calescat aqua. Verum, cum in rebus miris summa credendi ratio sit omnipotētia creatoris. Quis nō existimet fieri posse, vt idem ignis elementum, & ardoris, & frigoris inferat cruciatum? Habet ignis, habent alia elementa, & quidquid est in mundo, naturale præscriptum, certumq; agendi modum

Hieron. Beda, & Philip. Presb. in c. 24. Iob

Aug. de C. D. l. 21. c. 7.

modum, elementorum tamen, & naturæ dominatur idem, ac conditor Deus, pro suæ voluntatis beneplacito, mutare singula poterit in contrarias operationes, & disponere vt cōtrarios effectus ostendant ab ijs, quos solent, seruata communi lege. [Quando Deus voluerit (ait Chrysostomus) operatio elementorum traducitur in contraria, adeo inquam perfectè contraria, quàm sunt propria, quæ ab initio attributa fuerant.] Et paulò post de Deo. { Mutas rerum naturas, & facis, vt manentes ostendant contraria: & ita rursus contraria educis, ac si essent propria, & eius naturæ attributa.] Aliquando aquæ elementum obijt ignis partes, eamque manum ambussit, quam nihil læserat candens ferrum. In diuinis paginis, Babylonicæ fornacis incendium, placidissimi roris solatium tulit infantibus, eos tamen extinxit, qui nihil ignis vim metuebant. Ignis ille, quo Deus, Aegyptios, idololatriæ deditos, puniuit, *quodam tempore mansuescebatur, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia; sed vt ipsi videntes scirent quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret.* Cum igitur Dei miraculo aqua frigida vrat, ignis aliquando suauis auræ delicias præbeat, aliquando propè ardoris pabulum, ardere nesciat, aliquando inter extinctionis discrimina vehementius ardeat, dubitari non potest, quin idem ignis Inferni, si diuina iustitia imperet, non solum proprio sibi munere fungatur ardendo; sed etiam contrario, vehementissimo frigore vexando. Hæsitas, qua ratione id eueniat? Meditare eius omnipotentiam, cui placet euenire. Scimus, ea, quæ superant humanum captum, ac naturæ creatæ vires excedunt, fieri omnipotentis virtute, modum autem, quo fiant, planè non cognoscimus. [An non vidisti (inquit Ioannes Chrysostomus) & fornacem ardentem, & rorem sibilantem, & neque illum extingui, nec hunc exiccari, & grandinem simul, & flammam? Vnde nam ergo dic mihi hoc factum est? Quo modo autem hoc factum est volo scire. Immò verò nec volo quidem scire modum, neque enim fieri potest, sed factum credo.

Chrysost. in Psal. 138.

Cæsar. L. 10 Mirac. c. 35.

Daniel. 3.

Sapientiæ 16.

Chrysost. sup. Daniel. 3. Exod. 9.

CAP. XXIX.

An aer, & terra in inferno, cruciandi munere fungantur.

PETET nunc à me quispiam, num reliqua duo elementa aer, & terra, in tartarea cauerna diuinæ iustitiæ inseruiant ad cruciandos improbos. De aere, non est mihi ambigendi locus, quo modo enim stare fœtor, flamma, tenebræ, & iniucunda lux possent, ni aer ista susciperet? Bonauentura ait, Prophetam aeris cruciatum indicasse, cum scripsit, *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*, Spiritus enim aerem significat, qui verè aer sit, vt ignis verum ignem. Idem Doctor ad probandum in inferno esse terram, profert illud Iob, cum gehennam appellauit *terram miseriæ, & tenebrarum*. Verùm, est ne reipsa intra inferni cauitatem terræ elementum? Existimo non esse, cum damnati haud recipiantur intra solidum terræ corpus, vt alibi probatum, sed in amplam fossam, intra terram cauatam. Cruciantur tamen hoc item elemento, quòd eo inclusi detineantur. Gulielmus Parisiensis, quæsitâ ex diuina Scriptura, coniecturâ, in hanc sententiam probat, non minus aere, & terrâ, quàm igne, & aquâ, Deum vlcisci scelera. [Cur autem (ait) aer, & terra pœnales non sint apud inferos, in vindictam, ob iniuriam creatoris, iuxta sermonē Sapientis, quo dictum est, *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*? Quod indubitanter, non solùm de vno elemento, nec de vna sola parte orbis dictum esse, putari potest à rectè intelligentibus. Similiter neque illud, quod consequenter in eiusdem Sapientis sermone subiungitur, videlicet *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, non singulariter de vna ex creaturis accipitur sermo iste, sicut nec ille alius eiusdem Sapientis sermo, quo dixit in eodem libro loquens ad creato-

Bonau. 4. d. 44. 2. 2. q. 2.
Psal. 10.
Sup.
Iob. 10.
Primo lib. c. 52.
Parisiē. 2. p. de Vniu. p. 3. c. 17.
Sap. 5.
Ibid.

rem

Sap. 16. tem. *Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Causa enim communis est omnibus creaturis, videlicet excandendi aduersus impios, & essendi lenior, ad benefaciendum pro his, quæ creatori seruiunt: similiter eadem causa est creatori, armandi omnes ad vltionem inimicorum & armandi vnam. Quapropter ad omnes creaturas extenditur armatura ista in vltionem, & excandescentia ista in iram.]

CAP. XXX.

De cruciatu Vermis. *An propriè in gehenna adsint vermes. Opinari aliquos Doctores non adesse, sed* vermis *voce, metaphoricè adumbrari accusantis conscientiæ pœnam.*



HACTENVS explicata à nobis corporeorum inferni cruciamentorum genera, inanima sunt, ac vitæ expertia, ignis, aqua, aer, terra, & reliquę molestiæ, quæ oriri ex his possunt. An quidpiam animatum, & viuens, in gehenna existit, quod reprobis inferat cruciatum? Haud quæro de malis spiritibus animarum tortoribus, haud ago de cruciante conscientia, sed de illo tormento, quod immortalis cuiusdã vermis corrosione infligi, non vno loco, Scriptura significat.
El. vlt. Marci 19. Videndum itaq; an iuxta vocis sensum, reuerá sordida hæc bestiola in inferno degat, in pœnam eorum, qui cælestis patris obliti, similes facti sunt iumentis insipientibus: an verò *vermis* nomine, similitudine quadam, alius quipiam cruciatus exprimatur. Res incontrouersia est apud doctores. Plurimi cogitant, nihil vitæ particeps in inferno esse, vel futurum, præter homines, & dæmones, ac aiunt, *vermis* nomine decla-

declarari internum illum testem, qui nunquàm non accusat sontes de patrato facinore, cui talis appellatio contigerit, quòd ex peccati putrilagine consurgat, sicuti putrescente cadauere succrescunt inde vermiculi. Pro hac opinione stant doctissimi viri. Hieronymus in primis ad ea Esaiæ verba. *Subter te sternetur tinea putredo, & operimentum tuum erunt vermes*, sic scribit: [Putredo, & tinea, & operimentum vermium, vel pœnæ intelliguntur æternæ, quas propria gignit conscientia, vel suppliciorum materia, quæ ex proprijs peccatis nascitur. Sicut enim, quandiu cadaueris materia est, & aliquis humor in cadauere, vermes nascuntur ex putredine; sic ex ipsa materia peccatorum, supplicia gignuntur.] Atq; alibi. [Vermis autem, ait, qui non moritur, & ignis, qui non extinguitur à plerisq; conscientia accipitur peccatorũ, quæ torqueat in supplicijs constitutos]. Idem & Origenes scripsit, cuius verba Hieronymus, vt aliquando solet, recitauit. Complures alij Patres, dum ad ea Scripturæ loca veniunt, in quibus vermes recensentur, vnum hunc praui animi angorem, perpetuumq; accusantis, & corrodentis conscientiæ cruciatum prædicant. Augustinus etiam testatur, multos, igne, & verme, solius animæ cruciatus explicasse, nimirùm vehementem animi dolorem ob cælestis regni amissionem, internamq; molestiam, sordidam animam instar ignis exurentem [Vtrumq; autem horum (inquit) ignem scilicet, atq; vermem, qui volunt ad animæ pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam vri dolore animæ serò, atq; infructuosè pœnitentis eos, qui fuerint à regno Dei separati: & ideo ignem pro isto dolore vrente, non incongruè poni potuisse contendunt. Vnde illud apostoli est, quis scandalizatur, & ego non vror? Eundem etiam dolorem vermes putant intelligendum esse. Nam scriptum est, inquiunt, sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri.] Subiungitq; Augustinus, eos ipsos, qui non dubitãt, pœnas animæ, & corporis in illo supplicio futuras, affirmare, igne vri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris. Vermis profecto corporeus in pœnam potissimùm

Hier. in c. 13. Esa.

In c. 66. Es.

Augus. 20. de C.D. c. 22.

Aug. 21. de C.D. c. 9.

2. Cor. 11.

Prouer. 25.

Ratio, quæ suadet non esse in gehenna vermes corporeos.

S.Th.4.d.48. Q.3.a.5.

carnis impij dicitur in gehenna præparatus, ab ijs, qui sentiunt dari: at cum mali induētur carne, nullum supererit animal uiuens excepto homine. Cum enim ea tantùm consistere debeant, mundo conflagrante, quæ ordinem aliquem habent, ad immortalitatem, & incorruptionem, qualia sunt cęlestia corpora, quæ naturâ suâ corruptioni haud subiacent, Elementa, quæ secundùm uniuersam eorum molem incorruptibilia sunt, quanquàm quoad partes corruptibilia, & homines, qui licet ratione corporis deficere posśint, & interire, spectatâ tamen animâ, quâ homines sunt, dicuntur incorruptibiles. Animalia bruta, plantæ, mineralia, & omnia corpora mixta, omnino interibunt, & deficient, quòd nullum habeant ordinem ad incorruptionem. Quamobrem, si nullus futurus est huiusmodi vermis corporeus, cum eo cruciandū esset improborum corpus, cur existimemus nunc in inferno esse, vbi sine corpore spiritus cruciantur? D. Thomas hanc opinionem, & rationem tuetur. [Dicendum (ait) quòd post diem iudicij, mundo innouato, non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum, nisi corpus hominis tantùm, eo quòd nō habeat aliquē ordinem ad corruptionem, nec post illud tempus sit futura generatio, & corruptio: vnde vermis, qui in damnatis ponitur, non debet illigi esse materialis, sed spiritualis, qui est conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis, inquantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine affligit pungendo.] Diuum Thomam sequūntur frequentes scholastici: Abulensis negat esse vermes in inferno, tum quòd vermes gignantur ex cadaueribus iam fœtidis, & corruptis, quę tamen nulla erunt apud inferos, tum quòd intelligi non possit, quomodo corpora corrodant, nec aliquid detrahant, ac tandem penitus absumant. Addunt alij, consequens esse, si apud inferos tristissima sint animalia dilacerantia carnes, corrodentia corpus, ac summos cruciatus improbis inferentia, vt in cælesti regno adsint suauissimæ auiculæ, deliciosissimaq; animalcula, quæ miris concentibus, varijsquè modis recreent beatos, vt sanctorum gaudia respondeant

D.T.d. 50. q. 2.a.3.ad 2.q.

Aliorum rationes cur in gehenna nullus sit vermis corporeus.

Abulens. p 7. in Matt. 9. q. 153.

Petrus Tyreus de Glor. fil. Dei appar. cap. 26 n 60.

mise-

miserijs damnatorum, & contra. Sacræ paginæ testimonia, aut explicantur ab ijs, de pœnis à Deo iustè aliquibus in hac vita illatis, quemadmodum illa Esai. *vermis eorum non morietur*, &c. de cadaueribus Assyriorum, quæ ab igne combusta sunt, & à vermibus consumpta, aut certe, quod frequentiùs faciunt doctores, de molesto animi angore, qui in Scriptura vocetur *vermis* ob vulgares, & idiotas, qui nihil sibi mali accidere posse cogitant, præter id, quod corpus afficit, habentq; loco summæ calamitatis, si corpora insepulta iaceant in escam vermibus, & bestijs. Es. vlt. Abul. p. 9. in Matt. q. 158.

CAP. XXXI.

Corporeos vermes in inferno, esse haud improbabilis opinio. Non ineptè etiam Dæmones, varijs serpentum, ferociumque animalium formis, molestiam damnatis inferentes, vermium voce comprehendi.

METAPHORICAS interpretationes, in exponendis Spiritus Sancti oraculis, nunquàm ego probaui, cum verus, germanusquè verborum sensus, qui sine absurditate quadret, excluditur, quòd eludi, hac arte, multa fidei nostræ decreta possint. Haud tamen hinc deduco, adeo notum esse, vocem *vermis* in Scriptura, cum refertur ad cruciatus malorum, significare corporeum quoddam animal, in inferno torquens improbos, ex genere eorum, quæ de carne, vel de ligno, aut de quacunquè re terrena, sine concubitu gignuntur, vt contrarium aduersetur diuinis testimonijs: id enim mihi non persuadet grauis eorum authoritas, qui aliter opinantur. Mea sententia est, cum nihil sequatur incommodi, cogitando, propriè immundos vermes inter alia cruciamenta, in sordido illo carcere, diuina vi seruari, ad maius supplicium iniquorum: id tanquàm diuinis litteris congruentius, affirmari non impro- Isid l. 2. Orig. c. 12 ita definit vermem;

babiliter posse, non modò in suggestibus, vt quidam volunt, sed etiam in Scholis. Etenim in primis verba illa Esaiæ, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, ignem, & vermem inuicem copulant, ergo aut non minùs ignis, quam vermis pœna, spiritalis est, & metaphorica, aut vtraq; corporea, & propria. Ignis autem gehennæ materialis est, & corporeus, igitur & uermis. Ais, ignem illum, & uermem, de quibus Esaias loquitur, corpore non carere, at ijs cadauera Assyriorum consumpta, non scelera in inferno crucianda. Quid, cum Christus eâdem sententiâ utitur ad gehennæ cruciatus explicandos? Deinde extinctus est ille ignis, perierunt illi uermes, quibus ea corpora absumpta: ignis autem, de quo Esaias, inextinguibilis dicitur, & uermis immortalis, quare non potest non esse ibi uermis similis ei, quem Iudith minitatur. *Væ* (inquit) *genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsquè in sempiternum*, Talis etiam est, qualis ille de quo in Ecclesiastico. *Vindicta carnis impij, ignis, & vermis*. Quibus in locis, cum vermis cruciatus, in pœnam carnis impiorum dicatur præparatus, manifestum est, esse corporeum quoddam cruciamentum. Effugiunt aliqui vim huiusce argumenti, dicentes, *carnis* nomine, haud intelligi corpoream tantùm hominis partem, sed integrum hominem, ex anima, & corpore conflatum: non vno enim diuinarum scripturarum loco, ea vox id significat, quemadmodum in Psal. *Omnis caro ad te veniet*, in Iohel. *Videbit omnis caro salutare Dei*, in actis Apostolorum *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*. Quanuis ergo (hinc deducunt) *vermis* eam tantùm animæ molestiam significet, quam parit assidua scelerum cogitatio: nihilominus, verme caro impij cruciabitur, siquidem animi angor non potest non redundare in corpus. Leue effugium. Significet aliquando *carnis* nomen rationalem creaturam vt corpus, & animam complectitur: cum tamen legimus *carnes eorum*, aut *carnis impij*, quis non intel-

Marginal notes: Rubeus 4. d. 50. Es. 66. — Marci 9. — Iudit. 16. v. 20. 21. — Eccl. 7. — Psal. 64. Ioel. 3. Act. 2.

intelligat eam hominis partē, quæ est materialis? cui cum peculiaris pœna, eaq; materialis designetur, non est cur illam spiritaliter interpretemur. Alioqui idem de igne, & reliquis tormentis dici posset, quæ scimus esse corporea, atq; ijs ipsis, corpora proximè, & directò crucianda.

Aliqui Patrum, *verme*, conscientiæ vellicationem exprimunt, vt dictum est: at non repugnant, quin extrinsecùs vermis torqueat; quemadmodum etiam sæpe aiunt malos interno animi dolore vri, nec tamen negant, extrinseco proprioq; igne cruciari. Quin multi vermem proponunt quasi corporeum quoddam pœnæ genus. Augustinus quidem, licet id non definiat, extimat tamen probabilius, hunc vermis cruciatum ad corpus pertinere, nam recitatâ eorum sententiâ, qui vermem, & ignem ad animam referebant, subdit. [Ego tamen faciliùs existimo, vt ad corpus dicam vtrumq; pertinere, quam neutrum, & ideo tacitum in illis diuinæ scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiam si non dicatur, vt corpore sic dolente, animus quoq; sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe, & in veteribus scripturis, vindicta carnis impij ignis, & vermis. Potuit breuius dici, vindicta impij. Cur ergo dictum est, carnis impij, nisi quia vtrumq; id est ignis, & vermis pœna erit carnis?] D. Chrysostomus vermis venenati sæpe meminit. S. Ephrem Syrus ante Io: Chrysostomum scripsit. Quid aduersus venenatum, & non quiescentem vermem faciemus? Auctor libri de triplici habit. qui extat Tom. 10. operum D. August. duplex genus vermium distinxit, corporalium, & spiritualium, corrodentium corpora, & diuexantium animum. In inferno (ait) dilaceratio immortalium vermium, & vermis conscientiæ. Cyrillus, putidum, ac virosum inferni vermem prædicat. Idem facit Basilius. Gregorius Nyssenus luculenter testatur, vermem gehennæ esse corporeum, cum illum confert igni, atq; ad corporis pœnam paratum esse significat. [Ego, ait, etiam hoc audio Scripturam prodentem, quòd condemnati iustis afficientur supplicijs, igni, tenebris verme, quæ omnia compositorum, ac materialium corpo-

Patrum testimonia de verme corporeo inferni.

Aug. l. 9. de C.D. c. 21.

Eccl. 7.

Chrysost. hō. 8 in c. 4. Genes. & in Ps. 48

Eph. Paren. 47.


Cyril. orat. de exitu an.

Basil. orat. de fut. Iud.

Nyssen. orat. 3. de Resur.

Haym.l.3.in c.66.Is. corporum pœnæ, cruciatusque sunt.] Haymo Episcopus Halberstatens. licet vermis nomine etiam conscientiam peccatorum intelligat, cruciantem in supplicijs constitutos, eo tamē propriè exprimit materialem vermem. [Potest (inquit) etiam intelligi, vt credatur in inferno ignis esse materialis, & vermis similiter, qui comedunt, & deuorant illorum corpora, licet quidam falso dixerint corpus aereum esse post generalem resurrectionem, & in tenues auras dissoluendum.] Atq; id non modò Scripturæ, sed & rationi congruentissimum cēseo. Meritò enim dæmones, & praui homines, in creatorem suum, irrationabilibus bestijs deteriores effecti, qui Dei ipsius, Beatorum spirituum, ac sanctorum consortio, frui poterant in cælesti regno, non solùm mutuæ consuetudinis, immundæ, spurcæ, ac odiosę, molestias sentiunt, verùm etiam iustè cum sordididis illis, vilissimisquè animalibus sociati, æternos perferunt cruciatus in inferno.

Bernar.de Busto. T. 2. Sermonum Serm. 21. Non contemno autem, quanquam hæc sint, eorum existimationem, qui immortalis vermis appellatione, accipiunt etiam truces spiritus, uermium, serpentum, uiperarum, tigrium, & aliarum immanium bestiarum speciebus, damnatos diris modis uexantes: vtrumq; enim sensum Scriptura admittit. Fortè huc alludit illud Esaiæ, si mysticè exponatur. *Erit cubile draconum, & pascua strutionum. Et occurrent dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum &c.* Is. 34. Id etiam mihi sonant uerba illa Anselmi. [Vermes immortales, idest serpentes, & drcaones, uisu, & sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita uiuunt in flamma.] Ex hoc pariter uermium genere fuerunt igniti ill. serpentes (si fides est narrationi) quos Theophilus Sergius, & Hyginus; uiserunt in eo lacu, ubi Christianæ fidei desertores cruciabantur. Anel. in Elucid. In vita S. Macharij.



CAP.

CAP. XXXII.

Vermes in inferno non corrumpi, vel rursus progigni, sed immortales à Deo seruari. Etiam renouato mundo ibi futuros. Non sequi, fore in Patria suaues auiculas, licet immundi vermes sint in gehenna.

DEGIT immunda hæc uermium colluuies inter medias flammas, non secus ac pisciculi in limpidissimis fontibus: neque tamen uel ignis ardore, uel frigoris acerbitate extinguitur. Potuissent diuino nutu huiusmodi bestiolę perpetuo quodam ortu, & interitu progigni, & corrũpi: at uerisimilius est, in eo loco, ubi immortales futuri sunt cruciatus, diuina ui, immortalia esse cruciamenta, unde legimus *vermis eorum non morietur*. Incredibile id non uideatur, cum naturaliter alia animalia in igne, quasi in proprio solo uiuant. Nota sunt, quæ feruntur de Salamandra, licet dubia apud aliquos. Guagninus scribit, in quibusdam Moschouiæ partibus, esse altissimos mõtes, qui ad Aetnæ similitudinem flammas semper eructant, fouentq; in ignibus Salamãdras. Proditum est ab alijs ex igne Pyrogones, seu Charystias gigni, in igne uiuere, ignem ipsum loco alimenti habere, deniq; adeo amare hoc elemẽtum, ut emoriantur illicò, si è flammis extrahantur. A D. Machario seniore, S. Antonij discipulo, scriptum reperio, in certis montibus ignes emittentibus, animalia degere ouibus similia, quæ à uenatoribus ferreis rotis confectis, atq; proiectis in montis fauces amis, inde educuntur. Addit Macharius, animalibus illis ignem esse loco pabuli, potus, quietis, incrementi, uitæ, omnium deniq; rerum. Idem ipse Deus, qui eius temperamenti fecit horum

Enodantur difficultates.

Esa. vlt. Marci 19.

Alexander. Guagn. in descrip. Mor cho. c. 2. Aelian. l. 2. c. 2. Solin. c. 17. Arist. l. 5. Hist. animal. c. 19. Plin. l. 11. c. 36.

Macharius Senior Hõ. 14. Tom. 2. Bib. vit. Pat

horum animalium naturam, ut sustinere ignis vim possent, transfigerentq; in eo congruens sibi vitæ spacium, seruat incolumes in ardentissimis gehennæ ignibus cruciantes vermes, atq; vt illis ad vitam non est opus pabulo, quod ingeratur in intestina, & concoquatur, sunt enim Dei hostes eorũ esca, ita nunquam deficient, aut morientur, sed tandiu supererunt, quandiu materiam habebunt, quâ pascantur, quæ proculdubio futura est sempiterna: ut enim igne eam comburente non absumitur, sic uerme corrodente, nihil minuitur.

Soluitur argumentum S. Thomæ allatum cap. 29.

Neq; uerò ab hac ego opinione dimoueor, quòd extincto per ignem mundo, nihil superesse debeat, quod aliquo modo particeps non sit incorruptionis, & immortalitatis: Nam demus ea tantùm non esse penitus absumenda vniuersali incendio, quæ nõnihil immortalitatis, & perpetuitatis habent: uniuersale tamẽ hoc decretum meâ sententiâ nõ respicit eum locum, ubi nihil innouabitur, nisi ad maius supplicium. Ignis inferni fœculentus est, & impurus, atq; in sulphure, & pice uiuit, quæ sunt mixta quædam, imperfecta licet. An ignis ille ad suam puritatem reducetur? Elementa omnia post mundi finem, in suis sedibus erunt, ac si quæ particulæ, alibi hodie detinentur, tunc in proprium locum restituentur. An ignis inferni in concauum Lunæ deferendus? Fatendum ergo, Sancti Thomæ uestigijs insistendo, nihil in hoc sæculo (quod innouandum est, ut pulchriori forma, ac uenustiori specie, sine ulla prorsus uarietate consistat) futurum esse post eius innouationem, quod corrumpi, extinguiue penitus possit: ueruntamen in Gehenna nihil immutandum eorum, quæ Deus ibi ab origine mundi parauit ad cruciandos malos: nam eò non penetrabit ignis, quo uniuersum hoc purgandum est, ut mundet, aut innouet quidpiam; quãquàm eò confluent, ut multi doctores tradunt, totius orbis, ac elementorum omnium fœces, & purgamenta, quæ, si in eo æternæ pœnæ carcere, æternùm perseuerabunt, licet naturâ suâ corruptibilia, durare, & uermes poterunt diuino imperio, maximè cum impiorum carnes, dilaceran-

dæ

dæ uermibus, ibi perpetuò futuræ sint.

Non est autem omittenda ea difficultas, quæ petit, cur si cogitemus adesse in inferno vermis molestiam, non dicamus è contrario, in cælesti regno, vbi nihil voluptatis, nihil gaudii deest, dulces aues, quæcunq; illæ sint, suauissimis cōcentibus, ac iucundis motibus lætitiam ferre beatis. Accipe causam. Deus, qui homines beatos efficit, est infinitum quoddam bonum, continetq; in se se quidquid boni, quidquid iucundi cogitare potest mens humana, satiantur itaquè plenè Beati cum Deo perfruuntur, nec habent, quid præter Deum concupiscant, cum quidlibet, præter Deum, à summo bono deficiat. Quamobrem, licet ipsa, quæ voluptati esse possunt, animalcula desint in cælo, non deest tamen oblectamentum ipsarum, cum adsit ibi Deus beatitatis obiectum, omnisquè voluptatis fons, & origo. In Gehenna verò, quanuis existat ignis, qui summos infert cruciatus, certum tamen habet, limitatūq; agendi modum nec vnus ipse omnes pœnas irrogat damnatis: aliæ enim numerantur in diuinis litteris, tenebræ stridor, frigus, & vermes ipsi, quos non absurdè cogitamus esse in gehenna, vbi puniuntur illi, qui à dictamine rationis recesserunt: absurdum tamen esset cogitare, in felici Patria, quæ sedes est Dei ipsius, ac Sanctorum, adesse irrationalia animalia, etiam munda, & delicijs plena, quæ nihil beatitati, ac puris mentibus habent affine.

Non sunt in cælo suaues animiculæ, etsi in gehenna adsint molesti vermes.

LI CAP.

CAP. XXXIII.

An certa pœnarum genera, de quibus nonnulla visiones, & aliqui in vitam reuocati, in gehenna sint eo modo, quo narrantur: veluti lignorum strues, ferreæ catenæ, horrendi leones, tubæ terribiles, iniucundi potus, & cibi, flagella, præcipitia, & alia huiusmodi.



VID existimandũ de varijs suppliciorum generibus, quæ aliquando ecstatici cognouerunt, & nonnunquàm ab ijs narrata sunt, qui in mortalem vitam restituti fuere? Moneo, nequis vetularũ fabulas sibi de inferis persuadeat, multa huiusmodi inter legẽdũ, apud authores fide dignos sæpe occurrere, quæ metaphoricè accipienda sunt, ex eorum sententiâ conscripta, quibus, aut aliquid de illis diuinitùs reuelatum, aut concessum, vbi semel mortui essent, vt in vitam, diuinâ gratiâ, reuocati, ea mortalibus patefacerent. Huc refero ingẽtes lignorum pyras, ferreas catenas, puteos, ęneas tubas, quibus dęmones horrendo sonitu damnatos excitent, ignitas sartagines, tremendos leones, insuaues epulas, amarissimos potus, ardentia diademata, & subsellia, & si quę talia sunt.] Ignem, ac reliqua cruciamẽta, de quibus diximus, haud metaphorica censentur, etiamsi afficere debeant spiritus, quòd ea nobis à Scriptura proponantur, atque à doctoribus inter proprias damnatorum pœnas numerentur. At nihil cogit existimare, propriè ibi esse ingentem lignorum rogum, vbi ignis haud nutritur lignis, fasciculos catenarũ, vbi spiritus carent corpore, sonitus tubarum, vbi non adsunt aures: sartagines, in quibus animæ torreantur, vbi ardet immortale incendiũ, leones, aut tygres, vbi carceris angustiæ uix capient corpora damnatorum, cibos, & potiones ingratas, vbi spiritus,

tus,aut nudæ animæ palatum, ac linguam non habent, neq; corpora ipsa malorum iuncta animabus,his indigebunt diademata,aut scamna,vbi cruciãdi vallabuntur vndiq; flãmis. Nihilominus hæc, neq; veritati aduersantur, neq; vana sunt, vel inepta, cum similitudines quædam sint eorum cruciatuum,quibus in gehenna afficiuntur iniqui. Inferorum supplicia, quanquàm sensibilia, quanquàm corporea, longè superant, acerbitate sua, humanum captum: nec enim planè auris audiuit, vel in cor hominis ascendit, quæ præparauerit Dominus inimicis suis. Iure igitur obijciuntur ista aliquando mortalibus sub ijs rerum imaginibus, quæ adumbrare æternæ pœnæ miseriam possunt. Sic etiam cælestis Patria sępe describitur veluti regia quędam ciuitas, aureis constructa palatijs,omnibus cumulata bonis,qualem pinxit Ioannes in Apocal. fęlicis etiam eius regni solennes mensæ in Scripturis celebrantur: sic incorporeis spiritibus corpora, alasq; aptamus: sic Prophetæ ipsi Diuinam naturam pingentes, ei humana membra tribuerunt. [Anima (inquit Chrysostomus) quæ coalita est corpori, & nihil vnquàm vidit incorporęum, & sensibilibus inhiat, ab ijs quæ videntur, ad ea, quæ mente comprehenduntur deduci opus habet; vnde & prophetis de Deo loquentibus opus fuit humanorum membrorum meminisse, non vt illam naturam à corruptione, & interitu alienam ad membrorum figuras formarent, ac effingerent, sed vt animam cum sensibilibus in corpore nutritã, ex humanis docerent secreta, quæ sunt supra hominem.] Haud equidem confero cum incogitabili, & incomprǽhensibili Dei natura, aut cum puris Angelis, aut cum epulis mensæ cælestis, gehennę cruciamẽta; fugiunt illa omnino humanum sensum, hæc verè sub sensum hominis cadunt. Verùm contendo, reuelatas aliquando nonnullis inferni pœnas, vt eas mortalibus denunciarent, non esse in gehenna ea ratione, quâ verba significant, quibus denunciantur, sed exprimi imaginibus, & figuris eorum, quæ in præsenti vita sunt omnibus nota, vt homines intelligere aliquo modo possint futurę tormenta: nec enim aliter ea cognoscerent, rebus, ac

Lucæ 22.

Chrys. hom. in Psal. 43.

verbis hîc deficientibus, quibus planè cognoſcantur. In hãc ſententiam Gregorius, relata Reparati viſione immenſę cuiuſdam pyrę ad cremandum Tyburtium in inferno paratę, ait. [Rogum verò conſtitui Reparatus vidit, non quod apud infernum ligna ardeant, vt ignis fiat, ſed narraturus hęc viuentibus illa de incendio prauorum vidit, ex quibus nutriri apud viuentes corporeus ignis ſolet: vt per hęc aſſueta viuentes diſcerent, quid de inſuetis timere debuiſſent.] Huc etiã ſpectat Petri Cluniac. ſententia de ijs, quę neſcioquis morti, ac ęternę damnationi proximus viderat, nimirùm de leonibus proprio capiti inhiãtibus, de ignis torrentibus, atq; ardẽti ſartagine, quorum cauſam dum inueſtigat inquit. [Facit hoc pia conditoris miſeratio, qui cernens corporalium rerum obiecta, interiorem mentis humanę oculum excæcatum, quædam de ſpiritualibus rebus etiam per carnem quibuſdam innoteſcere pręſtat, vt ad amanda, ſiue timenda inuiſibilia hoc ſaltem remedio vel admoneat, vel compellat. Quid enim aptiùs ad fidem fidelium inſtruendam, quam hominem in carne viuentem, & hic integra mente colloqui cum hominibus, & ibi ſpiritualia cernere cum ſpiritibus. Quid ſanè Leones tremendi, quid flammeus torrens, quid ignita ſartago aliud, quam de veritate rerum inuiſibilium nullatenus dubitare, & horrendum eſſe in manus Dei viuentis incidere, malè ſecuros admonebant. Neq; enim credendum eſt alibi, quàm in pręſenti ſęculo quarumlibet ferarum genera commorari, aut vbi nulla metallorum materia eſt, ferreas ſartagines fabricari. Sed quia terror ſupplicij futuri, nonniſi per uerba uſitata, uel per expertarum rerum imagines hominibus adhuc in carne uiuentibus poteſt oſtẽdi, placuit Deo per tales corporum ſimilitudines oſtendere, quid exutę corporibus animę, prauis exigentibus meritis, cogantur tolerare.] Hugo etiam Victorinus probat, longè aliter ſe habere uaria cruciamenta in inferno, atquè ab ijs explicentur, qui ea vel per reuelationes, uel ad breue tempus exuti corpore, intellexerunt. [Sed & ipſas animas, inquit, adhuc in corpore poſitas ante exitum, multa aliquando de ijs,

Greg. 4. Dial. c. 31.

Petr. Clun. l. 1. Mirac. 13.

Moneo, Cluniacenſem nimis generatim loqui, nõ enim omnia inferni tormẽta ſpiritalia ſunt, & inuiſibilia.

Hugo Vict. l. 2. de Sacram. c. 2.

quę

quæ futura sunt super eas, siue ex responso conscientiæ interioris, siue per reuelationes exterius factas præsciſſe cognoſcimus. Raptas enim aliquando, & iterum ad corpora reductas, viſiones quaſdam, & reuelationes ſibi factas narraſſe ſiue de tormentis impiorum, ſiue de gaudijs iuſtorum, & in his omnibus tamen nihil niſi corporale, vel corporalibus ſimile recitaſſe, flumina, flammas, fontes, naues, nemora, prata, flores, & qualia in hoc mundo videri, & haberi ſolent, vel ad gaudium amari, vel timeri ad tormentum. Se quoq; ſolutas manibus trahi, pedibus deduci, collo ſuſpendi flagellari, præcipitari, & alia huiuſmodi, quæ nonniſi corporali naturæ conuenire omnino poſſunt. Quæ omnia ſi illic viſibiliter, & corporaliter eſſe credimus, præter alia, quę abſurda naſcuntur, ipſas quoq; animas à corporibus ſeparatã, corpora eſſe ad ſimilitudinem corporum membris compactas, atq; diſtinctas, confitemur]. Ait autem, hęc ſub hiſce verborum metaphoris, diuina diſpenſatione, animabus oſtendi, vt capere ea faciliùs poſſint mortales, quibus proponendę ſunt. [Animabus (ait) à corporibus egreſſis ſigna quędam corporalibus ſimilia pręſentantur, quoniam, niſi in talibus, & per talia ab animabus corpore exutis viderentur, nullo modo ab eis ad corpora reuerſis, in corpore uiuentibus, & corporalia tantùm ſentientibus dicerentur. Quanuis enim illa aliter ibi à corporibus exutę videri poſſent, non tamen hic nobis aliter narrare poſſent; Et manerent ſemper occulta illa, nec eſſet, quod de illis nobis à redeuntibus diceretur, niſi exeuntibus, & videntibus ſecundùm iſta monſtrarentur.]

Ideſt eo modo, quo narrantur, aut modo corporum: aliter adhibenda cenſura notata ad locũ Petr. Cluniac. Nam certum eſt ſẽſibiles, & corporales eſſe animarũ cruciatus licet neq; animæ habeant corpora, neq; videantur oculorum ſenſu.

CAP.

CAP. XXXIV.

Indicatum alia in inferno esse pœnarum genera ignota nobis. Quòd explicata hactenus haud sint vana terriculamenta ad continendos in officio mortales excogitata.



INIS imponendus libro, licet hic finem non habeat tractatio de multiplici inferni cruciatu. Scholastici memoratis pœnis alias adiungunt, ac reuocant vniuersas ad octo capita, ignẽ inextinguilem, vermem immortalem, molestum fletum, tenebras palpabiles, fœtorem intolerabilem, stridorem dentium, aspectum dęmonum horribilem, atquè corporis flagella, quę duobus hisce carminibus summatim describuntur.

Vermes, & tenebra, flagellum, frigus, & ignis,
Dæmonis aspectus, scelerum confusio, luctus.

Idem ferè tonant illa.

Vincen Bur. spec.hist.lib. 31.c.106.

Nix, nox, vox, lachryma, sulphur, laquei, sitis, æstus,
Malleus, & strider, spes perdita, vincula, vermes,
Esse, carere Deo, carcer, confusio, cura.

Nos exequuti illa sumus, quæ hoc loco muneris ratio postulabat, ea nimirum, quæ existunt in cauitate inferni à damnatis, & malis spiritibus distincta, qualia sunt, ignis, fœtor, frigus, tenebræ, vermes. Fletum, stridorem dentium, dæmonum horrendas formas, illatos ab ijs cruciatus, animi angores, ac alia supplicia, quæ ad internas damnatorum pœnas spectant, aut infliguntur à tortoribus Angelis, in aliud Volumen reseruamus, vbi explicabimus dæmonum cruciandi munera, atq; agemus de statu malorum, tum exuto corpore, tum assumpta immortali carne, ad immortales cruciatus. Non dubito quin alia etiam supersint ignota nobis pœnarum genera, in illa tormentorum officina, ubi nihil deest,

quod


quod inferre improbis molestiam possit. Hæc nota Deo ipsi, & illis, qui eorum acerbitatem experiuntur. Mortales assequi illa non possunt, quod Ethnicus ille intellexit, cum cecinit.

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum Virgil 6. Aeneid.
Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Nollem autem, quem adeo desipere, more quorundam gentilium, ut persuadeat sibi, hæc, quæ à nobis, duobus hisce libris, ex diuinis litteris, pijsq; doctoribus, de inferno, & eius cruciatibus scripta sunt, vana quædam terriculamenta esse, ea arte excogitata, vt mortales virtutem sectentur, ac abhorreant crimina; cæterùm huiusmodi cruciamenta, haud verè destinata esse à clementissimo Deo in tormentum mortalium, eius misericordiã non ferente, vt adeo sæuiat in rationalem creaturam. Hominis est, qui Deum nesciat id suspicari. Finxerint aliqua de inferis gentiles, poetæ maximè, de quorum fabulis fortè cogitabat Tullius cum scripsit. [Vt aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quædam illi antiqui supplicia constituta esse voluerunt.] Hi homines erant, qui mendacijs non parcebant, vt Principum gratiam aucuparentur, atq; id omne mãdabant litteris, quod gratum illorum auribus fore intelligerent, sæpe etiam mentitam Tyrannorum Deitatem prædicãtes, vt eos populi colerent, ac vererentur. At ab incorrupta sacrosanctæ scripturæ veritate, quam dictauit Deus ipse, qui misericors est, & iustus, ac veritas ipsa, longè abest huiusmodi suspicio: ruerent enim integra earum fides, si vel in puncto argui mendacij posset, atque quod caput est, dum ais, aliquid ibi fictum ad conformandos mores, Deum mendacem facis, & non leuem coniecturam proponis existimandi, cõmentitia esse, quæ de cælesti regno, ac bonorum æterna fælicitate in Scriptura dicuntur, quandoquidem talia sint, quæ de malorum supplicijs ibi scribuntur. [Si falsum est (inquit Gregorius) quod minatus est, vt ab iniustitia corrigeret, etiã falsa est pollicitus, vt ad iustitiam prouocaret. Sed quis hoc

Cicero in Catilin.

Greg. 4. Dial. c. 42.



GENTILIVM DE INFERNO, EIVSQVE SVPPLICIIS SENTENTIAE.

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Nonnullas Indiarum gentes infernum, animæquè post mortem statum penitus ignorare.

GENTILIVM de inferis placita, nobis explicanda proposuimus tertio libro, vt non modò lector haberet, quid catholici doctores de infelici illo carcere, eiusquè miserijs, adiuuante fidei luce, cogitarent, sed etiam intelligeret, eos ipsos, qui in tenebris infedilitatis obuersantur, innato quodam instinctu, agnoscere quendam futuræ vitæ statum; atq; licet eorum opinamenta plerunq; plena sint erroribus, & fabulis (sola enim lux Euangelica, quam docuit Veritas ipsa, nihil habet admixtum caliginis, vel tenebrarum) certis-

ſimè tamen ſibi perſuadere, vnumquemq; pro meritis, exuta mortalitate, gaudijs, aut ſupplicijs ſupereſſe. Scilicet non minus videtur vulgata apud omnes ferè nationes, perſuaſio quædam inferni, hoc eſt peſſimæ malorum conditionis poſt mortem, quàm exiſtimatio illa, quòd animæ hominum viuant mortuo corpore, ac inſita mortalibus cognitio diuini cuiuſdam numinis, quæ adeo communis eſt, vt ſcripſerit Tullius [Nulla eſt tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non inſideat hęc perſuaſio Deum eſſe]. Quis ergo cū cogitet, improbam animam ſupereſſe poſt mortem, atquè Deum quendam eſſe, iuſtiſſimum, ęquiſſimum, ſimul non intelligat, illis acerba ſupplicia parata eſſe, quibus malè actorū pœnas perſoluant? Peruoluamus monimenta eorum, qui mores, & ingenia illarum gentium perſequuntur, quę à reuelata veritate remotiſſimæ degunt, intelligemus profectò, communi perſuaſione, inſitum omnibus ferè eſſe, hinc aliò migrare animos, vbi in lętis, vel triſtibus viuant: quanuis reperiantur nonnulli (tanta eſt mortalitatis cęcitas, lumine fidei orbatę) qui, ut nihil à belluis diſtātes, Deum neſciunt, ac immortalis animi naturam, ſic de futura uita nihil omnino ſuſpicantur. Quod non uidetur multâ admiratione dignum, cum etiam in ijs regionibus, quę euangelicis radijs illuſtrantur, adſint hominum monſtra, qui Deum ipſum, & inferos, aut ignorant, aut ſcire diſſimulant. Quoniam uerò, quę de inferorum ſupplicijs Gentiles cogitant, ea, aut frequenti populorum opinioni inſident, aut eorum decretis continentur, qui ſapientiores inter illos habiti ſunt. Agemus in primis, quid ſine uera fide uariæ nationes de inferis exiſtiment: tum philoſophorum, aliorumq; ſententias exequemur, qui celebriores apud ethnicos ubiq; fuerunt. Et quidem aliqui apud Indos quorū opiniones aliquot capitibus perſcrutabor, nihil omnino credunt de bonorū, ac malorū locis. Sinēſes quoſdā hęc caligo obumbrat, eos potiſsimùm, qui Litteratorum ſectā ſequuntur, de quibus hęc ſcripſit Frater quidam Minor ad Thaſium. [Quod uerò, inquit, ad religionem ſpectat. Sinę Athei ſunt, maximè uerò litterati, quare parum aut nihil cu-

Cic. 1. de nat. Deorum. Similia ſcribit Cyprian. de vanit. Idol. trac. 4. & Damaſc. l. 1. fid. Ort. c. 1.

Noui Orbis incolæ.

In Ep. Iapō. quas In Hayo collegit.

rant, vtrum ne simulacris diuinus cultus exhibeatur, etsi plerique eorum domi parua idola habeant, & toto in regno delubra sint, & templa Dijs dicata, quibus præsunt Bonzij; Atq; vt Athei sunt, & omnia mortali hac vita definiunt, sic nulla de futura illis cogitatio, nec de animæ immortalitate iustorum præmijs, aut damnatorum post hanc vitā pœnis pro merito, quorumcumq; disputant.] Nicolaus Trigautius de Litteratis similiter tradit, existimare nōnullos, virtuti præmium, peccato pœnam manere, at in hoc mundo tantùm; dū adhuc supersunt, volunt enim eundem esse corporum, animorumque interitum: alios vero cogitare improborum quidem animos, veluti vitijs, ac sceleribus attenuatos, extingui cum corpore: at proborum, virtutis ope, superesse, eo extincto.] In hac lege litteratorum (ait) de prœmio bonorum, ac malorum sermo est, sed ferè arbitrantur in hac vita dari, & vel in auctorem, vel in eius posteros pro meritis redundare. De animis immortalibus antiqui vix videntur dubitasse, nam de vita mortali functis, & in cœlo degentibus diu etiam post mortem sæpe sermonem inserunt. Sed de impiorum apud inferos pœnis nullus sermo. Recentiores porrò litterati, animos vna cum corporibus, aut paulò post extingui putant, vnde neque probis cælum, neq; improbis inferorum cruciatus assignant. Quibusdam hoc nimis durum videtur, ideo asserunt solos proborum animos esse superstites, ex eo quod animos hominum dicant exercitio virtutum roborari, & ita vniri, vt ętatem deinde ferant, quod cum improbi non possint, eorum mentes mox vt è corporibus exierint euanescere, & velut in fumum redigi]. Petrus etiam Maffæus de Chinensibus. [Sunt, (ait) qui omnem de Dijs ac spiritibus planè, & impunè derideant: vnum esse interitum hominum, ac iumentorum, neq; post mortem restare quicquam omnino arbitrentur.]

Nic hol. Trigaut. l. 1. exped. Sin. c. 10.

Lex litteratorum apud Chinenses infernum tollit.

Maff. histor. indic. l. 6.

Inter Iaponios, qui cœterorum magistri censentur, nihil illi quidem credunt de futura vita, sibi persuadentes mortalem esse hominis animum, licet ad continendos in officio rudes, quædam de pœnis inferni illis denuncient. [Magistris

Ioponiorum sacerdotes non credunt aliam vitam.

Mm 2 reli-

Petrus Maffæus l. 12. Hist. Indic. religionum, ac sapientiæ (inquit de Iaponijs elegantissimus Indicæ historiæ scriptor) vtuntur Bonzijs, hi vario alioquin dogmate, mendacijsquè, omnes tamen (quod facili negotio deprehendas) in tollenda pariter Dei prouidentia, & animorum immortalitate consentiunt. Inter docendum interest, quòd impietatem hanc pauci palàm, & promiscuè cunctis hominibus, alij nonnisi nobilibus, & dynastis ex arcano tradunt: vulgus ac multitudinem tartari metu in officio continendam affirmant.]

Nigritæ nullam religionem habēt. Hugo Lintscotanus 2. p. Ind. Oriēt. c. 4. Nigritæ ex Mossambica, qui ad littus Aetyopiæ habitant, ac Caffres vocantur, idem opinantur: viuunt enim more planè belluino, sine vlla religione, nihil de Deo cogitantes, cuius ne similitudinem quidem habent. Alij earũ terrarum anguli simili caligine non carent.

CAP. II.

Generatim probatum apud Chinenses, & Iaponios, quandam esse de inferno, & eius pœnis persuasionem.



ANGVLI inquam: cum enim latè pateant, longeq; protendantur eæ regiones, haud vniuersi accolæ in hac cæcitate sunt. Immò audio Chinenses in vniuersum animorum immortalitatem nosse, nec vllatenus dubitare, quin post mortem boni degant in cœlis fœlicissimè, ac mali in obscuris carceribus acerbissimè crucientur. Ioan. Gonz. in Chin. hist. l. 2. c. 6. Ital. Ioannes Gonzales in sua Chinensi historia, hæc fermè tradit. Aiunt, ac tanquàm certum, & indubitatum affirmant, animas à cœlo originem trahere, nec vnquàm finem habituras, cum ab eo acceperint, vt æternùm viuant. Quæ vero iuxta præscripta legum vixerint, dum in corporibus degent, quibus eas Deus associauit, nec mali quid fecerint, aut damnum irrogauerint proximo, hæ ducentur in cœlos, atque fient Angeli, vbi in deli-

delicijs, ac voluptatibus, fruentur æterno æuo: è contrario, quæ turpiter vitam egerint, ad caliginosos carceres deputabuntur, vbi acerbè torquebuntur cum Dæmonibus. Testatur etiam Petrus Maffeus Sapientioribus persuasum esse restare improbis calamitates post mortem, licet Pytagoræ fabulas admisceant. [Qui sapientiores habētur (inquit) ij arcanis, & quæ non temerè vulgent decretis, Pytagoræ fermè somnia de transmigratione animorum sequuntur, & pro meritis actæ vitæ sua cuique præmia, & supplicia ex communi omnium gentium opinione constituunt, sedesq; fingunt refertas cunctis ijs, quæ vulgo ad fœlicitatem prima, vel ad miseriam extrema.] Nicolaus Trig. à quo etiam accepimus Sinenses nonnullos, nihil de inferis post mortem cogitare, tradit, sectam, quam Sciequiam appellant, bonis regna cælorum, malis Inferos assignare, quanuis similitudinem quandam eorum philosophorum stultitiæ hauserit, qui cogitarunt, animas elapso aliquot annorum interuallo in mortalē vitam restituendos: vult enim post certum annorum curriculum, animos malorum iterum renasci, ac in aliquo mundo collocari, illisq; si probè ibi vixerint, condonari flagitia. [Probis, ait, in cælo præmia, improbis apud inferos pœnas assignat.] Et paulò post.] Terram, ac cælum, præmiorum, pœnarumq; locum confuderunt, in neutro quippe animas æternitati addixere, sed eas post aliquot annorum spacia denuo renasci iubent in aliquo ex ijs, quos plures statuunt terrarum orbe, ijsq; tum præteritorum scelerum pœnitentiam indulgent si se correxerint.]

Petrus Maff. l. 6 Hist. Indic.

Nicol Tr. l. 1. exped. Sin.

Persuadent etiam mihi horrendæ inferorum delineationes, quæ apud Chinenses extant multis in locis, insitum illis populis esse, acerbas pœnas manere improbis post mortem. Illa celebris est, quæ in ampla regij cuiusdam palatij visebatur, partim in lapide, latereq; incisa, partim coloribus picta in pariete. Eam ex Nicolao Trigautio huc inseram: quanquàm enim sit absurdissimis referta fabulis, simulachrum tamē quoddam veritatis apud illas gentes superesse, non obscurè significant. [In aula primaria, scribit Trigautius, ara

Trig. l. ult. exped. Sin. c. 11.

erat

erat ingens è lapide, latereq; pereleganter laqueato, rubeus aram tingebat color ex more fanorum: priuatas enim ædes hoc vti colore fas nō est, super mediam aram monstrum ingens sedebat, horrenda mole, luteum, sed à capite ad calcem inauratum, id Sinæ Ticam vocant, quod telluri, thesaurisq; præesse fabulantur. Pluto denique veterum est, manu sceptrum, in capite coronam, vtrumque nostrorum regum insignibus non absimile gestabat. Vtrimq; stabant quaterni ex eadem materia ministri: ad vtrumq; aulæ latus positæ erant grandiores mensæ duæ, singulę quinos habebant inferni regulos. In utroque pariete picti uisebantur ijdem reguli pro tribunali considentes, qui reorum scelera, pro suo quisque foro Stygijs pœnis demandabant. Ante eos stabant Dæmones permulti terribiliores, uel figura, uel pœnarum instrumentis, ijs ipsis, quos pingimus: nihil enim mirum si se ipsos ad uiuum effingere docuerint. Inferorum quoq; pœnæ miseros ita torquent reos, ut uiuis horrorem incuterent, nam alij in lectici ferreis torrebatur, alij ferventi oleo frigebantur, alij in frustra discerpebantur, alij medij secabantur, alij à canibus lacerabantur, alij tormentis excruciabantur. E Regulis primus scelera cognoscebat, quę illum in obiecto speculo cernere fabulabantur. Ab eo rei ad cœtera tribunalia Regulorum, pro scelerum uarietate dimittuntur. Ex ijs pręerat unus illis, quorum crimina transmigrationę plectuntur, nam sæui in tygres spurci in porcos pro scelerum similitudine demigrabant: nonnulli etiam quorum leuiores erant culpę in pauperum, ac plebeiorum sortem transibant: toto enim hoc regno Pythagorica Metempsychosis mirè recepta est.] Et paulo pòst. [Alia in parte depicta erant inferorum antra, flāmis serpentibus, dœmonijs horrenda: ad ęneas eorū portas accedebat nescio quis Idolorū minister, qui matrem inuitis Dęmonibus flāmis eripiebat. Hęc Trigautius, ex quibus intelligitur, Sinas habere pro certo reddendam esse, unicuique post mortem anteactę uitę rationem, atq; eos qui scelerate uixerint à Dęmonibus cruciandos, dilacerandos, ac in antra flammea impellendos esse, quę sine (quamuis uerum, & germanum iudicem

Poetar um fabulæ de inferno apud Sinas.

Pythagoræ omnia.

Sinæ Iudicij vniuersalis vestigiū habent.

iudicem ignorent, ac aliquibus eas pœnas comminentur, quę à somnijs Pytagorę didicerunt) haud absimili ratione expresserunt ab ea, quâ solent pictores Christiani ponere ob oculos fidelium tartareas pœnas.

Illud admiratione, ac lachrymis dignum est, persuasisse Dæmonē rudibus illis gentibus, tanta facilitate declinari posse horrendos inferorum cruciatus, vt ad eos euitandos vna Idololatria, ac ipsius Satanæ imploratio conducat, siquidem in eodem pariete erat prægrandis bilanx, in altera lance homo sceleribus onustus, in altera profanę Idolorum sectæ precum libellus, qui tot sceleribus præponderabat, suumque recitatorem pœnis eripiebat. Nec vllum acerbum adeo pœnę genus visebatur, cui inscriptum non esset. Qui talis idoli nomen millies inuocauerit ab hoc pœnę genere liber erit. Dęmoni scilicet mendacissimo familiares doli, vt insinuet suis hostibus, ijs maximè fœlicitatem se consequi posse, quibus trahuntur in summam miseriam: ac homines sceleribus quanuis onustos, facilè ab ęterna damnatione eripi, vt frequentiùs in eam labantur. Sinensium placita de religione, & animę post mortem statu, alijs ferè Indis communia sunt.

Verba Tricautij.

Iaponijs etiam aliquid innotescit de inferorum supplicijs, Bonzij enim inter concionandum, sęuas inferni pœnas auditoribus proponunt, tanto spiritu, vt lachrimas nonnunquam eliciant, quemadmodum lego in Epistola Francisci Xauerij, cuius hęc sunt. [Iidem (scilicet Iaponij cœnobitæ) ad populum quintodecimo quoq; die verba faciunt sanè frequentem, & inter dicendum, grauissimas inferorum pœnas, cruciatusq; depictos in tabula auditoribus proferunt. Cuius acerbitate spectaculi, vsq; ad eiulatus, & lachrimas fœminę pręcipuè permouentur.] Miserrimi hominum, qui alijs proponunt, quod ignorant ipsi: hęsitant enim Bonzij de animę immortalitate, vt idem Xauerius, cum ijs hac de re disserendo, didicit, atque ex Petro Maffæo capite primo retulimus.

Apud Emanuel. Acos. L. 2. Ep. Ind. ex Malach. 10. Kal. Iun. 1549.

Vbi sup. Cangoxima, 1549.

CAP.

CAP. XXXIII.

Quid Peruani, Brasilienses, ac Virginiæ gentes de pœnis inferni cogitent.



VNC singillatim aperiamus quasdam aliorum populorum eiusdem gentis opiniones de inferno. Ex India Occidentali tres nationes insigniores seligo, Peruanos, Brasilienses, & eius terræ, quam Virginiam vocant, accolas. Peruani animę immortalitatem norunt: consequens est, vt quendam eius statum voluptatis, vel mœroris superesse post corporis interitum, non diffiteantur: aliquid etiam de resurrectione corporum opinantur: enixè enim petebant ab exteris, qui in eas regiones ierant, ne ossa humatorum, auris famæ, dissiparent, quo videlicet illi ocius, & minore negotio resurgerent. Indi Peruanam regionem habitantes, licet nihil hil de resurrectione suspicentur, fatentur tamen pijs hominibus æternam vitam, impijs perpetuam damnationem manere post mortem.

*August. Zarat. hist. Peru L. 1 c. 12. Americæ parte nona l. 5. c. 7.

Brasilienses cogitant improbos post mortem cruciari, licet deum ignorent.

Ioan. Leerius 3. p. Americæ Nauig. Brasil. c. 16.

Brasilienses, gens fera, & barbara, adeo cęci sunt in rebus ad religionem spectantibus, vt non modo verum Deum ignorent, sed nullam prorsus etiam falsæ religionis, aut cuiusuis mentiti numinis memoriam retineant, ij maximè, qui in regione Tououpinambaultiorum degunt, de quibus hęc Ioannes Leerius. [Parum absunt, quin brutorum instar viuant, nec vlla gens est in toto terrarum orbe, quæ sit à religione magis aliena. Verum Deum ignorant. Nullos quoq; Deos falsos, siue cælestes, siue terrestres agnoscunt, nec colunt, ac proinde locum vllum publicum, in quem religionis ergo conueniant, non habent.] Quis hinc non conijciat crassam immortalitatis animę ignorationem. [Attamen (subiungit idem author, vt exponam quantulum lucis inter densissimas tenebras quibus obcœcantur perspexerim.

Affirmo

Affirmo eos non modò immortalitatem animæ credere, sed pro certo, quoq; habere post mortem eorum animas, qui virtutem coluerint (virtutem autem illi definiunt suo more, nempe vltionem sumere de hostibus, & quamplurimos mactare) post altissimos montes euolantes, patrum, & auorum suorum animis aggregari, ibiq; in amœnissimis hortis, perpetuis delicijs, ac tripudijs perpetuum æuum agere (hæc est longa Socratis peregrinatio, hi Poetarum campi Elisij) Ignauorum contra manes, qui sine vlla propugnandæ gloriæ cura ingloriè vixerunt, abripi ab Aygan (sic illi Cacodæmonem vocant) & cum eo sempiternos inter cruciatus viuere.] Caliginosũ lumen, à iurato humani generis hoste obscuratũ.

Virginiæ populi, quanquàm Idololatriæ dediti sint, pro certo tamen habent præstantissimam hominis partem viuere post mortem corporis, atq; statim eam, vel ad domicilia Deorum volare, si probè vixerit in corpore, vel si sceleratè vitam egerit, ad pœnarum, ac cruciatuum sedem, quam in Occidentali plaga constituunt ab eis remotissima; eamq; Popogusso appellant. [Animæ immortalitatem, ita legitur in tertia parte de commodis incolarum Virginię, etiam credunt, eam statim, atq; à corpore soluta est, transferri secundum opera, quæ fecit vel ad Deorum sedes ad perpetua fælicitate fruendum, vel ad ingentem fossam, seu scrobem (quam in extremis mundi finibus procul ab ipsis versus occidentem esse censent) ad perpetuum ignem, eum locum ipsi POPOGVSSO appellant.] Confirmant id certis exemplis, quæ proculdubio (si quid tale illis visum est aliquando) dæmonum fallaciæ sunt, qui mentitur defunctorum simulachra, ac rudibus illis multa persuadet ad euitandum pœnarum carcerem, quæ illos eò præcipites trahunt. Aiunt duos homines, probum alterum, alterum flagitiosum à mortuis reuiuixisse, ac docuisse mortales eorum locorum veritatẽ, & quæ illis agẽda essent, vt *Popogusso* declinarent, atq; voluptatibus in futura vita fruerẽtur. Ita habent. [Sceleratus vir cũ à morte sepultus fuisset, postridie tellus in qua sepultus fuerat moueri cœpit: terrâ erutus indicauit animam, penè in

Virginiæ gentes locũ quẽdam pœnarũ post mortem agnoscunt.

In tertia parte de Commodis incol. Virgin.

POPOGVSSO coniectam, nisi Deorum quispiam eam liberasset, atq; concesisset, vt ad suos rediret declaratura, quæ agenda essent, ne in barathrum illud conijceretur. Contra verò alter sepulturæ traditus, terraque erutus sicuti prior, affirmabat, animam suam viuere, licet corpus sepultum in sero be iaceret, illum iter fecisse procul admodùm per viam longam, & latam vtrinquè elegantissimis arboribus consitam adeo raros, & excellentes fructus ferentibus, vt similes antea neq; conspexisset, nec exprimere, quales essent posset, tandem ad splendidas ædes peruenisse, apud quas Patrem suum reperisset antea defunctum, qui illi expresse præcepit, vt rediret, & amicis significaret, quæ bona ipsis essent agenda, vt eius loci delicijs frui possent, quo peracto denuo ad se reuerteretur. Hæc tanquàm indubitata affirmant.] Quæ nam fuisse existimamus horum testium documenta? Idolatriæ, dæmonumq; cultum minimè intermittendum, sectandum vitiorum iter, virtutis nomine palliatum, benè actis supplicia, malè gestis præmia superesse.

CAP. IV.

Præcipuas Indiæ Orientalis nationes aliquid de inferno sibi persuadere. Vnde tùm Occidentales, tum Orientales Indi, quædam similia nostris didicerint.



INDIA orientalis haud est ignara, prauos homines, vbi ex hac vita migrarunt, alicubi affici pœnis. Id satis probant, quæ de Sinensibus dicta sunt, qui magnam eius regionis partem occupant. Pythagorica lues infecit plures: quotquot enim Brachmanes sequuntur religionis magistros, hi (hęc extant in nauigatione Ioannis Hugonis Linscotani) credunt omnes in vnum Deum, cuius imperio regantur omnia, & quod anima sit immortalis, sed ita tamen vt ex vno

Io. Hugo Linscotanus 2.p. Ind. Orient. c. 38.

corpore in aliud transmigret, nec esse differentiam siue in brutum, siue in humanum corpus auolet, prout quisque benè, vel malè egerit.

Indi, qui vrbem Goam habitant, haud sectantur Pythagoricum decretum, tantummodò persuasum habentes post hanc vitam, aliam superesse, vbi vnusquisq; prout gessit in corpore, bona, vel mala accipiat. Apud eundem Hugonem hæc legi.[Maxima pars Solem, & Lunam adorat: credunt tamen pariter omnes in vnum Deum creatorem, & moderatorem vniuersi, credunt etiam post hanc, vitam æternam, in qua vnusquisq; prout bona, vel mala operatus est, mercedem accepturus sit.] Indi in vrbe Goa. Io. Hugo sup. c.35.

Qui auriferum Guinææ regnum colunt, apertè credunt, vitâ functos aliò migrare, nec instat belluarum penitus interire: ignorant tamen quò pergant, quæue sit eorum conditio. [Batavi, inquit, Gotharduis Arthusdanticanus de incolis huius regni, cum ipsis conuersantes, & eos de religione sua interrogantes, quid nimirùm sentirent de statu animarum post mortem, & iudicio, & vita æterna, respondebât, se extremum iudicij diem prorsus ignorare, sed vitâ semel functos, in alium mundum migrare, at quomodo, vel quò, affirmabant se nescire, dicentes tamen, aliã esse rationem hominum, & aliam pecorum, sed qualis esset eorum conditio post mortem planè ignorabant, nescientes, an locus ille supra, vel infra terram sit. Solere tamen se partem aliquam suppellectilis assignare defunctis, vt quocumq; tandem venirent, haberent necessaria ad vsus quotidianos.] Guinææ regnum. Gothar. Arthusdan. 6. p. Ind. Or. c. 22.

In amplo Narsingæ regno hęc opinio vagatur de animabus defũctorũ: eas vel ad gloriã, vel ad pœnã duci; bonorũ prẽmia ęterna esse; at reorũ tormẽta tẽporanea, putant enim animas purgari pœnis. Idem suspicantur, qui regionem Daquen incolunt, addentes, locum improborum sub terrâ latere, atq; vbi animæ congruo tempore in eo cruciatæ sunt, rursus in alia corpora restitui. Narsingę regnum. Ferran. Lopez p.1. Ind. Orient. c.15. Ital. Daquen regnum ex Lopez sup. c.35.

Hæc habui, quæ referrem in hanc rem de præcipuis noui orbis habitatoribus, quorum mentes Cacodæmon tanta

nubium densitate obscurauit, vt natura ipsa nonnisi atram quandam, & obscuram lucem emiserit, recesserintq; radij, qui aliquando ijs regionibus splendorem tulerunt. Dissimulare non potest natura mente prædita, quin nescio quid diuini habeat expers mortis, ac nouit insanus quisq; benè bonis, malè malis iure euenire, vbicunq; illi sint. Quamobrem, cum non potuerit veritatis hostis, hanc persuasionem ab hominum cogitationibus penitus euellere, tot inseuit errores, vt vix pullulet natiua veritas: persuasit alijs Pythagorica somnia, alijs terminanda esse supplicia, alijs detestandâ Idololatriâ, ac enormibus flagitijs euitari futuræ vitæ calamitates, alijs persolutis certo tempore pœnis, rursus in vitam mortalem restituendos, alijs alia, quibus dum cæcæ gentes aures præbent, iuxta inimici vota, ruunt in fossam sempiterni cruciatus.

Quomodo Indi aliqua scire potuerint de inferno similia nostris.

Quod si quis à me petat, vnde intellexerint nonnulli ea de malorum supplicijs, quæ nostris nonnihil sunt affinia, quemadmodum ignis varia tormenta, cauernas igne plenas, à malo dæmone torqueri malos, sub terra infernum recondi, & alia huiusmodi. Ego quidem non possum non existimare, eas regiones, quæ olim ab Apostolo Thoma salutarem Christi doctrinam acceperunt, adhuc retinere quædam eius vestigia, quamuis adeo deprauata, & corrupta, vt à viro Dei impressa non videantur. Scilicet Sinæ, & Aetyopes, ac vniuersi Orientis Indi prædicante Apostolo Christi fidê ac regenerationis lauacrum susceperunt: hæc enim leguntur in vetustissimo breuiario Chaldæo, quæ subijciã ex Nicholao Trig.

Nichol. Triga l.1. exped. Sin.

[Per D. Thomam Sinç, & Aetyopes conuersi sunt ad fidem, per Diuum Thomam Baptismi Sacramentum acceperunt, per Diuum Thomam crediderunt, & confessi sunt Patrem, & Filium, & Spirituum Sanctum, per Diuum Thomam acceptam seruauerunt fidem vnius Dei, per Diuum Thomam doctrinæ viuificæ splendores orti sunt vniuersæ Indiæ, per Diuum Thomam regnum cælorum volauit ad Sinas.] Vt ergo hęc fidei nostræ dogmata, à diuino Christi præcone acceperunt, cur id ab eo pariter non didicerint, quod frequenter

quenter adeo Christus ipse, omnibus Apostolis inculcabat, animos hominum superesse post hanc vitam, bonos ad sempiterna gaudia volare in cælum, malos ad æterna mala in infimam mundi sentinam, in ardentem ignis fornacem pertrahi. Remanet adhuc apud illos quædam huiusce veritatis vmbra, quæ penitus non euanuit, quamuis interierit aliorum Sacramentorum memoria, quòd naturali quodam impetu in eam existimationem homines ferantur. Mihi etiam persuasum est, ad Occidentales Indos aliquando peruenisse Christianę religionis, ac pietatis fidem. Eâ vtor coniecturâ, quòd superbus ille, qui Dei solium affectauit, sacrosancti Christi corporis, nec non expiationis peccatorum, media cõfessione, sacramenta sit æmulatus. Vt enim Christi fideles sub panis speciebus uerum Christi corpus manducant, quod eos charitatis & gratiæ uinculo Deo ipsi æterno regi unit, sic inuidus ille effecit, ut eius gentis impij sacerdotes frustula placentularum, quas Mamaconas Solis moniales ex farina maijs, & sanguine albi arietis, eo die mactati, conficiunt, confidenti ordine populo ministrent, dicentes de fragmentis istis se distribuere, ut participantes, illorum medio, Ingæ Peruanorum regi uniantur, & fędere cum eo perpetuo coalescant. Suo etiam quodam ritu, simulant ijdem sacerdotes, dimittere se peccata confitentibus. Vt igitur hæc à maligno hoste excogitata sunt ad eam ueritatem labefactãdam, quam ibi disseminarant Christi ministri, atque ad declarandum non absona docere se, cum similia ijs persuadeat, quibus aliquando fidem habuerunt (quod quidem improbabilitate non caret, cum ibi potissimùm, pro viribus diuina mysteria Satanas, more suo, æmuletur, vbi coluntur) sic uerisimillimum est eos ipsos, qui in eas gentes ueram lucem horum sacramentorum detulerunt, pio constanti illis denunciasse gehennę supplicia, ac diros malorum post mortem cruciatus, quorum memoriam deprauare dęmon potuerit, extinguere omnino non potuerit.

Descrip. Americę.p.9. l.5.c.33.

Ibid.c.3.

CAP.

CAP. V.

Ex Alchorano Mahumeti deductum, Turcas, Tartaros, Saracenos, ac cæteras eiusdem perfidiæ gentes multa de inferno cognoscere, atq; opinari malis post mortem manere locum, igne, ac venenatã aquâ miserrimum. Quo sensu putent ibi esse, cibos, ac potus amarissimos, ferreas catenas, vectes, & lectulos igneos.



D eos venio, qui perfidiam Mahumeticam sectantur, quanuis illos libentius, in rebus religionis pertinaces, quàm gentiles appellarem. Hi licet Christianam fidem respuant, multa tamen de gehenna eiusq; pœnis sibi persuadent nostris non absimilia. Declarabit harum gentium fidem, unũ Mahumeti testimonium, eius scilicet qui ab ijs colitur instar numinis, & à quo in eos manauit, quidquid habent hoc tempore de religione, seu potius religionis falsitate, ac superstitione. Hæc igitur de improborum statu Mahumetus suis credenda proposuit. [Infideles, qui participes faciunt Deo, & pares illi attribuunt, & prophetæ Dei non credunt, nec Epistolam eius suscipiunt, & præceptis Dei aduersus prophetam eius rebelles effecti sunt, deputabuntur gehennę incendio, eruntq; in cruciatu, & stridore ineffabili, & igne sine fine inextinguibili, quorum cutis quoties ignis ardore consumitur, totiens ad noua iterum supplicia reparatur. Mansio eorum puteus abyssi, potus omni felle amarior, cibus de arbore, quę appellatur Azacum, & est omni pessimo sapore deterior. Erunt sub ira Dei cum Diabolo, & Angelis eius. Dixit quoq; Deus gloriosus & excelsus, qui non credunt mirabilibus Dei, & prophetas, & eos qui ueritatem prędicant interficiunt, erunt in horribili cruciatu. Quorum

Qui locus, & quæ supplicia malorum ex Mahumeto.

Val. Alzechon.

opera

opera maligna, nullo eis auxiliante, super ipsorum capita redundabunt. Morientur, nec tamen à cruciatu liberabuntur. Et dixit arbor Azachum data est pro delectatione impijs. Ipsa est enim, quę in profundo abyssi nascitur, cuius fructus quasi Dœmoniorum. De quo manducantes uentrem suum implebunt. Deniq; omnibus malis subijcientur, & semper ad inferni supplicia reuoluentur. Superius, & inferius caligo, ignis, & tenebræ, & dixit in die resurrectionis facies eorum, qui Deo non credunt, horribiles, atq; nigerrimæ. Nunquid enim gehenna mansio impiorum non est, & eorum qui nostris signis non credunt, & damnandi sunt? Et dixit, qui non crediderunt detrudentur in infernum conglobati, ad quem cum peruenerint, & ministri portas aperuerint, dicēt illis, non ne ex vobis erant nuncij missi ad uos, qui uobis insinuantes præcepta annunciauerunt diei istius occursum. Intrate igitur portas gehennæ ad habitandum in ea sine fine. Hæc domicilia præparata sunt superbis, & dixerunt qui in igne submersi sunt ministris. Deprecamur uos orate pro nobis Deum, ut alleuiet nobis cruciatum huius diei. Ministri responderunt: orate: Sed quid oratio impiorum nisi error? Ex hinc sentient pondus cathenarum, & uincula. Erunt pallentes in igne, & rursum fatigati in igne. Tunc videbit eos afflictione oppressos, & tumidis oculis latenter inspicientes. Iterum dixit benedictus & excelsus, impij permanebunt in cruciatu gehennæ, vbi detrusi vlterius non respirabunt. Nos nihil illis iniustè fecimus, sed ipsi sibi impij extiterunt. Tunc vociferabuntur, vsq; quo damnati sumus ò rex? Dixit ita manebitis sine fine. Et iterum dixit, arbor Azachum cibus est peccatorum, feruet in ventre sicut sulphur, accipite illum, & ad horribilia inferni deducite, & super caput eius cruciatus, & dolores infundite. Hæc sunt enim opera quæ faciebatis. Et dixit gloriosus, & excelsus: Afferte aquam amaram, quæ viscera eorum dirumpat. Væ non credentibus in die, qui nec permittentur loqui, vt aliquam habeant excusationem.] Ista de inferis ex Mahumeti decretis sunt excerpta, neque enim hæc scripsit ille prout retulimus, sed extant in disputatione

tione erudiſſimi cuiuſdam Chriſtiani cum pagano, quam ſuppeditauit mihi Vincentius Burgundius, eamq; leges inſuper in Confutatione legis Mahumeticæ, vbi integram hãc inferni deſcriptionem iuxta Mahumeti placitum inuenies.

In Alchorano, ſæpe mentio fit tartari, eiuſq; pœnarum, [1] legitur aliquando malos igne indeficiente cruciandos: [2] incredulis gehennam præparatam eſſe, igneum lectulum, & ſimile coopertorium. [3] In gehenna aquam eſſe venenoſam, quæ verè ſuffocet, at minimè extinguat pœnitus improbos. [4] Malos focum gehennæ, mortis, & alleuiationis expertes poſſeſſuros. [5] Nonnunquam mali cibi promittuntur ſambuccã cõditi, fonteſquè amariſſimi, quibus nec famem expleant, nec ſitim. [6] Prædicatur item, fore vt aliquando conuerſantibus Deo ſimul, & incredulis, Deus totũ velle ſuum perficiens veſtes igneas adaptet malis, eorũ ventres, & capita, cuteſq; foco voluat perpetuo, exireq; inde volentem repellat, ac cathenis ſeptuaginta cubitorum detineat, & cætera his ſimilia. Haud dubiè plurima Catholicæ fidei, & ſacris doctoribus mirè congruunt, nemo eſt enim qui neſciat inculcari ſæpe numero in Diuinis paginis, ac Sanctorum voluminibus Gehennam ignis, Stridorem, Ignem inextinguibilem, hoc eſt æternum, eundem corporum in pœnis ſtatum, abſq; vlla partium diminutione, Abyſſi puteum, Dei omnipotentis erga malos indignationem, Diaboli ac Angelorum eius ſocietatẽ, apud inferos nullam eſſe ſpem auxilij, omniũ malorum cumulum, caliginem, ac tenebras, deformitatem genarum, perpetuam damnationẽ, famẽ, ac ſitim, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Quæ nõ eſt mirũ ſcripta fuiſſe à Mahumeto, ſiquidem Sergij Monachi hominis aſtuti, ac Iudæi cuiuſdam ſuaſu intexuit infami operi dignas è ſacris libris ſententias, quales ſunt, præter eas de quibus diximus, mundi exitiũ, reſurrectio corporum, vniuerſale iudicium, in quo bonorum, ac malorum opera diſcutienda ſint, iuxta merita agendũ cum omnibus, Dei cum Abrahamo, & prophetis colloquia, de Ioanne Baptiſta, nonnulla de ſacratiſſima Dei genitrice ab Angelo ſalutata, & alia, quæ callidè coniecit in eum librum

[1] Azoara 6.
[2] Azoara 17.
[3] Azoara 24.
[4] Azoara 24.
[5] Az. 83. & 98.
[6] Azoara 32. &c.

brum. Illud potius demiror hominem impudentissimum, quæ Deus Optimus Maximus ad vlciscendos malos præparauit, voluitque in sacris litteris patere omnibus, vt eorum metu à vitijs, & sceleribus auerterentur mortales, ea ipsa per vim traxisse ad eos auocandos à Deo, atq; in horrenda flagitia incitandos. Quibus enim gehennam minatur, incendium, ignem inextinguibilem, cęteraq; genera cruciatuum? ijs scilicet potissimum, qui Prophetę non credunt, ipsi videlicet Mahumeto, qui Epistolam eius non suscipiunt, Alchoranum videlicet, in quo adeo obscęnæ fęditates permittuntur, vt nec audiri possint illæsis auribus, ijs deniq;, qui eius signis minimè credunt, quasi ille ipse sit, cui ni fides habeatur, impossibile sit placere Deo.

Infernum quibus minetur Mahumet.

Sed an existimant quicumq; Mahumeto credunt, re ipsa, omni exclusa metaphora, ijs ipsis cruciatibus torqueri malos, quos enumerant, Potu ex felle amatissimo, & aqua venenata; cibo de arbore Azaco, & sambucca, portis septem, vinculis, & cathenis septuaginta cubitorum, cubili, ac stragulo igneo, ardentibus vestibus: an figurata locutione hæc suasit imperitæ multitudini, vt commodiùs acerbitatem gehennalium pœnarum intelligeret? Equidem hæc haud facilè damnarem, si ea legissem apud pium quemlibet, & doctum virum; noui enim metaphoris vti aliquando antiquos Patres, immò & sacras litteras, vt acerbissimi gehennæ cruciatus à mortalibus intelligantur, noui pœnas inferni nonnunquàm reuelatas non absimilibus rerum imaginibus, noui etiam illud, nihil esse in mortali improborum corpore, quod vbi factum fuerit immortale, animâ iterum sibi consociatâ, molestissimis pœnis afficiendum non sit. Indicarent itaq; cibi, potus, vincula, cathenæ, & huiusmodi, figuratè, vel omnium miseriarum cumulum, vel certa quędam & acerbiora cruciamenta, quibus ea humanorum corporum membra acriùs plectenda sunt, quæ instrumenta fuerunt, ut turpius homo delinqueret. Verùm agentes cum Mahumeto nullatenus licet hæc ad metaphoram reuocare. Nisi fateatur ille, figuratè dixisse Beatitatem in voluptatibus ven-

Cibos potus &c. quomodo Mahumetistæ apud inferos credant.

Mahumetistæ in quibus Beat. collocent.

Lege descrip. Paradisi iuxta Mahumet. in Vincentio Burg. l. 23. spec. hist. c. 66.

Az. 47. 86. & 98.

tris consistere, certis alimentis, armillis de auro, & electro, sericis vestimentis, cœnaculis, & supercenaculis, calathis, & scutellis aureis, fluminibus aquarum, in quibus nihil noxium insit, fluminibus lactis, & vini, arboribus pomorum, palmis, & malis punicis, lectulis pulcherrimis, venustissimis vxoribus, carnibus volatilium, ac similibus Sardanapali cuiusdam inuentis. At ista, quæ ne Epicurus quidem dixisset, si post hanc vitam aliam censuisset superesse, secundum metaphoram minimè protulit, sed rem expressit verbis, vt se habere cogitauit, aut certè pro summa libidine concupiuit: aliter ni beatitatem esse in hisce oblectamentis verè censeat, nullam censet, quod apertè aliquando indicauit dum scripsit. [Illi namq; (scilicet credentes, & benè facientes) paradisum fontibus amœnam, & illic anulos, & torques aureos, & ornatus sericos uitides, & deauratos possidebunt, & in lectis aulcatis accumbent, & hæc est maxima merces, & interminabilis.]

Az. 28.

Neq; enim nouit Mahumetus, potissimam animarum felicitatem, eamq; mercedem, quâ nulla maior, quam Deus promittit diligentibus se, clarum nimirum sui ipsius intuitum, & cognitionem, omni fugato ęnigmate. Quemadmodum igitur in cęlo eas, quas commemorauimus delicias, uerè, & absquè vllo uelamento pręparatas esse bonis, sibi, cęterisq; persuadebat, ac spopōdebat, omissâ beatitudinis summâ, sic ma lis ea manere, quę recensuimus omnino contraria bonorum pręmijs, haud figuratè reputabat, idquè omittebat, quod gehennâ ipsâ, eiusq; cruciatibus acerbius est, carentiam uidelicet summi illius boni, ad quod cognoscendum, & contemplandum condidit Deus, qui summum illud bonum est, creaturā mente, ac intelligentia pręditam. Cæterum ista, quę prorsus uana sunt, suadeat ille uetulis, nam licet his acerbiora apud inferos existant, huiusmodi tamen Mahumeti inuenta nō existunt. Ibi enim absquè potionibus, & cibis Deus eos torquebit, quorum Deus uenter fuit, absquè portis eò damnatos trudet, detinebit absquè cathenis, nullis uestibus adhibitis cruciabit ambitionem, sine lectulis denique mulctabit luxuriem.

Mahumet. negauit pœnam damni in inferno.

CAP. VI.

Quid antiqui Philosophi, alijq; sapientes Ethnici de inferno scripserint. Hæretici cuiusdam calumnia refellitur.



HAE sunt eorum populorum de inferis opiniones, seu potius deliramenta, qui nunquam Ecclesiæ Catholicæ limen attigerunt, licet catholicæ veritatis fama ad vniuersum ferè orbem peruenerit. Antiquorum philosophorum decreta hoc loco perscrutemur, eorum nimirùm, qui præcipua censentur capita, ac semper habiti sunt plebis doctores, & magistri, quorum libri non obscura, nec leuia testimonia subministrant, quibus constat non modo Christi asseclis agnitam fuisse veritatem, sed etiam ijs (quanquam, humano more, non sine admixtione alicuius erroris) qui antequam Veritas ipsa veniret in terras, nosq; doceret, ac erudiret, naturâ duce, veritatem pro humanis viribus indagarunt. Quanuis verò ea sim in hac tractatione explicaturus de philosophorum placitis, quæ mirè consonant cum statutis Fidei nostræ, atque ecclesiasticorum doctorum decretis, haud tamen putandum est, catholicam fidem niti ethnicorum authoritati, aut sacros scriptores didicisse ab antiquis philosophis, & poetis, spreto Dei verbo (quod iniuriâ nobis impingunt hæretici homines) carcerem quendam esse subterraneum, in quo animæ impiorum, igne corporeo torqueantur: est enim Fides nostra, se ipsâ firma satis, & inconcussa, nititurq; non humanæ sapientiæ verbis, sed infallibili Dei omnipotentis testimonio, quod vnum ad veritatem infallibilem ducit, certo tramite. Multa ex ethnicis Philosophis de tartareo domicilio, eiusque pœnis proferemus, haud tamen fatebimur vnquam, catholicam de inferis veritatem, quam vniuersi fideles & Monachi, & Scholastici exosculantur, &

Polyand. Hæret. sententia in Ep. Apolog. pro Caluino apud Anast. Cocl. de Infer. Caluini.

CAP. VII.

Mercurium Trismegistum vetustissimum scriptorē probè inferos agnouisse, quò impij trahantur post mortem, de tenebris, ac ignis & aqua cruciamentis locutum esse, nec de synderesi tacuisse,

DE Mercurij Trismegistri mente primo loco dicendum, tùm quòd cœteros omnes uetustate anteeat, nam paulò post Moysem uixit, ut probat dilucidè Franciscus Collius collega meus in eruditissimo tractatu de animabus Paganorum, quem propediem emittet in lucem, tum quòd ob singularem quandam de rebus Diuinis orationem, tanti semper fuerit eius testimonium, ut Diuino nòn absimile existimatum sit, eiq; sapientiores quiq; Aegypti, ac uniuersæ Græciæ antiqui philosophi acceptum retulerint quidquid de sacris misterijs agnouerunt. Hic alicubi more humano lapsus est, at sæpe ubi de diuinis egit, propè diuinè egit. Vnum rerum omnium opificem prædicauit, mundi ortum, ac interitum intellexit, mirè loquutus est de Diuina natura, bonitate prouidentia, iustitia, quodq; mirabilius est, ac uidetur excedere captum humanæ mentis, ni cœlesti lumine illustretur, de diuina prole à Patre genita, ac Sancto Spiritu, quandam lucis scintillam habuisse, non obscurè indicauit. Vt uerò ad creaturas deuenit, eminere supra cæteras hominem dixit, animal sanctitatis particeps, atquè (summum illius priuilegium) nescio quid cœlestis, ac Diuini continere mortis nescium, animam uidelicet, cui uirtutes prosint, obsint uitia. Hæc quanuis non posset non consequi certa de animorum post mortem statu sententia, postulante diuinæ prouidentiæ, ac iustitiæ ordine, iuxta merita quemq; accipere, ac in lætis quidem locis degere post mortem corporis animum, qui probè

Fräc. Coll. l. 4. de anim. Pag.

Lact. Firm. l. 1. de falsa relig.

probè se gesserit in corpore, in sordidis autem, & fœtidis, qui improbè: voluit tamen palàm id declarare, ac apertè profiteri fore aliquando, vt versetur in tenebris densissimis summisq; doloribus, qui corporis immoderato studio cœlestem lucem posthabuit. [Qui corpus, inquit, amoris errore complectebatur, is oberrabat in tenebris mortis, mala sensu percipiens.] Scilicet, amoris errore: nec enim malum, necessaria obsequia corpori præstare, sed præstare, erroris amore, hoc est illecebris, quas vitia comitantur. Quanquàm verò in tenebris, etiam in hac vita animus degat, sentiatq; dolores, iustissimas scelerum pœnas, quoties per errorem terrena prosequitur, nam animus inordinatus, etiamsi aliud supplicij genus desit, sibi ipsi pœna est: attamen, & certiùs id contingit post animi à corpore dissolutionem, quo tempore nullus, qui deliquerit potest mala, ac tenebras exteriores effugere, & Mercurius cum mala mortis manere terrenis voluptatibus deditis significat, respicit ad ea mala, quæ corporis ipsius interitum consequũtur: duplex enim cum sit, Mercurij sententiâ, genus mortis, notum aliud, & manifestum, quod ne insanissimi quidem audent negare, acciditq; *dissolutione corporis labore defessi, & numeris completi, quo corporis membra in vnam machinam ad vsus vitales aptantur*. Aliud subobscurum, quod cum fugiat viuentis sensus, id *aut ignorantia, aut incredulitas contemnit humana*, estq; eius naturæ, vt minimè extinguat animos, qui à corpore inquinati recesserũt, sed cruciet. Postremũ hoc mortis genus mala scelerati includit. [Cum fuerit animæ à corpore facta discessio O Asclepi (sic respondet interroganti, quæ nam esset secunda mors) arbitrium examenq; meriti eius transiliet in summi Dæmonis potestatem, isq; eam, cum piam, iustamque prouiderit, in suis competentibus locis manere permittet. Si autem delictorum illitam maculis, vitijsq; oblitam viderit desuper ad ima deturbans procellis, turbinibusq; aeris, ignis, & aquę sæpe discordantibus tradet.] Miror profectò in ethnico homine tantam veritatis cognitionem. Quid enim aptius excogitari poterat de animarum conditione, post discessum ab hoc

In Pymandro.

In Asclep.

hoc mundo? Quid animæ examen, nisi vniuscuiusque in eo quo ex hac vita mo︤ra︥uit puncto meritorum discussio, ac particulare iudicium? quod quanuis fieri à summi dæmonis potestate indicarit, haud mirandum, Dœmonis namq; nomen, hodie quidem apud sacros scriptores infame est, olim tamen apud philosophos sanctum, & augustum. Piorum hominum in competentibus locis habitatio, ecquid est? Eorundem in cœlis regnum, ac multiplex mansio, quæ in domo cælestis Patris iustis est præparata. Inquinatam animam ad ima deturbari, tradi procellis, turbinibusq; ignis, aeris, aquæ, non nè ob oculos ponit profunditatem tartari, variaque ac multiplicia pœnarum genera, quæ in eo sunt, non omnino dissimilibus verbis indicata à regio Psal. dum inquit. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphuris, & spiritus procellarum.* Enumerauit autem consultò elementa, voluitq; ab ijs animos impiorum cruciari, siue quòd iniquorum anima miserè torqueatur discordantibus inter se, eius inordinatis affectionibus, quibus quatuor elementorum qualitates respondent, iuxta Vigilianum illud. Psal. 10. 6. Aeneid.

Hic metuunt, cupiuntquè dolent, gaudentq;, nec auras
Suspiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

Vel certè, quòd omnia elementa Deus in inferno inclusit ad malorum pœnam, vt secundo libro dictum est: quod Trismegistus voluit, nam alibi etiam repetit, & inculcat, igne corporeo animam inquinatã torqueri post mortem. In Pimandro, vbi refellit cogitantes animam humanam post eius à corpore dissolutionem in corpora brutorum degenerare, qui error eo etiam tempore multos deceperat, inquit. [Velle dicere animam nostram post exutam humanam figuram in corpora degenerare brutorum, impius est error, nam castigationis eius modus est alter. Mens cùm Dæmon efficitur iubetur igneum capescere corpus, inde in animam transfusa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum.] Vbi notandum, quod anima post mortem euadat Dæmon, haud naturâ intelligendum, nam in eandem metempsychosim, errore turpiore, laberetur, & in eodem lib. testatus est, animam

Mercur. in Pimand. c. 10.

Ante Pytagoram vagabatur error transmigrationis animorum.

mam impiam in propria natura manere, uerum pœnâ, impietate, & similitudine quadam, sicuti è contrario iusti in diuinis paginis dicuntur, futuri esse aliquando sicuti Angeli Dei, haud naturâ, sed priuilegio, quo in sensu locutus est dum inquit [Postquã anima à corporis carcere est exempta, cum omnis subierit virtutis, ac pietatis mandata, aut mens, aut Deus efficitur.] Igneum autem corpus, haud aptabitur animabus perditis, vt habeat ab eis vitam, cuius particeps esse non potest, sed ut eas detineat, torqueat, dilaniet æternis pęnis, Vt in hoc obsit animę ęternitas, quòd sit in immortali sententia ęterno iudici subiugata.

In Pimand. c.10.

In Asclep.

Mercurius agit de corrosione conscientiæ.

Externis improborum cruciatibus, ac ijs supplicijs, quibus apud inferos iniqui afficiuntur ab igne corporeo, egregiè Mercurius addidit, anxitudinem animi, intimumq; mœrorem, qui consequitur impietatem, & corrodit conscientiam, hancq; pœnam omnium acerbissimam prædicauit. Quid enim respondet sciscitanti Tatio, quo pacto anima cruciеtur, quoduè supplicium sit illi grauius? *Impietas*, inquit, *o fili mi Tati. Cuius nam ignis ardentior flamma, quam impietas est? Quæ nam fera mordax ità corpus lacerat, vt impietas laniat animam? Non ne vides quot malis animus premitur impius?* &c. Hæc sanè impietatis pœna non alia est ab ea, quam Sacrę Litterę, ac diuini Theologi synderesim dicunt, inculcantq; adeo acerbam esse, vt ignis supplicio, longè sit grauior.

Huius porrò cruciatus quemadmodum, & aliorum, modũ, & mensurã Mercur. nõ ignorauit, immò cognouit optimè culpæ, ac eidẽ impietati respondere, vt maiora scelera, maior pœna sequatur. [Omnia, inquit in Asclepio, pro vitę meritis, aut delictis pœnis obnoxia, tantò post mortem seuioribus subijciuntur, quantò inulta forsitan fuerint zelata dũ uiuerent. Præscia enim omnium Diuinitate, reddentur, perinde vt sunt pro delictorum qualitatibus pœnæ.] Ecce miram Diuinæ iustitiæ commendationem, quæ etsi aliquid silere videatur, ac dissimulare in hoc mundo, nihil tamen post mortem relinquit in vltum, ecce sententiam non absimilem

milem à sermone D. Ioannis. *Quantum glorificauerit se, & in delicijs fuerit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apocal.

CAP. VIII.

Pythagoram, Iamblicum, Timæum Locrensem, & Hieroclem quædam egregiè de inferno scripsisse: Quæ fuerit Pythagoræ sententia de metempsichosi animorum.

POST Trismegistum dicendum de Pythagora, cuius authoritatem tanti fecit antiquitas, vt ad eum, dum noctu verba faceret, non minus, quàm sexcenti confluerent, eiusq; decreta, veluti diuina quædam oracula colerentur. Dubitari non potest, quin insignis hic philosophus perspectum habuerit, immortalem esse hominis animam, & eam quidem, quæ virtutibus exornata mortalem hanc vitam deseruisset, ad optimum vitæ statum deuenire, ad pessimum autem illam, quæ vitijs inquinata, ex hoc mundo auolasset. Quin intellexit bonos in eminentissimo loco beatè viuere, malos à dæmonibus (hi enim furiæ sunt) detineri in cruciatibus. Hæc eius verba, varijs animarum gradibus enumeratis. [Ex quibus animabus, quæ puræ sunt, eas celsissimum in locum duci: impias autem neque ad eas accedere, neq; inter se sociari, sed durissimis à furijs vinculis cōstrictas teneri.] Id ipsum ficta quadam narratione significauit: aiebat enim, cum ad inferos descendisset, Hesiodi quidem animā æneę columnæ alligatam stridentem, Homeri verò de arbore pendentem, serpentibus circundatam, vidisse, propter ea, quæ de Dijs dixissent. Fabula, Pythagorā hæc vidisse, Veritas, acerbè plecti in inferno, fabulosa numine inducentes, prædicantes indigna Deo, atq; prauitatem sectantes: quâ veritate, remotis fabulis, solebat sæpenumero homines ab iniustitia, & vitijs auocare. Iamblicus de Pythagorā. [Aliam

Diog. Laer. in Pytag.

Diog. sup.

Suidas in Hist. de Pyt.

Iambl. vit. Pythag. c. 30. (inquit) adinuenit viam, seu rationem homines refrenandi reprimendiq; ab iniustitia per animarum iudicium. Reipsa quidem sciens hoc ipsum iudicium dictum: gnarus verò & illud vtile existere ad terrorem iustitię incutiendum, multòq; magis iniuriâ affici oportere, quàm hominem perimere adhortabatur. Apud inferos iudicium collocatum esse reputans, animam, eiusq; substantiam, ac primam rerum existentium naturam.] Neque vero hęc Pythagoras, quasi inania quædam commenta, ac fabulosa terriculamenta referebat, cum ea ratione permoueatur, quæ prudenti cuique suadet, dari post mortem suppliciorum sedem. Nimirùm cogitabat, iudicium esse apud inferos, quòd immortalis sit anima, & æquum sit, vt quæ castè in corpore se gessit, extincto corpore, cum Dijs, hoc est, cum Angelis, in cælo habitet: quæ autem impurè, & sordidè, in subterraneo carcere, dignis pœnis afficiatur. Diuina penè est Iamblici in hanc rem sententia ex Pythagoricis confecta dogmatibus, quæ ab eo diligentissime conscripta fuerunt. Refero eius verba digna quæ legantur [Si mors, ait, talis foret, vt hominem ab omnibus liberaret, lucri vice malis hominibus reputandum foret mori, nimirum, & à corpore simul, & cum animo ab ipsorum prauitate liberari. Nunc autem posteaquàm anima immortalis esse videtur, nullum omninò aliud malorum ei fuerit effugium, nec salus, quàm vt euadat simul quàm optima, ac prudentissima. Anima enim nihil aliud habens, quàm institutionem, educationemq; inferos adit. Quę ipsa etiam plurimùm dicuntur prodesse, vel lædere eum, qui mortem obierit statim in initio profectionis illuc institutæ. Præstantior quippe anima cum Dijs habitat, & circum circa cœlum profectionem suscipit, melioremq; finem assequitur. Quę autem iniusta opera contigit, impioq; opere, atq; impietate opplera fuit, vbi ad loca iudicij subterranea venerit, æquam, instamquè pœnam consequitur. Quorum caussa omnia facienda sunt, vt interea dum viuimus, virtutis, prudentięq; participes simus. Præmium enim pulchrum est, & spes magna.] Hæc Iamblicus. Timæus Locrensis Pytagoreus, magistri dogma-

Iambl. Pythag. Comment. ad hor. ad Philosoph. l. 1. c. 13.

tum

tū memor scripsit, inexorabilibus cruciatibus torqueri apud inferos virtutum contemptores. [Si quis, ait, durus, & pertinax sit, hunc illa sequetur pœna, quæ legibus, & rationibus constituta est, mirificos, eosdemq; cælestes, & Plutonios incutiens terrores. Nam illis miseris, qui sunt apud inferos inexorabiles impendent cruciatus.] Atq; id quidem adeo persuasum fuit Hierocli Pythagoreo, vt scripserit, improbos tantùm suspicari, animos interire, ne si viuant mortuo corpore, pœnarum carceri adiudicentur. [Non vult, inquit, improbus animam suam immortalem, ne ad conspectum illius Iudicis æqui, pœnis torquendus adueniat. Itaq; se ipsum potius morte condemnat.]

Timæus Locr. de anima mūdi, in fine.

Expecto, ut aliquis hic obijciat, fieri non posse, vt Pythagoras somniarit, impuram animam, mortuo corpore, in infernum duci cruciandam, cum metempsichosim animorum adamarit, statueritquè eos ex vno corpore, in aliud intrare nobilius, vel ignobilius pro ratione anteactæ vitæ, quod aiebat in se ipso euenisse, cum antequàm Pythagoras esset, Euphorbus primùm, tum Hermotinus, deinde Pyrrhus quidam piscator fuerit: cui quidē dogmati cū directò repugnet, re ipsa dari subterranea iudicia, & supplicia, videtur Pythagoras, ea, quæ de inferis tradidit, inter figmenta habuisse.

Equidem aliqui antiquorum philosophorum, Pythagoricum decretum de migratione animorum in alia, & alia corpora, accepère vt verba sonant, omni exclusa metaphora. Plotinus in hac fuit hæresi. [Anima, ait, tandem è corpore migrans, in id ipsum, quo abundauit, euadit. Itaq; ad superiora confugiendum, ne in sensualem speciem delabamur, simulachris videlicet sensibilibus obsequuti. Neuè in vegetalem animam præcipitemur, mancipati libidini generandi, & irretiti suauitate saporum. Sed ad intellectuale, ad intellectum, ad Deum, totis viribus assurgendum. Quicunq; igitur proprietatem seruauerunt humanam, homines iterum renascuntur. Quicunq; verò solo vsi sunt sensu, bruta animalia redeunt. Ita tamen, vt qui sensu præcipuè vnà cum ira, animalia fera exoriantur; atq; in ijs differentiam quoquè ta-

Plotin. L. de proprio cuiusq; dæmone.

lium affectant. Qui verò sensus per concupiscentiam, voluptatéq; vsi sunt, salacia, & ingluuiosa animalia reuertuntur. Verùm si non tam sensu; quàm sensus degeneratione vixerint, vnà cum ipsis plantis repullulant.] Hæc Plotinus, indigna Pythagora, indigna philosopho. Ego certè quoties animum intendi in eam absurditatē, quę Pythagorę tribuitur, de metempsichosi animorum; mihi semper persuasi; sub allegoria verborum (modo huiusmodi sententia à Pythagora fluxerit, quod non videtur adeo certum, cùm nihil ille scripserit, vt volunt Augustinus, & Claudianus Mamertus, præter pauca quædam carmina, quæ aurea dicuntur) aliquid philosopho non indignum significasse, quod illi minimè intellexerint, qui vni verborum cortici adhærebant. Multi Pythagoręorum B. Augustino teste, magistri sententiam ita acceperunt, Augustinus ipse idem suspicatur, cum ait. [De hoc ludibrio quorundam philosophorum (nimirum de translatione animę à corpore) in corpus etiam eorum posteri erubuerunt, nec eos hoc sensisse, sed non rectè intellectos esse, dixerunt. Et credo ita esse, velut si quisquam etiam de scripturis nostris hoc sentiat, vbi dictum est, Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est eis. Aut vbi item legitur, Ne tradideris Domine bestijs animam confitentem tibi. Neq; enim omnes hæretici scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt.] Animos igitur transire in alia hominum corpora, seu in bestias, aliud Pythagoræ non fuit, quàm homines, aliena studia siue hominum, siue belluarum induere ad viuum, atq; animam ijs moribus in humano corpore imbutam, eos ita retinere exuto corpore, ac si migrasset in eos homines, vel bestias, quarum affectiones sequuta est, dum viueret in corpore. Quapropter Thomas Reuchlin in damnato opere artis Cabalisticæ voluit, metempsicosim Pythagoricam, nihil aliud doctis viris significare, quàm similitudinem morum, & studiorum; quę in aliquo iam mortuo extiterunt, in alio nunc viuo renasci, sicq; olim dictum, in Pythagora

Aug. L. 1. de consensu Euang. c. 7. Claud. Mamer. L. 2. de stat. animæ c. 3.

Aug. L. 7. de Genes. ad litt. c. 9.

Psal. 48.

Psal. 73.

Th. Reucl. l. 2. art Cabal. ex Iacobo Carpen. in instit. Alcinoi ad Doct. Plat.

thagora

thagora renatum Euphorbum, quòd quæ virtus bellica in Euphorbo Troiano claruerat, ea in Pythagora quodammodo appareret: aiunt enim Pythagoram respondisse admirātibus philosophis, quî homo litterarum studiosissimus tanto teneretur amore pugnæ; Hoc minimè mirum videri debere, quòd in se vigeret anima Euphorbi, hoc est studium, & ingenium. Cuius responsi mysterium, cum haud perciperetur à nonnullis, factum est, vt fama percrebuerit, animum Euphorbi in bello Troiano perempti transmigrasse in Pythagoram. Timęus Locren. ea, quæ de metempsychosi dicuntur, falsos sermones appellat, cogente necessitate, excogitatos ad deterrendos homines, atq; in officio continendos. [Vt quandoq;, ait, rebus pestiferis nostra sanantur corpora, sic animas falsis sermonibus auertimus, si veris nō pareant. Sed noua, & inaudita (cum cogat necessitas) narrentur supplicia, vt timidorū animę muliebribus induātur corporibus, quę contumelijs expositæ sint, vt homicidarum animæ in figuras ferarum transferantur, pœnas daturæ. Libidinosorum item, & molhum in suum, & caprorum corpora, leuium, atque eorum, qui elatò sunt animo, in volatilium formas, vt pigrorum, atque otiosorum, rudium, & imperitorum in species aquatilium conuertantur.] Lactantius putat, ista à Pythagora excogitata, non quòd, errore, opinaretur ita euenire, verùm, vt persuadere posset ijs, quibus hæc loquebatur, se originem trahere ex Homeri familia. [Hic autem, ait, quòd erat ignobili genere natus, familiam sibi ex Homeri carminibus adoptauit.] Sanè gloriæ cupido in alia figmenta hunc philosophum traxit, quæ ab eo ipso tanquàm figmenta noscebantur, licet ea nimium credulæ multitudini prædicaret. Hæc igitur cum ita sint, manifestò constat, Pythagoram in numero fabularum habuisse nudam de metempsychosi animorum sententiam, ea verò, quæ de supplicijs malorum apud inferos differebat, ab eo tanquam vera, certaque decreta, pronunciata esse, hæc enim noscit naturali loco philosophus, illa nec insanissimo cuiquam probabuntur.

Timæus Locrensis sup.

Lact. Firm. de Diuin. præm. l. 3.

CAP.

CAP. IX.

Platonem, affinia veritati de Inferno, eiusq; pœnis dixisse, ac tormentorum æternitatem agnouisse.

PYTHAGORICA decreta de statu animorum post mortem ad Platonem peruenère, qui licet ea tanto studio sit amplexus, vt videatur ab ijs non dissentire, qui latentium mysteriorum ignari, ea de metempsichosi cogitãt, quæ verba præseferunt: nihilominus attentè meditanti Platonicam orationem, perspicuum est, haud tantum desipuisse, quin intellexerit, allegoricum esse, quod de migratione animorum in aliena corpora proferebat, atq; sub velamento verborum, nescio quid tegi non absimile veritati. Exploratum est legenti volumina Platonis, sæpissime animarum post mortem in diuersa corpora hominum, vel ferarum, migrationem, memorari Pythagorico more, ita vt iuxta prioris vitæ conditionem, aliæ dicantur philosophum induere, aliæ imperatorem, aliæ tyrannum, aliæ strenuum virum, aliæ asinos, leones, lupos, accipitores, cygnos, aquilas, aut philomelas: at quis non nouit, vt animaduertit Marsilius Ficinus, id maximè quod pertinet ad transitum in bestias, adeo præter solitam grauitatem ridiculè narrari à Platone, vt planè demonstret negãdam quidem esse rem ipsam, allegoriam verò quærendam, atq; huiusmodi transitum ad affectus potius, & habitus, quàm ad veram in corpora migrationem referendum? Nimirùm Plato, quoties seriò agit de animabus ex hac vita migrantibus, toties decernit, vetustissimis, ijsquè sacris sermonibus, ac infallibili Deorum decreto sancitum, vt puræ ad lætas piorum sedes ducantur, impuræ in subterraneum, & tenebricosum carcerem pertrahantur. In Axiocho (si liber ille Platonis est) ad animorum immortalitatem probandam, inter cætera Gobriæ Auagi testimonio vtitur, qui ex auo suo didicerat

Plato in Phædro Phœdone, & vlt. de Repub.

Marsil. Ficin argum. in 9 de Leg. & 9. de Repub.

Plato in Axiocho.

rat in æneis quibusdam tabulis, quas ex Hyperboreis Opis & Hecaergus attulerant, hęc de anima corpore soluta contineri. Eam in ignotum quendam locum subterraneum migrare, vbi sit Plutonis regia haud angustior aula Iouis, cuius vestibula æneis claustris, ferreisq; catenis vndique vinciantur. Sisti in campo veritatis, vbi nullus mendacijs locus. Cognosci à iudicibus, vt quisque se gesserit eo tempore, quo terrenum corpus inhabitauit; Ac ijs *quibus in vita melior aspirauerit Dæmon*, hoc est, qui proba mente fuerint, sedes piorum dari, in quibus lætissime æuum trahant in omni oblectamentorum genere: illis verò, *quibus per scelera fuerit vita peracta, per Tartarum à furijs* (hoc est pessimis Dæmonibus) *ad Erebum, Chaosque rapi, vbi impiorum est locus, vbi Tantali sitis, præcordia Tityi, Sisyphi inexplicitum saxum, cuius finis ab alto incipit rursus labore*. Ibiq; laniari à feris, facibus ardentissimis aduri, & cunctis pœnarum supplicijs miserè cruciari. Quid innuebant vetustissimæ illæ tabulæ? Non interire animum extincto corpore, sed superesse, atq; si probè vixerit in corpore, adire post mortem fœlicitatis, ac gaudij locum, sin improbè, infœlicitatis, mœroris, ac luctus sedem, in terræ visceribus, vbi discerpatur lampadibus, hoc est igne, qui nunquàm extinguetur, absq; vlla spe leuamenti doloris, quod & sitis Tantali, & viscera Tityi, & saxum Sisyphi significant.

In Theętето, sine metaphoris fabularum affirmat, his qui in hac vita se se totos domentię, ac stultitię dedere, vbi vita functi sunt, persimile manere vitæ genus cum perditis, & scelestis, longè ab ea sede, quæ ab omni scelere, & flagitio est remotissima; Hæc habitaculum Deorum est, cæleste, supremum vbi in summa tranquillitate, & voluptate boni futuri sunt, cum Dijs ipsis, idest, Angelis. Qui ergo manet impijs post mortem locus, profundissimus est, vt quàm maximè distet à consortio Deorum, atque à consuetudine bonorum, miserrimus præterea Furiarum, idest, dæmonum, immanitate, quos habent pœnarum socios. Nulla lex, inquit in Phœdro idem Plato, permittit, vt ad tenebras subterraneas proficiscantur, qui semel iter cœleste carpere cœperunt. Igitur

In Theæteto.

tur terrenum iter aggressi, ad tenebras subterraneas tendēt, infernum videlicet sub terra latentem, regionem, iuxta sententiam Iob, omnino tenebrosam, in qua Diuinum oraculum tradit, esse tenebras exteriores, fletum, & stridorem dentium. Neq; vanum id commentum, cum asserat Plato diuina lege, quæ nec fallit, nec fallitur, ita sancitum. In Gorgia scribit extitisse decretum sub Saturno, & extare adhuc apud Deos. [Vt quicunq; iustè, pieq; vitam egissent, cum è uita migrarent, ad Beatorum insulas profecti, uiuerent à malis longè seiuncti, qui uerò iniustè, impieq; uixissent, in punitionis, iustiq; supplicij carcerem, quem appellant Tartarum, irent.] Quin subdit, ante cognosci uniuscuiusq; causam à iudicibus, quàm uel in Beatorum sedes, uel in pœnarum locum transmittatur, nudum iudicari quemlibet, hoc est, nulla formę, uel generis habita ratione; nescire iudicem, cuiusnam sit animus, qui sistitur coram eo, quòd perinde se gerat in iudicando, ac si eum, qui iudicandus est, minimè nosset: nec enim diuitis, aut inopis personas respicit, sed nequitiam, & probitatem. Demum concludit Plato de pessimis hominibus. [Qui autem extrema iniustitia detinentur, ac propter huiusmodi delicta sunt insanabiles, ex his exempla sumuntur, ipsiq; nullam ampliùs utilitatem inde reportant, ut potè qui sanari non possunt, sed prosunt duntaxat alijs per exemplum, qui eos intuentur propter peccata, maximis acerbissimisque, & terribilissimis pœnis omni tempore cruciatos, tanquam exēplum, monimentumq; & spectaculum apud inferos in carcere præbentes iniustis omnibus, qui ad ea loca descendunt.] Sanè ab ethnico homine, nihil Fidei nostræ magis congruū expectari poterat; Ecce in lege Saturni horrendas malorum sedes, quas punitionis, & supplicij carcerē uocat, in Tartaro, apud inferos, à domicilio Beatorum longè seiunctas: ecce Iudicij æquitatem: ecce iustissimas scelerum pœnas, sine fine, sine termino, æternas.

In Gorgia.

His similia inculcat, ac fermè repetit in Phœdone, ubi plura quidem miscet Pythagoricis decretis affinia, qualia sunt, quæ de anima post longa temporum curricula, iterum

ad

ad mortales redeunte disserit: vbi tamen egit de subterraneis fluminibus, quæ dicuntur inferos ambire inde egredi, eòq; rursus reuolui, Acherunte, Styge, Cocyto, Pyriphlegethonte, quod ait cadere in amplum locum, maximâ ignis copiâ flagrantem, hæc protulit. [Cum verò hæc ita naturâ disposita sint, quando in eum locum defuncti peruenerint, quò dæmon vnumquemq; perducit, primò illic iudicantur, & qui honestè, sanctèq;, & qui aliter vixerint. Itaquè quicunque in vita quodammodo tenuisse medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti, vehiculis, quæ vnicuiq; adsunt, in paludem perueniunt Acherusiam, ibiq; habitant, purganturquè pœnas dantes iniuriarũ, & cum purificati sunt absoluuntur, rursusquè pro merito singuli benefactorum præmia reportant. Qui verò ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videtur, qui videlicet sacrilegia multa, & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens sors mergit in Tartarum, vnde nunquam egrediuntur.] Non sine poeticis ornamentis à Platone expressa veritas, cuius summa est, improborum carcerem sub terra constitutum esse, id enim significat, dum ait, improbos ad ea flumina rapi, & cruciari, quæ effluunt à corde terræ. Dari examen operum siue bonorum, siue malorum, statim ac quis ex hac vita migrauit. Perditos omnino, & scelestos miseratione prorsus indignos trudi in Tartarum, vbi perpetuò degant in cruciatibus, & pœnis, nec inde egredi vnquàm. Leuia quædam crimina, quæ sanari possunt, purgantibus pęnis plecti in certo quodam loco, atque ijs persolutis, animas pręmia consequi. Nequè verò hęc, quę de inferis ex Platone retulimus, leuioris momenti censenda sunt, quòd plerunquè Poetarum fabulis admisceantur; nam, & fabulis veritatem Plato exprimebat, & non semel, omissis fabulis, sacris testimonijs, ac veneranda priscorum authoritate, à quibus recedere nefas semper censuit, ea decreta cõprobauit, quę fabularum mysterijs occultabantur. Audi Platonē ipsũ. Antiquis uerò sacrisq; sermonibus (ait) fides sẽper est adhibenda, qui declarant animum esse immortalem, & iudi-

Plato in Phædone.

Plato Ep. 7.

ces habere, quorum decretis pro merito præmia, & supplicia maxima attribuantur, vt primùm quis è corpore discesserit. Hæc sanè supplicia, haud ea sunt apud Platonem, quibus, cõminiscuntur aliqui, affici malos, absurda illa, & fabulosa migratione in corpora infelicium hominum, aut immanium ferarum. Migrantes in aliena corpora animi, adhuc in hac vita versantur, ijs ipsis testibus, qui metempsichosi fidem habent: at animus, qui secum impietatem post mortem trahit, ad inferos sub terram proficiscitur, vt eodem loco Plato indicat. Præterea transitus ille, videtur excogitatus ad sanandas animi sordes, vt nimirum persolutis malè actę vitæ pœnis, redeat ad Deum: at Plato, quorundam hominum flagitia insanabilia esse testatus est, voluitque eorum cruciatus sempiternos fore. Augustinus quidem tradit Platonicos, à quibus non eximit Platonem, sentire, omnia post mortem supplicia, purgationis tantùm causa adhiberi.] Platonici quidem, inquit Augustinus, quamuis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel diuinis, siue in hac vita, siue post mortem, si aut parcatur hîc cuiquè, aut ita plectatur, vt hîc non corrigatur.] Ego tamen adhæreo Iustino Martyri, & Eusebio Cæsariensi, qui ita Platonis sententiam retulère, ac si censuerit, non secus atquè Catholica fides tradit, aliquos in Tartareo specu sine vlla spe salutis torqueri. Nã in Gorgia apertè distinguit sanabilia peccata, ab insanabilibus, & ait, alios in emendationẽ dare pęnas, & aliquando meliores euadere, alios in exemplum cruciari, atquè illorum supplicia terminari aliquando, horum nequaquàm. Verba Platonis iam recitauimus. In Phœdone, quemadmodum etiam suprà retulimus, tradit, nonnullos, qui medij sunt inter probitatem, & improbitatem, deferri ad Acherontem inferorum flumen, ibiquè inhabitare, ac pœnas persoluere donec purgentur, purgatos solui: nonnullos autem in sempiternum in tartaro detinendos.

D. Aug. 21. de ciuit. Dei c. 13.

Iust. Mart. Serm. exhort. ad Gẽt. Euseb. Cæsar. 11 de prępar. Euang. c. vlt. Plato in Gorgia.

CAP.

CAP. X.

Herum quendam Armenium ex eodem Platone à mortuis reuiuixisse, ac multa narrasse, quæ apud inferos viserat; quædam alludere ad veritatem.



FVIT autem adeo cordi huic Philosopho huiusmodi de inferno sententiam omnibus suadere, vt, quò faciliùs, & promptiùs, non modò periti, sed etiam rudes, & ignari, apud quos plus habent ponderis rerum euentus, quàm rationum momenta, animum inducerent suum, scelera post mortem non abire impunita, sed in sæuo carcere, in terræ penetralibus, manere illis supplicia, ad conciliandam huic decreto fidem, eius testimonio vti uoluerit, qui præsens ea spectasse dicebatur, quę passim in suis libris recensuerat. Hoc instituto refert, Herum quendam Armenium, qui in prælio interfectus occubuerat, cum duodecimo ab interitu die, domum delatus esset, ut pyræ impositus cremaretur, reuiuixisse illicò, ac enarrasse multa, quę per id tempus, quo inter mortuos fuerat, mortuorum animabus euenire cognouisset. Habes narrationē 10. de Repub. Potissima sunt, quę referam non aliena à re nostra. Duo principio patentes terrę hiatus, tùm alij duo in superna cęli regione occurrerunt, his iudices assistebant cognoscendis animorum meritis destinati, iusti in sublime ad dexteram dimittebantur per cœli spacia deambulaturi, iniusti ad sinistram amandabantur ad inferos: unusquisq; secum ea deferebat, quę gesserat in uita, siue bona, siue mala. Squalidę, ac sordidę animę nõnunquam uisebantur è terra emergentes, uenustæ, & nitidæ descendentes è cælo, hæ beatæ regionis amœnitatem, pulchritudinem, ac delicias celebrabant, illæ deplorabant labores, ac cruciatus perpessos. Horrendus erat

Ardiæi Tyranni, & aliorum similis sæuitiæ, & immanitatis hominum carcer: ibi excruciabantur omnes, & dilaniabantur ab igneis quibusdam viris, qui aditum præcludentes neminem egredi permittebant. Alia ab Hero Armenio relata, quæ omitto lubens, quòd ex fabulis poetarum deprompta sint: memorata à nobis haud carent mysterio, & vmbrâ veritatis. Quid enim duo illi terræ crateres? Duo tormentorum loca, in imo terræ, in quibus certis inquinati peccatis torquentur apud inferos: in altero, iuxta Platonis sententiam, in pœnis emendandi, & corrigendi; in altero, qui sine vlla emendationis spe, nullam vtilitatem ex supplicijs percepturi, omni tempore cruciandi sunt. Iudices quinam censendi? Dæmones, hoc est apud Platonem, sancta numina, quibus cura mortalium demandata est. In eo beatarum, & infelicium animarum congressu, mihi videor contemplari summam malorum pœnam, cum propriam calamitatem meditantes, secum ipsę cogitant, quanta sint eorum commoda, & deliciæ, quorum opera à Iudicibus inuenta sunt digna cælo.

In Gorg. & Phæd.

Diuites maximè in inferno.

Cur Herus tyrannũ opulentissimum, cæterosquè eiusdẽ generis, apud inferos inuenit, non pauperes, non inopes? Causam dat Plato in Gorgia. [Arbitror autem (inquit loquendo de his, qui in Tartaro detinentur) in eorum numero qui solum exempla tradunt, plurimos esse tyrannos, reges, potentes, ciuitatum gubernatores, quippe cum hi ob peccandi licentiam grauissima peccata comittant.] Et paulò post. [Plures autem potentum improbi sunt.] Quę diuino oraculo consonant, ea de causa pronunciante. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Etiam Homerus potentissimos reges Tantalum, Syssiphum, & Tityum collocauit apud inferos in cruciatibus.

Matt. 19.


Dæmones, ex Platone, malos in inferno cruciant.

Non omisit autem Plato pœnas, quas malis irrogant mali spiritus, siquidem clarum est, trucibus illis viris aspectu igneis, significari malos Dæmones animarũ carnifices, tortores improborum, hoc vnum habentes in votis, excruciare, ac torquere malos, ac eos secum, ligatis manibus, & pedibus trahe-

trahere in barathrum illud, in quo tenebræ exteriores, ignis, & sulphur.

CAP. XI.

Plutarchum sensisse, malos post mortem in tenebricosa voragine cruciandos. Ad exemplum Platonis, induxisse Thespesium rediuiuum, qui inferos, eorumquè supplicia inuiserit.


LVTARCHVS, licet illum nonnulli Philosophi, de quibus dicturi sumus, vetustate téporis antecesserint, apud Platonem collocandus, quòd ab eo sententias, & argumenta, quibus scelestorum carcerem, pœnasq; proponit, videatur deprompsisse. Hic, vt fuit præstanti vir ingenio, atque de Deo, ejusq; prouidentia non impiè sensit, sic animorum immortalitatem, coronas proborum, improborum supplicia post animæ à suo corpore discessum fassus est, ea ratione permotus, quam naturale mentis lumen suppeditat. Diuinum numen curam gerere inferiorum, atquè res singulas inspicere, ac distribuere pro meritis: hinc cõsequi, animam omnino esse expertem interitus, atque mortuo corpore præmijs, pęnisvè affici in lętis, vel tristibus locis. [Vna igitur, inquit de his, qui sero a Numine puniuntur, aiebam, eadéq; tatione, & prouidentia Dei, & animæ humanę permansio stabilitur, neq; potest relinqui, altero sublato, alterum; Ergo animæ post mortem extanti, magis probabile est, uel pręmia, uel pœnas reddi. Vitam enim quasi certamen quodeam obit, & certamine peracto consequitur quod meruit;] Prçclarè, & congruenter ad sacros Doctores, qui ad inferorum carcerem, & supplicia probanda, idem adhibent argumentum. Militiam esse uitam hominis suprà terram, scriptum

Plut. de his qui ferò à numine puniuntur.

Iob. 7. scriptum reliquit Patientissimus ille; idq; experientia discimus, cum nunquã non sit pugnandũ homini, in hac uita, tum aduersus eos hostes, qui nunquã recedunt à nobis, habitantq; in pręcordijs, ac semper repugnant recto rationis dictamini, tum aduersus eas potestates, quibuscum nobis esse colluctationem tradit Paulus: Ad Ephes. 6. Post exitum certaminis, post huius uitę curriculum, cur legitimè certanti corona denegetur? cur in eos minimè animaduertatur, qui desidię, ac ignauię dediti, vltrò venerunt in manus hostium? Suadet omnis ratio æquum esse, vt, illi triumphantes, opimis onusti spolijs, ducantur in sanctam ciuitatem, hi cathenis vincti, trudantur in horrendum, obscurumq; carcerem, in Orcum, in amplam voraginem; In has enim sedes, in hæc pœnarum loca proficisci impios, indicauit Plutarchus in Libel. de occultè viuendo, dum inquit. [Tertia est via eorum, qui impiè, & flagitiosè vixerunt, quæ animas in Orcum, & voraginem detrudit.

Impij teste Plutar. quo vadant post mortem.

Vbi immensas tenebras eructant
Validi nigra noctis fluuij.

recipientes, & ignorantia, ac obliuione occultantes eos, qui puniuntur. Non enim vultures semper iacentium in terra depascuntur iecur, aut enim igni id, aut putredine absumptum est: neq; ponderum moles gestandorum fatigant, atq; conficiunt corpora pœnas luentium.

Non enim fibris sunt, cinctæ nec carnibus ossa;

neq; reliquię sit corporũ post mortẽ, quæ cruciatus sustinere possint. Sed re vera vnicum eos, qui malè vixerunt manet supplicium, obscuritas, & ignoratio, & abolitio in nihilum redigens, ac obliuione in fluuium illum illætabilem abripiens, inque abyssum demergens, & in vastissimum mare, inutilitate, & ocio, ignoratione q; & obscuritate omnia inuoluens.] Non ineptè hæc Plutarchus, si sanè intelligantur. Stat Gehenna sapientum iudicio in profundo terræ specu densissimis obuoluta tenebris: Ecce voraginem perpetua nocte infelicem. Longissimè degunt impij à beatorum regno, nec est, qui recordetur eorum, vt scilicèt misereatur, opemq; ferat: ecce ignorantiam, & obliuionem, quã, nec illi ipsi, qui puniuntur

niuntur in inferno, Dei, rerumque Diuinarum in proprium commodum meminere: nec Deus ipse de illis cogitat, vt à pœnis extrahat, licet cogitet, vt puniat. Dicuntur autem absumpti penitus, ac veluti in nihilum redacti, qui impiè hic vixerunt, quòd, vt ait Hieronymus. [Qui dum in hoc viuit corpore veniam peccatorum non fuerit consecutus, & sic de vita excesserit, Deo perit, & esse desinit, licet sibi subsistat in pœnis.] Demum, ait, inertes, & inutiles, ignaros, & obscuros, esse, qui in Orco degunt, quod *Venit nox, quando nemo potest operari*, Atq; *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, est apud inferos*. Hier. in c. 43. Esa. Ioan. 9. Eccles. 9.

Porrò quid Plutarchus sentiret de inferno, eiusq; suppliciis, nō modo, quę in ardore, ac vehemēti frigore cōsistūt, sed quæ à Dæmonibus inferuntur, apertiùs declarauit, cum Platonem imitatus, citato libro De his, qui sero à numine puniuntur, refert Thespesium Solensem tertio ab obitu die, reuixisse, ac ea narrasse, quæ vidisset in alio seculo. Res ad hunc fermè modum extat apud Plutarchum, omissis tamen multis, quæ absurdos errores sapiunt. Thespesius ab ineunte ætate vitam egerat intemperantem omnino, ac dissolutam, & quas habebat opes, & quidquid rei familiaris effuderat, profusa liberalitate. Redactus ad inopiam, turpi lucro, ac ijs artibus se dedit, quibus, per dolos, & fraudes, soleat homines aurum accumulare. Breui improbitatis famam adeptus, nullas fermè opes. Missi ob id, qui Apollinis oraculum consulerent, num futurum esset aliquando, vt melior fortuna, reliquum vitæ cursum sequeretur. Responsum. *Melius habiturum postquàm mortuus fores*. Res euenit. Nam, cū delapsus è sublimi loco in ceruicem, repentino ictu, nullo accepto uulnere obijsset, ac tertia à morte die reuixisset, recreatis viribus, nouum prorsus uitæ genus aggressus, talem apud Cilices se præbuit, qualem optasset sanctissimus quisque: insignis enim erat eius in Deum pietas, in amicos fides, & constantia, ęquitas in rebus omnibus. Compertum autem, causam probè institutę uitę, ortum duxisse a pęnis, quas intellexerat manere malis animabus à corpore separatis. Horrēda .n. uiserat, quę flagitiosissimum quemq; auocare po- Narratio Plutar de Thespes. rediuiuo.

terant

terant à cæpto itinere. Adrasteam filiam Iouis, & Necessitatis, facinorum, scelerumque ultricem in eminentissimo loco constitutam esse. Neminem, siue ingentia, siue parua flagitia admiserit, impunitum abire. Errinnyes sęuissimas Iustitię administras, prorsus insanabiles, qui mala patrarunt, quæ curari nequibant, per vim in infandum, inuisibilemq; locum demergere. Nullum supplicij genus excogitari posse à barbara rabie, quo impuri non afficiantur. Tantò duriora, & acerbiora esse cruciamenta scelestorum animorum, quantò res ipsæ in somnijs vehementiùs mouent. Genios veluti fabros quosdam ærarios, nunc in stagnum feruentis auri, nunc in locum frigidissimi plumbi eos immergere, qui ob inexplebilem auri sitim ruissent in nefaria scelera. Hæc aliqua continent dicta fabulosius, more Poetarum, at multa etiam consona nostris, & redolentia veritatem, fabulis tectam. Dæmonas videlicet, sub Adrasteæ, & Erinnyum nomine, animarum tortores, nullum scelus inultum relinquere, diuinæ iustitiæ mandato. Impios trudi post mortem in profundissimum carcerem ab oculis mortalium remotissimum. Tanta, ac talia esse peccatorum tormenta, vt instar inanis fumi, & vmbræ, se habeant ad ea cruciatus præsentis vitæ. Genios, eosdem nimirum Dæmonas, cruciandis improbis præesse. Quoddam denique vestigium illius ignis, qui nunquàm extinguitur, & frigidissimæ illius aquæ; cuius Diuinus Iob mentionem fecit, cum ait de impio. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsq; ad inferos peccatum illius.*

Plutarchus tamen in corpore Lunæ inepte infernum collocat, vt primo libro di[...]

Iob 24.

CAP.

CAP. XII.

Quæ fides narrationis Plutarchi, et Platonis de Thespesio, & Hero Armenio in vitam reuocatis.

SCISCITABITVR hoc loco aliquis, an, quod Plutarchus de Thespesio, ac Plato de Hero, Armenio rediuiuis scripsère, quædam sit rei gestæ narratio, an conficta fabula, vt, quæ vulgabant dogmata, maiorem haberent authoritatem, ac fidem. Nemo est qui dicat, historiam esse, quod de Thespesio Plutarchus recenset; Heri Armenij narrationem historiam vocant Gentianus Heruetus, & Marsilius Ficinus, qui vult, idem existimasse Iustinum Martyrem, additq; Platonem propterea illam nominasse apologum, aut fabulam, quòd etiam historia dici possit fabula, quoties vltra res gestas augustiorem habet allegoriam. Non inficior, quin Plato, historica fide ea recensuerit, quæ alij fabuloso inuento commenti sunt: summa tamen rei, quę ea narratione describitur, quicunq; fuerit eius author, indigna prorsus censetur nomine historiæ, cuius lex est, ne quid falsi dicere audeat: non enim verisimile, Herum illum Armenium in vitam restitutũ, & ea narrasse, quæ in eo libro apud Platonem leguntur. Est resurrectio, solius Dei omnipotentis opus, quod semper habet annexam diuinæ gloriæ declarationem veritatis probationem, ac christianæ religionis commodum; Fieri ergo non potest, vt quis à mortuis reuiuiscat ad recensendas de inferis poetarum fabulas, aut quorundam philosophorum ineptias, plenas erroribus: sed cogitare licet, confingere, & comminisci, quicunque huiusmodi commemorant, ad ea testimonijs confirmanda, quæ comprobare rationibus non possunt; aut dæmones, doli artifices, id simulare, ad gignendas falsas opiniones, quibus homines in peccata rapiantur, Certè antiquis philosophis familiare fuit fingere, quoties per-

Gentian. Heruet. in l. 5. Strom. Marsil. Ficin argum. in 10. de Repub.

Cicer. de orat.

terant à cæpto itinere. Adrasteam filiam Iouis, & Necessitatis, facinorum, scelerumque ultricem in eminentissimo loco constitutam esse. Neminem, siue ingentia, siue parua flagitia admiserit, impunitum abire. Errinnyes æquissimas Iustitię administras, prorsus insanabiles, qui mala patrarunt, quæ curari nequibant, per vim in infandum, inuisibilemq; locum demergere. Nullum supplicij genus excogitari posse à barbara rabie, quo impuri non afficiantur. Tantò duriora, & acerbiora esse cruciamenta scelestorum animorum, quantò res ipsæ in somnijs vehementiùs mouent. Genios veluti fabros quosdam ærarios, nunc in stagnum feruentis auri, nunc in locum frigidissimi plumbi eos immergere, qui ob inexplebilem auri sitim fuissent in nefaria scelera. Hæc aliqua continent dicta fabulosius, more Poetarum, at multa etiam consona nostris, & redolentia veritatem, fabulis tecta. Dæmonas videlicet, sub Adrasteæ, & Erinnyum nomine, animarum tortores, nullum scelus inultum relinquere, diuinæ iustitiæ mandato. Impios trudi post mortem in profundissimum carcerem ab oculis mortalium remotissimum. Tanta, ac talia esse peccatorum tormenta, vt instar inanis fumi, & vmbræ, se habeant ad cruciatus præsentis vitæ. Genios, eosdem nimirum Dæmonas, cruciandis improbis præesse. Quoddam denique vestigium illius ignis, qui nunquam extinguitur, & frigidissimæ illius aquæ, cuius Diuinus Iob mentionem fecit, cum ait de impio. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsq; ad inferos peccatum illius.*

Plutarchus tamen in corpore Lunæ inepte infernum collocat, vt primo libro di...

Iob 24.

CAP.

CAP. XII.

Quæ fides narrationis Plutarchi, et Platonis de Thespesio, & Hero Armenio in vitam reuocatis.

SCISCITABITVR hoc loco aliquis, an, quod Plutarchus de Thespesio, ac Plato de Hero Armenio rediuiuis scripsère, quædam sit rei gestæ narratio, an conficta fabula, vt, quæ vulgabant dogmata, maiorem haberent authoritatem, ac fidem. Nemo est qui dicat, historiam esse, quod de Thespesio Plutarchus recenset; Heri Armenij narrationem historiam vocant Gentianus Heruetus, & Marsilius Ficinus, qui vult, idem existimasse Iustinum Martyrem, additq; Platonem propterea illam nominasse apologum, aut fabulam, quòd etiam historia dici possit fabula, quoties vltra res gestas augustiorem habet allegoriam. Non inficior, quin Plato, historica fide ea recensuerit, quæ alij fabuloso inuento commenti sunt: summa tamen rei, quę ea narratione describitur, quicunq; fuerit eius author, indigna prorsus censetur nomine historiæ, cuius lex est, ne quid falsi dicere audeat: non enim verisimile, Herum illum Armenium in vitam restitutũ, & ea narrasse, quæ in eo libro apud Platonem leguntur. Est resurrectio, solius Dei omnipotentis opus, quod semper habet annexam diuinæ gloriæ declarationem veritatis probationem, ac christianæ religionis commodum; Fieri ergo non potest, vt quis à mortuis reuiuiscat ad recensendas de inferis poetarum fabulas, aut quorundam philosophorum ineptias, plenas erroribus: sed cogitare licet, confingere, & comminisci, quicunque huiusmodi commemorant, ad ea testimonijs confirmanda, quæ comprobare rationibus non possunt; aut dæmones, doli artifices, id simulare, ad gignendas falsas opiniones, quibus homines in peccata rapiantur. Certè antiquis philosophis familiare fuit fingere, quoties persuade-

Gentian. Heruet. in I. 5. Strom. Marsil. Ficin argum. in 10. de Repub.

Cicer. de orat.

suadebant aliquid, quod conuinci euidenti argumento non posset. Pythagoras, ad conciliandam suis decretis fidem, simulata ad certum tempus morte, quasi ab inferis rediisset, prodit in conspectum hominum, vulgatq; sua dogmata, vt referunt Diogenes Laertius, & Tertullianus, cuius hęc verba sunt. [Si verò Samius sophista Platoni author est animarum de recidiuatu reuolubili semper ex alterna mortuorum, atq; viuentium suffectione, certè ille Pythagoras, etsi bonus cætera, tamen vt hanc sententiam extrueret, non turpi modo, verum etiam temerario mendacio incubuit. Cognosce qui nescis, & crede nobiscum, mortem simulat, subterraneo latitat, septenni se illic patientiâ damnat, interea, quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab vnica conscia, & ministra matre cognoscit: vt satis sibi visus est corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit, vt ab inferis reditus.] Trismegistus ante Pythagoram, ait, se in contemplatione naturæ, sopitis iam corporis sensibus à Diuina mente raptum, & in iis, quæ inquirebat ab ea institutum. Similia leguntur de Scipione Affricano minore, & Plotino. Narrationem ipsam Heri Armeni de qua agimus ad commenta referunt Iustinus Martyr, qui ait à Platone ipso confictam fuisse, quòd haud duceret commodum, testimonio Prophetarum vti, à quibus didicerat ea, quæ de Iudicio, & inferis, litteris consignarat. [In decimo de Republica, inquit Iustinus, quæ à Prophetis Plato didicerat, ea non tanquam ab illis accepta ob Græcorum metum, sed à quodam, sicut ei fingere placitum fuit, qui in bello cæsus, cum duodecimo humari deberet die, in rogo positus reuixit, resque apud inferos visas exposuit.] Clemens tamen Alexandrinus, mendax istud inuentum, haud Platoni, sed Zoroastri tribuit. [In decimo de Republica, ait Clemens, meminit Plato Armenii genere Pamphili qui est Zoroaster. Ipse quidem Zoroaster hæc scribit. Conscripsit Zoroaster Heri Armenii filius, genere Pamphilus. In bello mortuus apud inferos à Diis didici. Hunc Zoroastrem, cum duodecimo die post mortem in rogo fuisset positus, Plato dicit

Pythagoræ commentū.

Diog. Laer. in Pythag. Tertull. l. de anima.

Trismeg. initio Piman.

Scip. apud Cicer. in Somn. Plot. initio lib. de desc. ensu animi incorpus.

Iustin. in Paræn.

Clem. Alex. l. 5. Stromat.

cit reuiuixisse.] Denique D. Augustinus, Tullij, testimonio, ait, lusisse potiùs Platonem, quàm dixisse, quod verum esset, cum inducit hominem illum reuiuixisse, & narrasse quædam, quæ Platonicis disputationibus congruebant. Aug. l. 22. de C. D. c. 28.

CAP. XIII.

Aristotelem subindicasse, malos post mortem in pœnis viuere; nihil dixisse de infernali carcere, & corporeis supplicijs. Duo ex vetustissimis libris, qui Aristoteli tribuuntur, testimonia, improbos miserrimos esse extincto corpore.

PERSEQVAMVR institutum libri, atque accedamus ad Aristotelem Peripateticorum principem, perscruteturque an tantus vir, qui in philosophia singularis, ac diuino propè ingenio habitus est, intellexerit, ijs, qui in vitijs præsentem vitam traduxerunt, manere digna flagitijs supplicia, vbi ex corporis vinculis euolarunt. Vanum est de huiusce philosophi mente disserere, si animum nostrum caducum, ac morti obnoxium censuit, quod illi tribuère Plutarchus, Iustinus Martyr, Nyssenus, Nazianzenus Pomponatius, Alexander Aphrodiseus, Caietanus, & alij, si enim perit, nec voluptatis, nec doloris est capax. Itaque minimè contendendum, vt huic quæstioni sit locus, quin existimarit humanum animum immortalem esse, nec extingui cum corpore, quod docti viri ex eiusdem Aristolis libris collegere a Theophrastus, Ammonius, Philoponus, Simplicius, D. Thomas, Albertus Magnus, Ioannes Maior, Aegydius, & Eugubinus De perenni philosophia. Senserit ergo Aristoteles, immortalem esse hominis animum; quam esse censuit eius, post mortem corporis, conditionem? Illius, qui optimis

Cicer. l. 1. Acad. quæst. & l. 1. de diuinat.

Plut. de Blacit. phil. Iustin. in Parænes. Nyssen. l. de anima. Nazian. contra Eunom. Pompon. & Aphrod. in lib. de anima. Caiet. 3. de anima c. 2. a Ad libros de anima Arist.

D. Thom. 8. Phis lect. 12. & 13. Metaph. lect. 8. Alber. Mag. trac. 3. de anima. Io. Maior. in 9. Eth. c. 4. Aegid. 3. de anima c. 4. Eugub. 9. de Peren. phil. c. 18. Ex Aristotele 9. Eth.

imbutus moribus, virtutibusque exornatus decessisset optimam, & fęlicem; illius verò, qui vitijs inquinatus, ac errorum caligine repletus, corpus deseruisset, miserrimam & infelicem. Id Aristoteles apertè nō explicauit, fortè non sine arte, quòd manifestis argumentationibus comprobari posse, diffideret: nihilominus, si eò inclinauit, vt post corporis interitū, animus viuat, consequens est, vt cogitarit, aut fęliciter viuere, aut miserè. Feliciter quidem, cum ea ornamenta secum ducit ex hac vita, quorum memoria suauis est, & iucunda: miserè, si ea secum ferat, quorum, non sine molestia, animique anxitudine, recordamur. Anima in corpore degens, dū cōsiderat, quæ sua sunt, ac reuoluitur in se ipsam, condelectatur, si bona subeant, quæ gessit, nam *operatorum delectabiles memoriæ*: at contrà si mala, ac peccatorum maculas in se ipsa contempletur, doleat necesse est, angatur, erucietur [Quibus, ait Aristoteles, multa & dura operata sunt, & propter maliciam odiunt, fugiunt viuere, & interimunt se ipsos. Quærunt itaque mali cum quibus commorentur, se ipsos autem fugiunt, recordantur enim malorum &c.]. Cum ergo anima, mortuo corpore, superstes, non amittat eos habitus, quos frequenti exercitio virtutum, aut vitiorum assecuta est, si exculta virtutibus, ac illustrata scientijs à corpore abeat, felici contemplatione perfruetur, sin eam errores obscurent, labesq; vitiorum maculent, in perpetuis tenebris, summisq; pœnis obuersabitur, quæ malorum recordationem, atq; mentis cœcitatem comitantur. Hunc animæ post mortem statum ex Aristotele, ac Peripateticorum decretis, Albertus Magnus coniecit. [Anima, inquit vbi illorum mentem indagat, hîc exornata scientijs mathematicis, & diuinis, & virtutibus moralibus, hîc est felix. Separata ergo hos habitus conseruans felicitatur à Deo, & perficitur in contemplatiua felicitate, verus, & purus animus. Contrarium conuenit animabus, quæ talem perfectionem neglexerunt. Nam cum vmbrosus remaneat eorum intellectus, indispositæ erunt, neque erit eorum intellectus irradiabilis à Deo, quoniā intellectus possibilis non est susceptibilis luminis illius, quod est verum

Aristoteles sup.

Albert. Magn. de Orig. animæ. Lege Nicol. Vernias in quæst. de vnit. intel. & fælicit. animæ.

lumen, nisi confortatus luminibus his, quæ à sensu, vel cum sensu, vel ab imagine, vel cum imagine sumuntur: ad sensum autem, & imaginem, impossibilis est regressus post mortem; & ideo impossibile est talem intellectum illustrari, sed remanet in perpetuis pœnis, quæ sunt intellectualis luminis priuatio, & destitutio.] Ex quibus concludit, animam turpitudini, & imperfectioni deditam, secundum Peripateticos, perpetuò manere obscuram, tristem, & destitutam. Hæc vna, quantum assequi coniecturâ possumus, impuræ animæ, secundùm Aristotelem, miseria, ignoratio bonorum, ac suorum scelerum meditatio, quæ tristitiam gignit. De tartareo carcere, eiusq; corporeis cruciamentis, de quibus alij philosophi aliquid scripsère, nihil apud Aristotelem: cum enim contenderet sua decreta manifestis argumentis firmare, vltrò nihil locutus est de externis pœnis, quas ignis, & reliqua cruciatuum genera improbis irrogant: atq; subobscurè, & sobriè egit de animæ immortalitate, eiusq; felicitate, & ac infelicitate, quæ ex vna animi contemplatione oriuntur; quòd naturale lumen congnoscat (quanquàm ægrè Aristotelis sententiâ) immortalitatem animæ, & quandam sordidæ mentis tristitiam, non cognoscat autem, propria vi, spiritus à corpore seiunctos, aliquid molestiæ, vel doloris à quouis corpore accipere.

Sed quandoquidem hîc de Aristotele sermo est, lubet duo recitare testimonia, quæ licet authorem non habeant Aristotelem, quòd tamen uetustissima sint, atq; non desint, qui ea tribuant Aristoteli, non erunt ab hoc loco aliena. Suppeditat mihi alterum testimonium liber ille, qui *De secretiori parte Diuinæ sapientiæ, secundum Aegyptios* inscribitur. Hic multis scatet erroribus, delibatis ex varijs philosophorũ sectis: habet tamen alicubi nõ spernendam de humano animo sententiam: nimirùm omnium sapientum consensu, animũ, qui blãdis, turpibusq; uoluptatũ illecebris tenetur, habere infensum diuinum numen, fugienda esse uitia, ut nobis Deus sit propitius, animum ex hac uita decedentem non interire, sed aliò deferri. Hęc ad uerbum in eo libro. [Veterum, recentiorum

Iacob. Carpentar. in initio eius lib. in præf. ad Lectoré differit de authore, & quamuis nihil statuat affert tamen coniecturas, cur Aristoteli tribuatur. Lib. 1. c. 4.

tiorum, Theologorum, philoſophorum, ac populorum, ſumma fuit conſenſio, animum corporis illecebris captum, inde odium ſtatim incurrere: atq; iccirco peccata eſſe fugienda & illas corporis illecebras tollendas: ſic enim Deum nobis futurum propitium. Nequè verò ſi maiores de animi immortalitate dubitaſſent, ad eam confirmandam, dictante natura, legem poſuiſſent, cui nemo aduerſatur, niſi qui vitijs detinetur.] Et poſt pauca. [Animus igitur ex hac vita excedens, & ad alium mundum delatus, omnino non interit, quoniam propter vitæ præſtantiam æternitatis eſt particeps.] Quid hinc conſequitur? Niſi peccatorum ſordes mundentur in hac vita, ac animus virtutibus exornetur, perſeuerare, poſt mortem corporis, iuſtam Dei iram, & odium in eum animũ, qui deliquit; atquè cum diuinæ iræ, quæ iuſtitiâ mouetur, ſit, pœnas irrogare flagitijs: animam quę ſceleribus contaminata deceſſit, merita ſupplicia non effugere: ac perpetuò, quæ ſumma calamitas eſt, ſentire ſibi iratum Deum.

Tostatus 7a 2ad 5. q. 56. putat hunc librum ab aliquo Arabe compoſitum quod nõ eſt inuerisimile.

Alterum teſtimonium extat in libro, qui de Pomo dicitur, & à nonnullis inter Ariſtotelis monumenta numeratur, non quòd putent ab eo conſcriptum, verùm quod Ariſtoteles, vt illi aiũt, extremum agens ſpiritum, ac pomum pręmanibus habens, ea ſuis diſcipulis, viua voce, dictarit, quæ ex eius ore in illo libro deſcribuntur. Summa teſtimonij eſt: animam nullis inquinatam vitijs, quæ creatorem intellexit, ac dilexit, cum ab hoc mundo abſcedit, in Patriam ſuam volare, vbi degit in ſummis voluptatibus, haud comparandis cum oblectamentis corporis: animam verò peccatis maculatam, ijs, quaſi graui quodam pondere, detineri, ne ad ſupremas cęli delicias aſcendat. [Beata eſt (hęc eius libri ſententia) anima, quæ non eſt infecta prauis operibus huius mundi, & intellexit creatorem ſuum, & ipſa eſt, quę reuertitur in locum ſuum in delicijs magnis, non cum delectationibus corporis, quæ ſunt deſpectæ. Et vè animæ peccatrici, quæ non habet virtutem, nec poſſe redeundi ad locum ſuum, nec poteſt aſcendere in patriam ſuam, quia turpia opera delectationis corporis impediunt aſcenſum eius ſurſum.] Animæ lo-

eus & Patria, est cælum bonis præparatum in præmium. *Ve*, pœnas, & dolores malorum insinuat. Turpia opera, quæ impediunt ascensum sursum, sunt peccata, quę deorsum trudunt, hoc est, in infernum.

CAP. XIV.

Stoicorum sententiâ, manere improbis post mortem caliginosa loca. Quid de impijs animabus Apollonius Iuncus scripserit.



NON multis post Aristotelem annis exorti sunt Stoici, qui nomen, & originem duxerunt à Zenone in porticu Stoa deambulante, ibique sua dogmata promulgante. Horum secta, quemadmodum, D. Hieronymo teste, nostro dogmati in plerisq; concordat, atq; ut scribit Anonius, munditiã sensus, non longè abest ab Ecclesię fidę, sic habet persuasum, mortis interuentu, animas nullo modo aboleri, sed pro meritis uel ad amœnas, ac suaues regiones duci, ubi gaudeant: aut ad tenebrosa, ac inferna loca, ubi dent pœnas improbitatis. Magistri authoritas, totius scholæ sententiam probabit. De Zenone, hęc Hieronymus. [Si cunctos philosophorum reuoluas libros necesse est, ut in eis reperias aliquam partem uasorum Dei: ut apud Platonem, fabricatorem mundi Deũ: ut apud Zenonem Stoicorum principem inferos, & immortales animas, & unum bonum, & honestatem.] Lactantius Firmianus ante Hieronymum. [Esse, inquit, inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impijs esse discretas: & illos quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones, hos verò luere pœnas in tenebrosis locis, atq; in cœni voraginibus horrendis] Hæc eadem perfectò Epictetus habebat prę oculis, cum monebat, colendam religionem erga Deos immortales, rectas de eis habendas opiniones, sentiendum, eos esse, & benè iustèq; administrare vniuersa, parendum esse eis, & om-

Aristoteles floruit circa annum mundi 3620. Zeno autem Stoicam sectã instituit circa annũ mundi 3680. Hieron. in c. 11. Esa. Anonius l. 4. in Cantic.

Hier. in c. 1. Daniel.

Lactan. L. 7. de Diuin. præm.

Epictetus in Enchir. c. 38.

om-

omnibus acquiescendum, quæ fiant: & reliqua, quæ non videntur alio instituto scripta, quàm vt homines, præstantissimæ mentis, quæ Deus est, monitis obsequentes, assequantur obedientiæ, & probę religionis præmia, ac supplicia declinēt, quæ rebellibus, Deiq; contemptoribus manent. Verum satis de Stoicis.

Apollon. Iuncus ex Stobæo serm. 275.

Apollonius Iuncus, cuius verba recitat Ioannes Stobæus (nihil mihi notum de huius philosophi ætate, quanuis suspicer post Platonem vixisse, quòd perlegisse videatur eius placita de statu animæ post mortem) non secus, ac Socrates apud Platonem, mortem commendat, quòd animam à corporis molestijs eripiat, talemq; tradit esse eius conditionem, postquā à terreno habitaculo auolauit, vt, siquidem ab integerrimis iudicibus inuenta fuerit probitate insignis, ad campos Elisios ducatur: in perpetuis autem tenebris detineatur, si mala fuerit, & improba. [Quanta verò bona, ait Iuncus, mors exhibeat nos excipiens constanter, ac certò, inde patet, quòd molesta animis corpora, & multorum malorum causas ipsa dissoluit, elementis suis ea reponens, ac restituens, quæ prius ab ipsis veluti mutuata fuerat. Animas autem ad opacum locum ducit, vbi iudices, ac veraces Dij de iustis, iniustisq; sententiam ferentes sedent, & singulas in illorum, qui prius aduenerunt, numerum referunt. Tum animæ, quæ à iudicijs absoluuntur, victoriam nactæ, ad campos Elisios, ac voluptates illic vigintes mittuntur amicæ, & sociæ dæmonum, heroumque, quorum olim famam solum admirabantur, & imperatoribus, ac regibus semper adhærent. Malas verò & improbas infelix mutatio suscipit, nec amplius luce fruuntur.] Scilicet veraces Dij (nam fabulosa numina remouenda) veracem Deum significant, æquum iudicem, qui statim à cuiusque interitu sententiam fert de operibus. Animæ victoriam nactæ, eæ sunt, quæ contrarias potestates, ac mundum, & carnem deuicerunt. Elisijs campis, antiquitas piorum sedem designauit. Dæmonum, & heroum societas, consortium est cum sanctis Angelis. Infelix improborum mutatio, transitum illum innuit, qui eos à præsentis vitæ commodis,

modis, ad alterius supplicia perducit, vbi luce non fruuntur, quod venerint in *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Iob 10.

CAP. XV.

Marcum Tullium à Græcis philosophis didicisse, quendam esse locum malorum post mortem à cælo seclusum, in tenebris, apud inferos.

PRAECIPVA Barbaræ, ac Græcæ Ethnicorum philosophiæ de inferno decreta retulimus. Romani, apud quos floruit latina, haud ea spreuerunt, vnius Marci Tullij authoritas, cui plurimùm semper tributum est ab antiquis, pro omnibus satisfaciet. Fuit Cicero antiquorum philosophorum studiosissimus, Platonis maximè, cuius vestigia tantâ curâ est secutus, vt iure appellatus sit *Latinus Plato*. Visus est aliquando irridere, quæ illi scripsissent de In Tuscul. 1. inferis, & eorum pœnis, ac voluisse contemnenda, veluti aniles fabulas, ea, quæ nonnulli post mortem timent

Acherontia templa, alta Orci, pallida
Lethi, obnubila, obsita tenebris loca.

At re vera haud deridet inferos, & supplicia malorum, sed fabulas absurdissimis refertas erroribus, quas Poetæ de inferis, ac eorum Dijs decantabant. Nam cum de conditione animarum, extincto corpore differit, decernit priscorum testimonio, quibus ait apertiùs cognitam fuisse rerum veritatem, [Mortem non interitum esse, omnia tollentem, atq; Ciceronis verba Tuscul. L. 1. delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemq; vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in cælum soleret esse: in cæteris humi retineretur, & permaneret tamẽ.] Sic Latinus philosophus, quibus apertè indicat, minimè dubitasse, (semper enim fidem habuit antiquitati) animos hinc demigrantes ad ea loca tendere, quæ anteactæ vitæ congruerent

gruerent: nimirùm ad cælestes sedes duci, qui haud inquinati contagione corporum, pietatẽ, iustitiamq; coluissent: humi verò retineri, hoc est, in terræ penetralibus recipi, qui terrestrem vitam, vitijs pollutam traduxissent, vt quàm longissimè degant à conciliò beatorum. Aperuit autem nominatim Tullius, à quibus accepisset duplicem hanc animorum viam, nempe à Socrate, quem Apollo omnium sapientissimum iudicarat, seu à Platone, Socratis personam suscipiente, cuius authoritati fidebat, etiamsi ratio defuisset. [Ita Socrates censebat, ait, duas esse vias, duplicesquè cursus animorum è corpore excedentium. Nam qui se humanis vitijs contaminassent, & se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati, velut domesticis vitijs, atq; flagitijs se inquinassent, vel in Republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent: ijs deuium quoddam iter esse seclusum à concilio Deorum. Qui autem se integros castosq; seruauissent, quibusquè fuisset minima cum corporibus contagio, seseq; ab his semper seuocassent, essentquè in corporibus humanis vitam imitati Deorùm, his ad illos, à quibus essent profecti, reditũ facilem patere.] Vis nostræ religioni, atq; adeo veritati magis congruentem sententiam? Quibus pollicentur Diuinæ litteræ cælum, ac beatorum societatem? His qui mundo sunt corde, quiq; sobriè, piè, & iustè vixerint. Quibus Tullius? His, qui in carne viuentes, carnis vitassent illecebras, atq; terreno induti corpore, Angelorum more, vixissent. Quosnam à Regno cælorum excludit Paulus? *Nolite*, inquit, *errare neq; fornicarij, nequè idolis seruientes, nequè adulteri, nequè molles, nequè masculorum concubitores, nequè fures, nequè auari, nequè ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Quid Tullius? Homines effrenatę libidinis, vitiorum, & flagitiorum mancipia, vbi excesserunt è mundo longè à Deorum consortio per deuium iter ad inferos tendere: hoc enim non aliò, dirigitur impiorum post mortem via, vt ille ipse explicat, cum inquit. [Non omnibus ijdem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in cælum patere. Nam vitijs & scelenibus contaminatos deprimi in tenebras, atquè in cœno iacere

Tullius sup.

Matt. 5.
Ad Tit. 2. c. 12.


1. Cor. 6.

Cicer in Cõsol. de obitu filiæ.

iacere docuerunt.] Tenebræ alibi, nomine inferorum appellantur. [Illi igitur, inquit, impij, quos cecidiſtis etiam ad inferos pœnas parricidij luent.] In Anton.

CAP. XVI.

Præcipuos Poetarum, inferni veritatem cognouiſſe, licet ad eam explicandam, fabulis plerunq; vſi fuerint.



NON philoſophi modò Barbari, Græci, aut Latini, verùm etiam antiqui Poetæ, mirâ conſenſione, docuerunt, fœdam quandam habitationem, in imis terræ viſceribus improbis destinatam, vbi diſceſſerunt à viuis, horrendam perpetuâ nocte, miſerrimam atrocisſimis pœnis, quibus illic cruciantur ſontes. Eſt autem adeo frequens apud illos mentio de infelici eo carcere, vt vix oculi in eorum libros conijciantur, quin occurrant tartarea regna, Ditis ianuæ, deſcenſus Orphei, Herculis, Vlysſis, & Aeneæ per obſcura itinera ad inferos, vbi inueniunt bonos in campis Elisijs gaudentes, malos in Tartaro, in ſummis calamitatibus, & pœnis: Styx præterea, Cocytus, Pyriphlegeton, Furię, inferorũ iudices Aeacus, Minos, Radhamantus, & alia, quæ poetarũ myſterijs proponuntur, ad docendum, more ſuo, dari domicilium quoddam impuris animabus poſt mortem præparatum, illud ſub terra collocatum eſſe, habere carnifices animarum, eò nullam lucis ſcintillam peruenire, explicari ſermone non poſſe, quanta ſint cruciamenta, quibus afficiuntur mali, eaq; de cauſa allegorica inuenta adhiberi. Sufficiet hîc ex vetuſtioribus quibuſdam teſtimonia decerpere, quæ nudam inferni veritatem continent. Homerus Poetarum pater longa oratione ſcripſit de Tartareo ſpecu, & eius pœnis dum Vlyſſem ad inferos euntem induxit, ſed ibi egregiè inferos pinxit, vbi eos appellauit obſcura tartara, vaſtisſima regna, in terræ profunditate poſita. Homeri carmina hæc ſunt. Homerus Illiad. 8

Aut ipsum capiens obscura in tartara mittam,
Sunt vbi sub terris vastissima regna barathri,
Aerea sunt ibi scepta, solumq; ex ære: sub ima
Tantum tellure hac, quantum quoq; distat Olympo.

Aristophanes. Aristophanes comicus, tartari pariter, eiusq; amplitudinis, ac tenebrarum meminit.

Chaos erat, & Nox, Erebusque niger primum, &
Tartarus amplus.
Terra, nec aer nec cælum erant; Erebiq; immensis
finibus.

Hesiod. in Theog. Hesiodus, initium tartarei antri agnouit, ac scripsit, illud ex confusa, ac inculta terræ mole, fabricatum, & in imis terræ partibus in summa caligine constitutum.

Ante chaos natum, post tellus ampla Deorum
Firma domus semper, colitur queis culmen Olympi,
Tartaraq; obscura: hoc terra conduntur in ima.

Philemon ex Iust. Martyr. L. de Monarchia. Iustinus Martyr, Philemonis, & Euripidis testimonia dat ad probandum, superesse malè gestis post mortem suppliciorum locum. Aurea sunt Philemonis carmina, quibus argumentum dedit minimè deprauatum naturæ lumen, videlicet impijs vitá functis, pœnarum carcerem omnino assignandum à piorum sede distinctum, quòd secus cæcum esset Diuinum numen, immò nullum, liceretq; impunè flagitia committere. Sic Philemon,

An mortuos existimas Nicostrate
Qui luxu in omni omnes peregerunt dies
Terra sepultos iam inde, & omni tempore
Tanquam latentes posse numen fallere?
Habet oculum vindicta cernentem omnia
Nam si loco pius sit vno, & impius
I, falle, misce, fœnera, frauda, rape.
Errare noli ius habent manes suum.
Quod vniuersi conditor peraget Deus.

Eurip. apud eundem Iust. sup. Euripides verò prudenter, & scitè subindicat, modò Deus sit, malos afficiendos pœnis, alterum enim, altero iungit. Idem Iustinus, eius carmina recitat, quæ hæc sunt.

Cauete

Cauete, qui non esse creditis Deum
Errore non recte implicati duplici,
Est ille, sed si quis malum patrauerit
Male natus, vt temporis lucrum ferat
Pœnas tamen graues dabit in tempore.

Dupliciter errat quicunq; Deum negat, nam & Deum tollit, & improborum pœnas in carcere subterraneo.

Nihil referam de Poeta latinorum principe, sunt enim in ore omnium, quæ cecinit in 6. Aeneid. quo in libro totus est in explicando situ tartareæ domus, ac in recensendis varijs cruciatuum generibus, quibus scelera afficiuntur. Hunc imitatus est Seneca, cui Tragediæ adscribuntur, in Hercule potissimum, vbi infernum appellat profundum locum, densa, spissaq; caligine obscurum, ac mundi fundum, atque post prolixam de inferis narrationem, statuit, communi fama receptum esse, his in locis malos alligari, & affligi, aitq;. Virgil. in 6. Aeneid. Sene in Hercul. Furente. Infernus Mūdi fundum.

——— *Certus inclusos tenet*
Locus nocentes, vtq; fert fama impios
Supplicia vinclis sæua perpetuis domant.

Quid Lyricus Poeta? Miratur Clemens Alexandr. eò peruenisse, vt caneret. [Impiorum autem animæ sub cælo volant in cruentis doloribus sub malorum iugis ineuitabilibus, piorum autem in cælis habitant, cantibus beatum, magnum canentes in hymnis.] Clem. Alex. l. 4. Strom.

Tibullus de inferno, eiusq; legibus locutus est. Catullus scripsit nonnisi per tenebricosa itinera ad inferos tendi, è quibus egredi nunquam liceat. Denique Ouidius, Statius, Papinius, Lucanus, & alij quamplurimi dixerunt de inferni carcere, & eum concordi sententia sub terra collocarunt.

At Poetæ ista finxerunt, inquis, multaq; narrarunt creditu difficillima, quæ & his fidem abrogant, & iocasse omnino indicant. Dixerunt quidem figuratè plurima Poetæ, intexueruntq; fabulas, vt narrationes suas exornarent; cæterùm haud mera figmenta sunt quęcunq; illi innuunt figmentis. *Totum, quod referas fingere,* inquit Lactantius Firmianus, *id est ineptum esse, & mendacem potius, quàm poetam.* Ambigi L. 1. de falsa relig.

non

non poteſt, quin plerunq; fabuloſi ſint Poeticorum verborum ſenſus. Quis perſuadeat ſibi Lethęum fluuium, Acherontem, Cocytum, Stygem, & Phlegentontem inundare inferorum loca? Quis exiſtimet Titij immortale iecur corrodi à vulture, Tantalum iter epulas, lautisſimasq; menſas, tabeſcere inedia, Sisyphum voluere perpetuò ingens ſaxum quis alijs commentis fidem habeat, ni latentes ſententiæ eruantur? Nullus tamen iure inficiabitur, quin iſta ſub cortice, neſcio quid tegant non fabuloſum, non fictum. Poetica figmenta Lethæum fluuium celebrant, vbi animæ infernum adeuntes omnem præteritorum memoriam deponunt. Sacræ litteræ, gehennam terram obliuionis iure appellant: tum quòd vt ait vir pius, & doctus, eam colentes, non ſint vltra memores Dei in bonum: tum quòd Deus ipſe haud ſit memor incolarum, vt eis condonet aliquando meritos cruciatus. Aiunt diuina oracula infernum eſſe terram quandam miſeriarum: in ea degentes perpetuis lachrimis calamitatem ſuam deplorare: non eſſe inter impios pacem: ignē ibi adeſſe inextinguibilem, & immortalem vermem: omnium præterea bonorum excruciantem famem: nihil omnino poſſe ibi detentos, quod prodeſſe illis, ac leuare moleſtias posſit. Quid Poetæ, Acheronte, Cocyto, Styge, Pyriphlegetonte, Titio, Tantalo, Sisypho? Doloribus fluere gehennam. Ibi luctus, & lachrimas non deeſſe; Odia item, & ſimultates. Vultures, vermes videlicet conſcientiæ, perpetuò vellicare animam. Diuites, & epulones in ſumma eſſe rerum omnium inopia, ac miſerè angi, dum cogitant, quæ fuerint huiuſce æui commoda. Nunquàm ſeneſcere, nunquàm deficere pęnas. Hæc poeticarum fabularum myſteria. Nazianzenus contra Iulianum agens probat Poetas ipſos agnouiſſe inferorum ſupplicia, & licet fabulas ſcriberent, in figmentis tamen veritatem indicaſſe. [Mitto, ait, diuina, & noſtra, eaquè flagra, quæ iuxta doctrinam noſtram impios illic manent. At tu ad ſermones tuos, & terrores tranſi, non poetis modo, ſed philoſophis quoquè placentes Pyriphlegetontes inquam tuos, & Cocytos, & Acherontem, per quos iniuſtitiam puniunt,

Poeticarum fabularum de inferno ſententiæ. Fran. Titel. in Pſal 87.

Acheron, Cocytus, Styx, Phlegeton, Titius, Tantalus, Sisyphus apud poetas quid ſignificent.

Nazian. orat. 4. in Iulian.

niunt, Tantalus, Tityus, Ixion. Iulianus Imperator vester huius sodalitij, ac cum illis, immò, vt quidem ipse statuo, ante illos recensebitur: non ille quidem sitis cruciatum in stagnis ad barbam vsq; prominentibus perpetiens, aut, vt Tragediæ videtur, saxum expauescens grande ceruici imminens, quod vt sursum semper impellitur, ita etiam semper deorsum labitur: aut hanc pœnam luens, vt magno impetu cum rota voluatur, vel ipsius iecur ab auibus depascatur, nec tamen vnquàm deficiat, sed quotidie impleatur: siue veritas hæc sint, siue fabula, veritem in figmentis indicant: verùm, quibus tum, & quantis pœnis afficiantur, videbimus, quanquàm his grauioribus, & acerbioribus, siquidem scelerum magnitudini vltiones, & supplicia respondent. Atq; ni huiusmodi commenta veritatem significassent, nunquàm scripsissent Patres, Homerum, & alios poetas vera de inferis cecinisse, nec ijs vsi essent, cum eorum cruciamenta prædicabant. Accipe Cypriani verba, more poetico, de multiplici gehennæ pœna disserētis. [Alios, inquit Cyprianus, moles intolerabilis curuat, alios per abruptum cliuosi tramitis collem vis sęua præcipitat, & catenarum stridentium nexum graue pondus inclinat. Sunt & quos agens strictim rota, & indefessa vertigo, & quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat, vt & absumat incendium, & grauet ferrum, & excruciet turba multorum.] Nonne agnoscis poetica ornamenta? Agnosce, quæ fuerint de inferno poetarum ingenia.

Theoph. Antioch l. 2. ad Arsyl Cyprian. de laud. Max.

CAP.

CAP. XVII.

Ethnicorum multos, quorum sententiæ relatæ, non pauca ex animi sententia de inferis scripsisse; neque habuisse omnia in numero fabularum.



VID tu ais apud philosophos, & poetas, inferos quęris, cum multi, quorum decreta recitata sunt, tanquàm veritati consona, sententijs, nullam penitus fidem haberent his, quæ de inferis scribebant, licet verbis ea prædicarent? Censebantur ea dogmata vtilia ad terrendos rudes, ac eos in officio continendos: veruntamen loco figmentorũ habebãtur, quæ calidè excogitata essent, sine vllo prorsus veritatis argumento, vt promptiùs Principibus, ac eorum statutis, subditi obsequerẽtur. Tullius non alia de causa, ait, ab antiquis supplicia apud inferos constituta. Vt aliqua in vita formido, inquit, improbis esset posita, apud inferos quædam illi antiqui supplicia impijs constituta esse voluerunt. Plato, qui adeo multa consona nostris, de miserijs tartarei carceris in suis libris loquutus est, non modò ea fabulosa censuit, sed indigna prorsus, quæ legerentur, ac statuit pellenda, & eijcienda quàm longissimè à republica: nec voces modò Cocyti, Stygis, & huiusmodi, detestandas esse, sed etiam sententias. Nam tertio de Rep. ait. [Oportet itaq; nos, & vt videtur pręcepta dare de his, qui de his rebus (inferis scilicet) fabulantur, precariq; ne ita simpliciter, quæ apud inferos sunt, vituperent, sed magis laudent, tanquàm neq; vera dicant, neque vtilia his, qui pugnaces futuri sunt.] Eodem loco docet, multa ex libris Homeri delenda esse, quæ animarum apud inferos miserias describunt, & ait. [Delebimus igitur huiusmodi carmina, ab hoc versu sumentes exordium.

Plato 3. de Rep.

Mallem inopi prorsus famulariter ipse colono
Atq; humiles habitare casas, & figere cernos

In-

Infandum cunctis, quam manibus imperitare.

Et illa.

Omnibus inuisa apparent Acherontis templa
Squallida, quæ infensis animis Dij odere, hominesque

Et illa.

Hei mihi apud manes varia obseruatur imago
Multi adsunt animi, at queis mens nulla superfit.

Quid Plutarchus? Pestem latere in ijs, quæ de inferis tradunt Poetæ, ac esse ad eo insana, vt ab authoribus ipsis existimentur fabulosa, & mendacijs plena. [Iam ille apud inferos portentorum fictiones, inquit, & dispositiones, quæ terribilibus nominibus spectra fabricantur, ardentium fluminum, locorum horribilium, ac terribilium suppliciorum, ferè ab omnibus deprehenduntur esse fabulosæ admodum, & in quibus, tanquam in alimentis venenum, ita mendaciū sit admixtū, nemoq; pœnè nescit, neque Homerum, neq; Pindarum, neq; Sophoclē pro certo habuisse id quod scribebant. Plutar. lib. de aud. Poetis.

Tullius his euidentius, non modo non censuit animos apud inferos cruciari, sed vehementer dubitauit aliquando, an improbi animi post mortem essent, darenturq; re vera villi inferi. Primus Tusculanarum quæstionum liber, eius mentem aperit. Alibi inferos, & eorum cruciatus, ineptias nugas, & fabulas appellat. [Quid tandem, inquit pro Cluentio, illi mala mors attulit? nisi fortè ineptijs, ac fabulis ducimur, vt existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre, ab vxorum necatarum pœnis actum esse præcipitem in sceleratorum sedem, atq; regionem. Quæ si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem mors eripuit præter sensum doloris?] De Nat. Deorum, huiusmodi esse scripsit infernorum supplicia, quibus nec vetulæ fidem adhibeant. [Quæ anus tam excors, ait, inueniri potest, quę illa, quę quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat]? Plurima his similia scribebant antiqui illi, quibus indicabant, nullos se post mortem inferos, nullaq; apud eos supplicia seriò, & ex animo cogitasse. Cicer. 1. Tusculi.

Mihi tamen nō est dubium, quin plurima ex animi sen

tentia scripserint antiqui, ac multa non ficte, non simulate dixerint; quod licet ab eis satis explicatum sit, ijs decretis, de quibus hoc libro dictum, tamen apertiùs etiam testati sunt, minimè mentiri se, cum de inferis loquebantur. Mercurius repræhendere eos solebat, qui recusabant his habere fidem, ac aiebat. [Incredibiles postea, cogentur delicta credere, non uerbis, sed exemplis, nec minus, sed ipsa passione pœnarum.]

In Asclep. c. 10.

Pythagoras, & eius discipuli, vt alibi probatum, optimis argumentis, quæ non terrent modò, sed prudenti cuiq; veritatem inferorum persuadent, sententiam suam aperuerunt.

Lact. l. 5. de Iust. Aen. Gaz. de immort. & corp. resur.

Quod ad Platonem attinet, Lactantius, & Aeneas Gazæus aiunt, cum pugnantia sæpe locutum. Quidquid sit, quicumquè eius dogmata meditetur, intelliget, cum multa nonnunquam valde affinia fabulis dixisse, dum sermonem habebat de inferis: nihilominus multò plura occurrent, quæ indicant, non dubitasse Platonem, quin reuera subterraneus carcer in terræ gremio constitutus esset, quem adirent malorum animæ ex hac vita migrantes. Id apertis sententijs aliquando insinuabat, aliquando metaphoris fabularũ. De inferis eorumq; cruciatibus dicturus ex Homeri sententia in Gorgia, ait. [Audi igitur, ut aiunt, pulcherrimũ sermonem, quẽ te arbitror fabulam putaturum, ego autem non fabulam, sed sermonem]. Atq; ubi multa de inferis disseruit: [Hæc sunt, ait, ò Callices, quę audiui, ueraq; esse credo.] Vera scilicet, quoniã uera latent: norat enim, ut opinor, fictitios iudices Minoem, Radamanthum, Aeacũ; atq; his ęquum quẽdam, iustumq; Iudicem significari: norat, quędam esse fabulosa: fabulis tamen ueritatem exprimebat, qua de causa uoluit aliquando, Homeri de inferis fabulas haud esse contemnendas, donec meliora inuenirentur. [Hęc forsitan, inquit, anilis quędam fabula tibi uidetur, & quę dicta sunt contemnis, sed profectò nihil mirabile foret hęc spernere, si quo pacto perquireres meliora his, & meliora inuenire possemus.] Fortè intellexerat Plato, aliquando meliora inuenienda esse,

ſe, quibus nihil eſſet admixtum fabulæ, cum videlicet ipſamet Veritas in terras deſcenderet. Id notauit in Platone Aeneas Gazæus cum inquit [Et Platoni ipſi placuit, vti ſuis decretis eatenus ſtaretur, dum aliquis diuinior homo in terris appareret, qui veritatem ipſam aperiat, cui conueniens ſit omnes aſſentiri, atq; obtemperare.] Aeneas. Gaz. Dial. de Immor. animæ.

Neque verò adeo ſui immemorem cenſeo Platoné, vt voluerit, irridenda eſſe penitus ea, quæ de inferis narrantur à poetis, cũ ijs ſæpe vtatur, quoties de inferis ſermo incidit, teſteturq; ſe non nugari, ea ipſa dicturus. Lege Gorgiam, lege Phędonem, lege longam narrationem de Hero Armenio multa inuenies, quę poeſim redolent, & ſpeciem ferunt fabularum. Cur ergo mandauit eijci poetas, eorumq; de inferis ſentias contemni? Quòd extinguerent religionem, quòd Diuinam naturam dehoneſtarent, quòd peccandi licẽtiam peſſimis exemplis inducerent, quòd deniquè effœminarent animos, abraderent virtutem, fortitudinem maximè ad optimum Republicæ ſtatum neceſſariam; dum ita de inferis aliquando loqui videbantur, vt peccandum potius, quàm moriendum indicarent, quòd mortuis adeo horrenda ſupplicia maneant: neq; tamen diſtinctè ſtatuerent, quibus manerent. In Gorg. In Phędone. In vlt. de rep.

Cœterum, quanquàm intelligeret Plato, ea quæ ſæpe de inferis ſcribebat, haud ita prorſus ſe habere, vt narrabantur, nihilominus non dubitauit, quin his ſimilia, vera eſſent. Theodoretus libro de Iudicio, vbi aliqua ex Platone de inferis, & eorum cruciatibus retulit, hæc ſubdit. Plato igitur ita hæc narrauit, vt qui maximè crederet, eſſe apud inferos iudicij, & ſuppliciorum loca. [Hæc igitur, inquit Plato ipſe vbi multa ſcripſit de inferis, eo ſe pacto prorſus habere, quo ego diſpoſui, non decet virum ſanæ mentis aſſerere: eſſe tamen vel hæc, vel talia quædam circa animos noſtros, eorumq; habitationes, quandoquidem animus ipſe immortalis apparet, & decere mihi videtur, & dignum quaſi periclitantes exiſtimare.[Certè Platonis ſententia (quod aliquando experientia docet, *Homines diuinare ſolent, cum ſunt* In Phœd. in fine. In Apol. Socr morti proximi diuinant.

prope mortem. At quã cura senes mouet, quid cogitant morti proximi, qui in fabularum numero habuerunt, ea, quæ de inferis audierant? Scilicet ne vera sint, valde timent, immò cũ timeant futura credunt. [Certo scias, inquit Plato, quod postquam eo deuenit aliquis, vt breui iam, moriturum se opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum, quæ in superiori vita neglexit. Etenim fabulæ, quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos, qui iniustè egerunt pœnas illic oporteat, irrisæ hactenus, mouent tunc animum, ne forte verę sint, &c.] Animus tunc non mouetur fabulis, sed ijs, quæ fabulis significantur, quæ, vt alibi ait, verissimè narrantur, & ab ijs tantum irridentur, qui habenas vitijs laxauerunt. [Has voces (ait Plato vbi scripsit antiquorũ authoritate, manere animabus post mortem maxima præmia, vel supplicia) homo pecuniæ deditus, & animo pauper, neq; audit, neq; audiet vnquã, sed securè eas irridebit: quod opinetur fas esse, vndequaquè omnia quæcunq; poterit temerè rapere, vnde putet beluę instar cõstaturũ sibi quidpiã ad ventris ingluuiẽ, & ad seruiles, fœdasq; rei venereæ, quæ vocantur cupiditates, quæ sanè voluptatis nomine sunt indignæ: nec cęcus videt, se frustra niti inexplebilem cupiditatem explere: neque rursus cernit, quantum sit malum impietas, & quas res iniquitati immixta comitetur, quam impietatis fœditatem necesse est animum eius, qui iniustè egerit, secum perpetuò, dum, & inter homines in hac uita uersatur, & dum ad inferos sub terram profectus, turpiter omnino, atq; miserè passim vagatur, circumferre.] Inferorum igitur ergustala & pœnas Plato nunquam irrisit, quoniam nunquam pæcuniæ deditus, nunquam animo pauper.

Dial. 1. de Rep.

Plat. Ep. 7.

Quòd etiam Plutarchus & Tullius uideantur de immortalitate animi Deiq; prouidentia alicubi probè sensisse, non uidentur irrisisse ueritatem inferorum, sed fabulas, ac aniles uulgi persuasiones. Aliter sibi ipsis repugnant, quod de Tullio affirmat Lactantius, de Plutarcho alij.

Lactan l. 3. de falsa sap.

CAP.

CAP. XVIII.

Ethnici immortalitatis animorum hostes, atquè infernum, & eius cruciatus, negantes, & irridentes.



QVANQVAM autem multi Gentilium haud iocosè de inferno, & eius supplicijs scripserint: impiè tamen nonnulli hęc seriò irriserunt, quorum cœcitas ab ea radice oritur, quæ omnium ferè errorum mater est. Rationalem animam esse mortalem, atq; nihil hominis superesse mortuo corpore, quod vitâ sit præditum, propterea nullum voluptati, aut dolori locum manere, post usuram huiusce lucis. Ita sensit Epicuri schola ex Tertulliano, Lactantio, Augustino, & alijs. Plinius, qui non modò humanos animos morte damnauit, sed Deum, eiusq; prouidentiam nesciuit, non potuit non subscribere pernicioso dogmati. [Omnibus, ait, à suprema die eadem, quæ ante primam. Nec magis à morte sensus ullus aut corpori, aut animæ, quàm ante natalem.] Nihil mirum, quî enim rectè sentiat de animæ immortalitate, qui in quæstione de Dei prouidentia omnium maximè est impius? Admirabilius est, Senecam de Deo multis in locis haud impiè sentientem, atquè ad exornandum uirtutibus animum, & eius sordes curandas, præcepta dantem, posuisse interitum animorum cum corporibus, ac dixisse prauis hominibus quantumuis flagitiosis, nihil mali post mortem extimescendum. [Cogita, inquit libro de consolatione ad Martiam, nullis defunctum malis affici. Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos in ea libertate tam laxa: nullos iterum tyrrannos. Luserunt ista Poetæ, & uanis nos agitauere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio

Tertull. l. de resur. car. initio.

Lactantius l. 7. de Diuin. pram. c. 7.

August. 6. Confess. c. 16.

Plin. l. 2. c. 7. de Deo. & de anima, l. 7. c. 55.

Seneca de Consol. ad Martiam. c. 19.

Renatus Laurentius excusat Senecam suis notis, im Tertull. de resur. car.

solutio, & finis est: vltra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacuimus, reponit.] Eadem toties repetit, quoties de morte agit.

Veterũ poetarũ aliqui in eadem fuerunt caligine. Tres habeo, quo, hîc referam, qui inter cœteros apertius prodiderunt, non esse homini, ab interitu, aliud expectandum, quàm tumulum, ac vana esse, quæcumque scribuntur de supplicijs post mortem, quòd nulli malè sit post præsentis vitæ incommoda. Hæc in primis Simonides.

Nihil ad inferos præter sonum transit inanem.

Item

Omnia perueniunt ad vnàm voraginem diram
Et magnæ virtutes, & diuitiæ,
Tempus enim est breue viuendi. Semel verò
Situs sub terra iacet mortuus per omne annum.

Lucret. L. de nat. Macrob. L. 1. in Somn. Scip. c. 10.

Lucretius, philosophos quosdam imitatus, de quibus Macrobius, vniuersa, quæ de inferis antiqui decreuerunt, ad præsentem vitam reuocat. Sic Lucretius.

Atqui animarum etiam, quæcunq; Acheronte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis
Cerberus, & furiæ, iam verò & lucis egenus
Tartarus horrificos eructans faucibus æstus,
Hæc neq; sunt vsquàm, nec possunt esse profectò,
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis, scelerisq; luela
Carcer, & horribilis de saxo iactus eorum,
Verbera, carnifices, robur, pyx, lamina, tædæ.

Iuuen. Saty. 2.

Non dissentit Iuuenalis, cum scripsit.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et Cocytum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; vna transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.

Hæc fermè sunt Gentilium monstra, sponte nata, quæ excipere semen illud noluerunt, quod maiores sui ex horreo

sanæ

sanæ mentis, ac veritatis cellã acceperant, & proprijs manibus sparserant.

CAP. XIX.

Vnde acceperint ethnici homines illa, quæ de inferis scripsêre, haud omnino aliena à nostra Fide. An solius naturæ luce, an cum Prophetis colloquentes, an sacra volumina legentes, an dæmonum indicijs ea cognouerint.

DVO enim potissimùm sunt, quæ, Ethnicos illos docuerunt quæcunq; de inferno, & statu scelestorum post mortem apud eos leguntur non dissimilia nostris: Lumen naturę, atquè sacrosancta veteris Testamenti oracula, eorumquè authores. Intelligere in primis potuerunt, naturæ iudicio, æquum esse, vt animus, qui prauitatem, ac impietatem in hac vita sectatus est, quiquè præsens ęuum lætissimè traduxit, impunis non abeat. Pœnas pro sceleribus aliquando dandas. Id, cum sæpe haud fiat, dum inter mortales degit: expectandum esse, cum à corpore abscesssit. Hanc veritatem reserat insitum omnibus lumen. Cæterùm ab alio doctore didicerunt, malos subterraneo carcere concludendos, igne corporeo, ac vehementi rursus frigore excruciandos, á teterrimis dæmonibus excarnificandos, & alia, quæ Fides nostra docet, nec ab humana mente inuestigari, se solâ, possunt. Et quidem mihi est verisimile, vt fontem aperiam vnde ista hauserunt, antiquissimos illos philosophos, qui in Aegypto fuerunt, ac vniuersum penè orbem peregrinati sunt, discendi studio, multa accepisse tum à sapientissimis quibusq;, quos adibant, tum ex sacris Mosis, cæterorũq; Prophetarum voluminibus. Mercurius Trismegistus in Aegypto floruit, &

que-

quemadmodum ab alijs est obseruatum, tractauit libros Mosis, immò & integras eius dictiones vsurpauit; quin nonnulli, quanquam immeritò, censuerunt, Mosem ipsum, non alium fuisse à Mercurio, seu Hermete, cui id nomen Aegyptij dederint, ob inuentionem litterarum.

Pythagoras legit sacros libros. Clem. Alex. l.5. Str.

Pythagoras etiã sacris libris vsus est ad sua symbola cõficienda, vt multis probat Clemens Alexandrinus. [Iam vero ait, à Barbara philosophia admodum reconditè dependẽt Symbola Pythagorica.] Et eodem locò inquit. [In summa Pythagoras, & qui ex eo sunt cognominati, vna etiam cum Platone maximè omnium philosophorum, vsi sunt legislatore, vt conijci potest ex ipsis dogmatibus.] Idem sentit Theodoretus.

Aug. de doctr. Christiana. c. 28.

De Platone dubitant nonnulli, an Prophetas sit allocutus, & sacra volumina tractarit. Augustinus aliquando visus est sequi D. Ambrosij sententiam existimantis, Platonẽ, Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuisse in Aegyptum, ac sacras litteras ab eo accepisse, quibus imbutus, ea scripserit quæ sapientes, in tantam rapiunt admirationem. Quod tamen 2. Retract. non probauit, & improbauit de Ciuit. Dei, Vbi docuit, ab Hieremia nihil potuisse Platonem addiscere, quòd multis, ante illius in Aegyptum peregrinationem, annis, obijsset: immò inclinat, sacras litteras minimè lectas fuisse à Platone, quod adhuc in græcam linguam translatæ non essent. Augustini sententia hæc est. [Nonnulli putauerunt eum (Platonem scilicet) quando perrexit in Aegyptum, Hieremiam audisse prophetam, vel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse, quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui. Sed diligenter supputata temporum ratio, quæ chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore, quo prophetauit Hieremias, centum ferme annos postea natum fuisse. Qui cum octoginta, & vnum vixisset, ab anno mortis eius vsq; in id tempus, quo Ptolomæus rex Aegypti scripturas propheticas gentis Hebræorum de Iudæa poposcit, & per septuaginta viros Hebræos, qui etiam Græcam

Aug. 2. Retr. c. 4. 8. d. C. D. c. 11.

linguam

linguam nouerant, interpretandas, habendasq; curauit, anni fermè reperiuntur sexaginta. Quapropter in illa peregrinatione sua Plato, nec Hieremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem scripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam linguam translatæ, quâ ille pollebat: nisi fortè, quia fuit acerrimi studij, sicut Aegyptias, ita & istas per interpretem didicit, non vt scribendo transferret, quod Ptolomæus pro ingenti beneficio, qui regia potestate etiam timeri poterat, meruisse perhibetur, sed vt colloquendo quid continerent, quantum capere posset, addisceret.] Ante Augustinum etiam centesimo supra decimum anno, scripserat Lactantius Firmianus, Diuino consilio factum esse, ne Pythagoras, & Plato, qui ad Aegyptios, Magos, & Persas ierant, veritatis cognoscendæ studio, diuerterent ad Iudæos, à quibus veritatem religionem, ac Diuina mysteria, potuissent intelligere. [Soleo, inquit, mirari quod cum Pythagoras, & postea Plato, amore indagandæ veritatis accensi, ad Aegyptios, & Magos, & Persas vsq; penetrassent, vt earum gentium ritus, & sacra cognoscerent; suspicabantur enim sapientiam in religione versari: ad Iudæos tamen non accesserunt, pœnes quos tunc solos erat, & quò faciliùs ire potuissent. Sed auersos arbitror esse diuinâ prouidentiâ, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus, religionem Dei, iustitiamq; cognoscere.] Et paulò post. [Nec ea, quæ Plato scripsit, satis demonstrant, sacrarum litterarum cognitionem illum hausisse. Si enim aliqua de Deo rectè locutus est, & de mundo, illa certè naturali perspicacia intellectus, ope Dei aliquantùm adiutus, ex creaturis inuestigare potuit]. Censebat ergo Lactantius, non modo hosce philosophos apud Hebræos non fuisse, nec eos allocutos esse, sed nec eorum scripta habuisse vnquàm in manibus.

Lact. Firm. l. 4. c. 2.

Alijs è contrariò placuit, Platonem ex Hebræis, eorúq; libris hausisse ea, quæ de religione, animarumque post mortem statu agunt. Iustinus Martyr pro certo habuit libros Mosis, & Prophetarũ in manus Platonis peruenisse; Et scripsisse ea de iudicio, & inferis quæ à Prophetis didicerat. Aitq; de

Iustin. orat. ad Antonin. Pium.

omnibus philosophis in oratione ad Pium. [Omnia, quæ de animæ immortalitate, aut supplicijs post mortem, aut cœlestium rerum contemplatione, aut similibus doctrinis & philosophi, & poetę dixerunt, à Prophetis argumento sumpto, & intelligere ea, & exponere potuerunt.] Clemens Alexandr. Platonem ex Hebræis Philosophum appellat, quòd Hebręorum placitis sua scripta illustrarit. Idem affirmat, Platonem in legibus ferendis à Mose adiutum esse, ac refert Numenium philosophum Pythagoræum, hæc de Platone scribentem. *Quid est Plato, nisi Moses, qui loquitur Attice?* Quibus verbis, ait Theodoretus, ostendit apertissimè Numenius, quęcunq; piè dixerit Plato, è Theologia Moseos surrepta esse. Deniq; idem Clemēs veluti ea miretur, quæ Plato descripsit de inferis, ait. [Quid verò non nouit Plato, & fluuios ignis, & terræ altitudinem eam, quæ Gehenna vocatur à barbaris, tartarum nominans prophetice, Cocytumque, & Acherontem, & Pyriphlegetontem, & quædam huiusmodi, quæ ad castigationem, disciplinamq; inducunt, loca suppliciorum.] Eusebius Cæsariensis testatur, Platonem ex Hebręorum scriptis multa de mansionibus impiorum, atq; eorum supplicijs accepisse. Theodoretus, ait, Anaxagoram, Pythagoram, & Platonem, paruæ veritatis lumina, quędamque initia desumpsisse ex Mose. Atq. in libro de Iudicio, distinctè ait, Platonem ex Danielis, & Esaię scriptis didicisse ea, quę de ardentibus inferorum fluminibus scripserat. [Plato, inquit, ita hęc narrauit, vt qui maximè crederet, esse apud inferos iudicij, ac suppliciorum loca. In Aegypto enim cum Hebręis diuersatus, procul dubio, quę hîc dicuntur, à prophetis accepit. Indeq; didicit esse ignis fluuium, quem Daniel propheta uidisse se narrat. Didicit autem, & quæ sequuntur apud Esaiam. Ille enim de his, qui puniuntur apud inferos hęc inquit. Vermis eorum non morietur, neque ignis ipsorum extinguetur. Et iterum, quis renunciabit nobis locum æternum.]

Clemens l. 1. Strom.
eodem lib.
Theod. l. 1. Gr. c. affec.
L. 5. Strom.
Eusebi. Cæsar. 2. de Præp. Euan. c. 10.
Theod. l. 2. de cur. Græc. aff.
Lib. de Iud.
Dan. l. 7.
Es. vlt.

Ego quidem, quamuis D. Augustinum sequar, quòd Plato, nec videre Hieremiam, nec alloqui eum potuerit, quod

quod multis ante Platonem annis excesserit, quot quot illi sint (nam ab Augustino discordat Euseb. Cæs. in Chronico, qui Platonem Olympiade 88. anno 4. natum affirmat, Hieremiam vero prophetasse 37. & 38. quare plus quàm centũ, & septuaginta anni fluxissent ab Hieremia prophetante, ad Platonis ortum) Non inficior tamen, & auctoritate insigniũ Patrum, de quibus diximus, & ijs ipsis decretis, in quibus non obscura lucent Propheticæ doctrinæ vestigia, quin Plato, qui ad Aegyptios, Iudæos, & Persas profectus est, aliqua legerit in diuinis voluminibus, intellexeritq; viua voce, tum de Deo, tum de bonorum præmijs, malorum pœnis, inferno, igne, alijsq; supplicijs. Nam etsi, hæc Plato ab Hieremia viuente non potuerit addiscere, cur non ab eius libris, & aliorum? An quòd non nisi Ptolomei Aegyptiorum regis tẽporibus, sacri libri in Græcam linguam translati sint? At legenti Eusebium, constabit ante Demetrium Phalareum, imò & ante Alexandrum, & Persarum imperium, quinq; Mosis libros, quanquàm non satis commodè, in Græcum sermonem cõuersos esse, cuius etiã versionis meminit Clemens Alexandr. Deinde, vt eiusdem Augustini authoritas indicat, potuit Plato Hebræorum sententias intelligere per interpretes, aut quòd non ignarus esset sermonis earum regionum: nõ enim verisimile, eò vsq; profectum fuisse Platonem, ac apud eos commoratum addiscendi causa, nisi eius linguæ sensus potuisset percipere. L. 13. c. 7. L. 1. Strom.

Idem censeo de alijs vetustissimis scriptoribus Græcis, qui de inferno affinia nostris prodidere: vniuersos Clemens Alexandrinus fures, & latrones appellat, quòd ab Hebræis, qui illos multis seculis præcesserunt, non pauca suffurati sint. L. 1. Strom.

Heraclitus Ephesius, ac Stoici, quibus innotuit, malos post mortẽ ignis supplicio afficiendos, eodẽ Alexandrino teste, non aliunde id acceperunt, quàm ab Hebræis. Ephesij decretum id erat. [Eorum qui sunt probi, probissimus nouit seruare, quin etiam falsorum quoquè architectos, & testes comprehendet iustitia.] Post hæc, ita Clemens. [Nam hic quoq; nouit, vt qui ex barbara didicerit philosophia, eam L. 5. Strom.

quæ fit per ignem expurgationē eorum, qui malè vixerunt, quam exustionem, seu inflammationem postea vocarunt Stoici, qua ratione etiam eum, qui est propriè certa præditus qualitate, statuunt futurum, vt resurgat, eo ipso tuentes resurrectionem.] Quid de alijs? Vt à maioribus suis didicerunt, sic à nostris, à quibus illi.

De Poetis, qui de inferis locuti sunt, idem statuerunt antiqui Patres, eosq. perinde ac Philosophos, multa de carcere improborum ex Hebræis, diuinisque paginis, suffuratos esse, non leuibus argumentis tradidere. De Homero, quem reliqui ferè omnes imitati sunt, id apertè tradit Iustinus Martyr, & philosophus, qui Homerum in Aegypto fuisse probat ex Diodoro, & inseuisse multa suo operi ex Diuinis prophetarum oraculis. Vniuersos verò, qui de Gehenna locuti sunt, comprehendit in Orat. ad Antoninum Pium, cuius verba relata iam sunt. Theophilus Antiochenus tradit, Poetas nec cogitare quidem, se ipsis, potuisse, ea quæ de inferis scripserunt, nisi sacros Scripturarum fontes adijssent. [Cui inquit, Deo scilicet, te adhortor quoq; obedias, si nūc incredulus es, aliquando credere cogeris magno tuo malo subditus sempiternis pęnis. Harum pœnarum mentionem fecere, & prophani vestri scriptores Philosophi, & Poetæ, at proprio marte ne somniare quicquam de illis potuere: verùm expilantes sacram scripturam, pœnarum illarum mentionem in suis scriptis fecere, vt sua dogmata magis constabilirent.] Clemens Alex. lib. 5. Strom. inquit [Supplicia post mortem, & pœnas, quæ igne luuntur, à barbara philosophia, & vniuersa musa Poetica & Græca etiam surripuit Philosophia.] Scilicet factum, diuinâ prouidentiâ, vt ethnici, Philosophi, & Poetæ varitatem de inferno, & eius pœnis cognoscerent è sacris libris, quidquid Lactantius dicat, tum quòd nullus hoc pacto excusationi locus relinquatur, si peccatis se dedant, tū quòd illorum scriptis magna, & plus ęquo, fides adhibenda esset. Theophilus Antiochenus id animaduertit dum inquit. [Non ab re factum est quod etiam hi (poetæ scilicet, & philosophi) commemorarunt, immò etiam pronunciarunt pœnas,

Iust. orat. ad Gent.

L. 1. ad Autholycum.

Clem. Alex l. 5. Str. c. 6.


Theoph. Antioch. L. 2. ad Autyl.

nas, quæ impios & incredulos manent. Nam hæc quidem in testimonium vergent mortalibus, ne se excusare possint dicentes; non audiuimus, nec cognouimus.]

Non aberraret autem à vero, qui sibi persuaderet, non modo ex diuinis paginis, sed etiam malorum Dęmonum indicijs, cognita fuisse ab ethnicis inferorum loca, & supplicia, haberetq; suę sententię testem Arnobium, qui vbi dixit, non paucos, his nullam habere fidem, quę de inferis dicuntur, subdit. [Et tamen admonentur hominum doctissimorum libris, & carminibus poetarum, illius ignei fluminis, & de Stygia palude sępe ambientis ardoris, quę cruciatibus ęternis pręparata, & dęmonum indicijs, & de oraculis prophetarum cognita tradiderunt.] Dare potuerunt mali dęmones antiquis gentilibus indicia cruciatuum inferni, aut proprijs miserijs, aut alienas prędicantes ad augenda humanis criminibus supplicia, quòd ea mortales non declinarent, etsi gnari pœnarum. Indicijs dæmonum cognita Ethnicis inferni supplicia. Arnob l. 8. Con. Gen.



[DE



DE DÆMONIBVS

AB EORVM CREATIONE, AD PATRATVM CRIMEN.

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Quid voce Dæmonis, *apud prophanos, & sacros scriptores, significetur.*

HACTENVS satis de inferni carcere, & eius cruciatibus, ex sacris, & prophanis litteris. Exequamur deinceps conditionem, & miseriam eorum, qui adeo infami ergastulo, tantisq; supplicijs destinati sunt, Omnipotentis iustitiâ, ab ijs sumentes exordiũ, qui vix cõditi, in ipsis mundi primordijs, à creatore suo turpiter defecerunt, ac sibi dæmonum, seu malorum spirituum nomen compararunt. Erit huiusce libri summum, & maximum, iuxta promissi leges, potissima persequi, quæ ad statum apostatarum angelorum pertinent, ab eo momen

to,quo conditi fuêre, ad illud vſq; tempus, quo intolerandæ ſuperbiæ causâ, è cæleſti aula pulſi ſunt? Ordior à communi nomenclatura, eius enim uis ſummatim explicanda, quòd variè à ſacris, atq; à prophanis authoribus accipiatur, ſitq; apud alios fauſta, apud alios infeſta. Ethnici quidem ſcriptores tantum ei voci tribuunt, vt Deum ipſum, nomine dæmonis appellent. Orpheus de Ioue, quem cæca gentilitas loco ſummi Dei colebat.

Imperium, Dæmonq; vnus, mundiq; ingens Rex

Dęmon vnus, haud dubiè Deus, qui imperium, regimenquè mundi habet. Homerus eodem nomine ſępisſimè diuinum numen, poteſtatemq; expresſit. Idem fecit Plutarchus. Ariſtoteles etiam vocat philoſophiam *dæmonium rem*, quaſi diuinam. Aliorum teſtimonia abundè referunt Cælius Rhodiginus, & Eugubinus. Plutar. L. de Educ. & de his qui ſero à num. pun. Ariſt. lib de mundo Cal. Rodig. L. 3. lect. antiq. c. 2.

Frequentius tamen Gentiles, eam vocem vſurpatunt ad ſignificandos minores quoſdam Deos, (hi à nobis cæleſtes Angeli dicuntur) ſummi Dei nuncios, qui miræ agendi poteſtate præditi ſint, curam habeant terrenorum, ſuſtineantq; munus deferendi Diuina iuſſa hominibus; hominũ verò neceſſitates Deo. Plato de dæmonibus [Cognoſcens Saturnus queadmodũ narrauimus, humana natura, cuius impeṛio ſubiecta cuncta eſſent, fieri non poſſe, quin iniuſtitia, & iniquitate, in gubernando vteretur, præfecit Reges, & Principes vrbibus noſtris, non homines, ſed alterius generis diuinioris, Dæmonas.] Alibi legati officium exponit. [Omne, inquit, Dæmoniorum genus interiacet inter Deum, & mortales, deferens Dijs res humanes, hominibus diuinas. Hominum quidem preces, & ſacrificia: Deorum imperia, & proemia ſacrificiorum.] Palàm eſt, puris Angelis hæc conuenire, qui Dei nuncij appellantur, quibuſq; mandauit idem Deus, vt hominem in omnibus vijs ſuis cuſtodirent, eiq; præſtò eſſent. Paſſim in eadem ſignificatione apud alios ſcriptores id nomen occurręt, maximè cum impura ſacrificia deſcribũtur, in quibus, ideo *Dæmones*, aliquãdo innocabãtur, quòd pia numina cenſerentur, Deus fortè, ac boni Angeli *Dæmones* di- Eugub. de Per. Phil c. 10. Plato 4. de legib. In Sympoſ.

cti,

cti, quod Deus inprimis, tum Angeli sint periti, ac rerum scij.

Sed an impuri spiritibus imperiti, & ignari? Minimè verò. Probo & improbo commune est scire. Et malis ergo ea vox tribui potest; immò tribuitur, ab ijs ipsis, qui bonos dæmones prædicant: noscunt enim & malos, vitiorum suasores, hominum hostes, scelerum, ac pœnarum causâ miserrimos. Philo Iudæus: antiquorū philosophorū studiosissimus, monuit facile esse, vt in errorem labatur, quicunq; nesciat, dæmones alios bonos, alios malos, sicuti & Angelos, & animas. [Animas, inquit Philo, & dæmones, & Angelos, nomine differre: vnam autem, atq; eandem esse rem, tibi persuadens, molestissimam superstitionis sarcinam abijcies. Vt enim bonos dæmonas, & malos plerique dicunt, similiter & animas: sic & Angelos, alios quidem, qui futura prædicerent legatos quosdam hominum ad Deum, sacros, & incorruptos custodes propter pręclaram hanc, & inculpatam administrationem: contra alios impuros, & indignos, qui prædicerent, ipse arbitratus, haud quanquam errabis.] Hactenus Philo. Quid Mercurio Trismegisto sonat *Dæmonis* nomen? Quendam impietatis magistrum, Deo contrarium, malorum omnium authorem. [Mens, inquit, humana cum bonarum cogitationum acceperit à Deo recta parit. Contraria vero, cum ab aliquo Dæmoniorum. Cum nulla mundi pars vacua sit Dæmone. Qui subiens tacitè mentem, propriæ operationis inseruit semen, & peperit ipsa mens, quod satum fuerit, videlicet adulteria, cædes, parentum verberationes, sacrilegia, impietates, strangulationes, per pręcipitia impulsiones, & alia omnia, quę sunt Dęmonum opera.] Horpheus Dęmones pingit tanquàm infensissimos hominum hostes, feros, malignos, in hęc verba.

Phil. L. de mundo.

Merc. T. lib. Quod in solo Deo sit bonitas.

Orpheus in hymno ad Titanos.

Exhorrentq; tuum rapidum, durumq; flagellum,
Dæmones humani hostes, atquè feri atquè maligni,
Qui nostris animis vacuis infanda ministrant,
Vt semper diram vitam cum crimine ducant
Corpore peccantes, semper vinclisquè retenti,

Excidat

Excidat vt nobis summi fulgor patris aula.

Re vera, Dæmones quid aliud sunt Christi fidelibus, quàm mali spiritus, iustè diuinis flagellis puniti, qui nũquam non student, vt humanũ genus in scelera alliciant, priuentq́; cælesti fulgore, ne supremam aliquando adeat Regis aulam, vnde ipsi exciderunt?

Plato, qui tantopere cohonestauit Dæmonum nomen, multis in locis, eorum nequitiam, ac nocendi & fallendi studium detegit. Legendus Eugubinus. Denique Empedocles, Plutarchus, Xenocrates, Democritus, alijq́; permulti veterum temporum nobiliores scriptores, satis nouerunt, Dæmonum voce declarari naturam quandam maleficam haud imperitam, & rerum insciam, vt nomen ipsum indicat. Horũ tamen scientia vix eo nomine digna est: inflat enim, extollitq́; in superbiam, ac expers est eorum munerum, sine quibus contemnenda potius est, quam suspicienda. Quapropter Eusebius Cæsariensis voluit, dæmones sic dici, non quia δαήμονες sint, quod latinè scientes dicere possumus, sed quia δειμαίνειν soleant, quod latinè tum timere, tum terrere significat. Eug.l.8.de Per Phil.c.26. lege Eugub.l.8.c.35.&36. Cæs.4.de præp.Euan.c.5.

Hæc ex Ethnicis, de nomine *Dæmonis*. Apud nostros, haud commune est bonis, & malis, eo namq́; significantur tantum maligni spiritus, & apostatæ Angeli, perditioni, neciq́; hominum intenti. [Nos (inquit Augustinus, vbi retulit à quibusdam, Angelos vocari appellatione bonorum dæmonum) sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, Angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquã verò bonos dæmones legimus. Sed vbicunq́; illarum literarum hoc nomen positum reperitur, siue dæmones, siue dæmonia dicantur, nonnisi maligni significantur spiritus.] Id communi omnium sensu, idem Augustinus confirmat, subdens. [Et hanc loquendi consuetudinem, in tantum populi vsquequaq́; secuti sunt, vt eorum etiam, qui pagani appellantur, & Deos multos, ac dæmones colendos esse contendunt, nullus ferè sit tam literatus, & doctus, qui audeat in laude vel seruo suo dicere, Dæmonem habes; sed cuilibet hoc dicere Aug.9.de C.D.c.19.

voluerit, non se aliter accipi, quàm maledicere voluisse, dubitare non possit]. Ante Augustinum Tertullianus notauerat, etiam vulgus indoctum in vsum maledicti, id nomen frequentare.

Tertull. in Apologet. c.22.

CAP. II.

Præcipuæ dæmonum appellationes ex diuinis paginis allatæ, & explicatæ.



LICET verò familiarius sit *Dæmonis* nomen, quo spiritus nequam vocantur: alijs tamen præterea appellationibus vtuntur Sacræ litteræ, pij q; scriptores, quibus malos Angelos, eorumquè praua ingenia, ac pessimos conatus, significant. Exequemur, & explicabimus potiores. Cum primùm diuina oracula Dæmonis apertè meminêre, eũ *Serpentem* vocarunt, fuitq; eo nomine appellatus, quòd serpentis specie indutus adierit primos humani generis parentes, eosq; dolo, ad diuinum præceptum violandum induxerit; quãquam etiam ob calliditatem id illi nomen conueniat, astutissimus enim est, versutus & multiformis.

Genes. 3.

Antequam serpens appellaretur, vcari iure potuit *Satanas*, ac *Belial*, defecerat enim à conditore suo, infami apostasia, initio suæ creationis, ac suaue iugum, Deiq; seruitutem de collo suo abiecerat, verè factus *Satan*, hoc est hebræorum linguâ, apostata, siue transfuga; Imò eo æquius Satanas dicitur, quòd non modo fuerit à Deo authore suo auersus, sed etiam, quòd ob peccatum superbiæ, cælo deturbatus, zelo inuidiæ primus factus est *Satan*, idest aduersarius homini, quem omnibus neruis contendit à Deo auertere, ne per obedientiæ humilitatem eò ascendat, vnde ipse per superbiam corruit.

Iob. 1. &c.

Suidas in hac voce.

Eadem verò in humanum genus simultate, *Diabolus* dictus est, quod nomẽ Criminatorẽ sonat, teste Hieronymo. D. Chry-

Matt. 4. &c.

Chrysostomus. [Diabolus non naturæ nomen, sed præsumptionis: non enim Diabolus factus à principio, sed Angelus creatus est, Diabolus verò, quia detrahat, & Deo apud homines, & apud Deum hominibus, appellatur, quasi Deum contra homines, hominesq; contra Deum, dominum aduersus seruum irritans, & seruum aduersus dominũ.] Theodoretus eo nomine dęmonẽ, appellatum dicit, quòd inter ipsos homines alternas lites, controuersiasq; inijciat. Rupertus Tuitiensis ait, Diaboli nomen Dæmoni conuenire, quòd è summo cælo, ad profundum inferni defluxerit.

Hier. in c 4. Ep. ad Ephes. Chrys hom. 3. de Patientia Iob.

Theod. de Græc. affec. l. 3 da Dijs, & Angelis.

Ruper. T. l. 7. c 7. in Io.

Quòd autem vbi Dæmones è cælo pulsi sunt, datus sit aliquibus huiusce terræ incolatus, in exercitium hominum, Dæmon *Behemot* appellatus est, hoc est fera, & crudelis bestia, terram inhabitans.

Iob 40.

Leuiathan dęmonẽ sacræ litteræ vocant, quasi Cętũ per grandem, semper paratum, patentibus faucibus, ad homines deglutiendos, eosq; secum trahendos in profundum inferni.

Iob 3.

Dicitur similiter *Draco magnus, & rufus* ob immanitatem sceleris, ac lethiferum virus, quod perpetuò contendit in homines effundere, siue ob violentum conatum, quo Christi fidem, eiusquè nomen delere nunquam nõ contẽdit, vt penitus semen illud extingueret, à quo oriri debebat, qui conteret eius caput: id enim cum illi maximè cordi esset, cœpit esse sanguinarius carnifex Abel iusti, masculorum gentis Hebręæ in Aegypto, Prophetarum, Innocentum infantulorum, Christi ipsius, & Apostolorum; quæ cũ effecerit per terrenas potestates, & huius mundi ręgna, regno Christi contraria, meritò illi multiplicia capita, cornuaq; tribuuntur.

Apocal. 12.

Leonis præterea, ac *Tigridis* voce significatur, tum ob eius immanem sæuitiam, ingentem vim, potestatemquè, tum ob fraudolentam eius calliditatem. Satan, inquit, Gregorius in Iob propter crudelitatem Leo dicitur: propter multiformis astutiæ varietatem non incongruè nomine Tigris appellatur.

Iob 4.

Greg. L. 5. moral. c. 17.

Notauit etiã Cassianus, alijs ferarũ appellationibus dęmones exprimi in sacris paginis. Nam dicuntur Onocentauri, pi-

losi, sirenę, lamiæ, vlulæ, strutiones, eritij, aspides, scorpiones, & similibus præterea vocabulis designantur, quæ, illorum ferocitatem, rabiem, ac virulentum in homines odiũ, ob oculos ponunt.

Coloss. 1. Vulgatum etiam, malos spiritus Potestates tenebrarum nuncupari, quod in hoc aere caliginoso versentur, ac dominentur hominibus in tenebris errorum, infedilitatis, & ignorantiæ constitutis, qui tenebræ sunt, Apostoli sententiâ. Simili de causa dęmon vocatur, *Princeps mundi*, non quia creauerit mundum, vt ait Origenes, sed quia multi sunt in hoc mundo peccatores; Peccati autem quia ipse princeps est, ideo mundi Princeps appellatus.

Ad Ephes. 5. Orig. hom. 11. in Num.

Iob 6. 1. Pet. 5. *Hostis*, & *Aduersarius* dæmon dicitur. Hostis, quia bonum omne, omnesquè mortales odio habet, cunctisquè insidias ponit: aduersarius autem, quia in omni bono opere impedimento nobis esse quærit.

Ioan. 17. *Perditio*, quòd maximè habeat in votis, vt homines ruant in interitum.

Demum, vt taceam reliqua, quoniam Dęmones re ipsa spiritus sunt, appellatione similiter *spiritus* in diuino eloquio non semel nominantur, additâ tamen notâ, quâ dignoscantur Spiritus inquinati, inuidi, proditores, infidi, pessimi. Cum enim Spiritus, nomen, vt Cyrill. Hierosolymitanus notat, medium quoddam sit, nam omne quod est absque corporis mole, in vniuersum spiritus vocatur: Dæmones æquè, & Angeli, cum non habeant corpora, vocari spiritus, poterunt; Ob magnum tamen, quod inter hos spiritus discrimen intercedit, Angeli, boni Spiritus, Spiritus Dei vocătur, Dęmones, vt multis diuinæ Scripturæ locis patet, Spiritus erroris, Vertiginis, Mendacij, Nequam, Diuinationis, Blansphemię, Tumoris, immundi, Fornicationis, & huiusmodi, quibus signis vitiosi eius naturæ mores haud obscurè depræhenduntur.

Cyrill Hier. Cath. 16.

CAP.

CAP. III.

Notissimum esse, communi omnium consensione, diuinorum oraculorum authoritate, ac miris rerum euentis, existere impuros quosdam spiritus.

NON est autem laborandum nobis, vt doceamus existere maleficam hanc naturam aduersus eos, qui putant, effictum, atq; ab hominum ingenijs excogitatum, sine vllo veritatis argumento, ad implendos varijs terroribus mortales, quidquid de illis tradunt scriptores. Saducæi, Dositheani, Balbi, Athingani, veteres hæretici; Anabatistæ, & Libertini, recentes, nihil non corporeum admittebant, & quæcunque de cacodęmonibus narrantur, ac leguntur, quęcunque prętereain dęmoniacis admiramur, in prauos affectus, turbulentosq; motus animorum nostrorum, referebant. Refelluntur hi, communi in primis omnium gentium existimatione, qui nunquàm sibi adeo timuissent ab huiusmodi spiritibus, malignisq; potestatibus, si tãtùm in opinionibus hominum vagari eos censuissent. Non obscura veterum Gentiliũ capita ante retulimus, quibus compertum fuit reperiri huiusmodi spiritus nequam, iuratos mortalium hostes. Omnes Philosophos, & Poetas Tertullianus, vtriusq; litteraturę peritus, complectitur cum inquit. [Dicimus esse substantias quasdam spiritales, nec nomen nouum est. Sciunt dęmones philosophi. Socrate ipso ad dæmonij arbitrium expectãte. Quid ni? cum & ipsi dęmonium adhęsisse à pueritia dicatur. Dehortatorium planè à bono omnes sciunt poetę. Etiam vulgus indoctum, in vsum maledicti frequentat. Nam & Satanam principem huius mali generis proinde de propria conscientia, anima eadem ex Sacramenti vocè pronunciat.] Si verò petamus á sacris paginis testimonia: infinita occurrent, in quibus ita agitur de dęmonibus, vt insaniat

Lege Fenar. in Ep. Can. D. Pauli.

Tertul. Apol. Ad Gen. c. 22.

niat omnino, qui ad animi affectiones, corporumuè temperamenta, aut ad aliam causam, quàm ad prauas quasdam substantias, ea reuocet. [a] Satan intrat corpus serpentis, alloquitur Euam, ac decipit prothoparentes nostros. [b] Semel & iterum à Deo petit, accipitq; potestatem sæuiendi in iustissimū Iob. [c] Moyses vetat, populos sacrificare dæmonibus. [d] Clades Aegyptiacæ. [e] Tormenta Saulis. [f] Mortes septem maritorum Saræ. [g] Satanas tertio Christum adoriens. [h] Fornicarius Corinthius à malo spiritu correptus. [i] Mentio Angelorum peccantium, qui non seruauerunt suum principatum, aliud innuunt ab insana, mentis nostræ, agitatione: prauam nimirum quandam naturam, incorpoream & spiritalem, quæ fugiat quidem oculorum sensum, at acie ingenij, miros eius effectus meditantis, optimè dignoscatur. Detrahe, per summum scelus, veritati Scripturarum fidem, occlude mentis oculos. Cui, quæso te, authori tribues, prodigiosa quædam, quæ ad sensum patent, nisi contrarijs Potestatibus? Dæmoniaci miserè agitantur, quo impellente, nisi dęmone? Euomunt aliquando capillorum fasciculos, ferreos clauos, non exiguos lapillos: quis hæc in eorum viscera intrusit præter dæmonem? Vis euidentiorem probationem? D. Hieronymus, hęc litteris mandauit de quodam Dæmoniaco Constantij Imperatoris candidato. [Videres de ore barbaro, & qui Francam tantum, & Latinam linguam nouerat, Syra ad purū verba resonare; vt non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palestini deesset eloquij. Confessus est itaque quo in eum intrasset ordine. Et vt interpretes eius intelligerent, qui Gręcam tantum, & Latinam linguam nouerant, græcè quoq; eum interrogauit. Quo similiter & in verba eadem respondente &c. [Rudis muliercula, cum vexeretur à malo spiritu, nunc Italicâ, nunc Iberâ linguâ loquebatur coram D. Bernardo, ad quem sanitatis gratia adducta fuerat. Puella, vt refert Eginardus, annorum circiter sexdecim à malo spiritu possessa, non barbarâ linguâ, quę natiua puellę erat, sed Romana locutione, cuius nec syllabam norat, exorcizata presbytero respondet. Pronuntiat imperita mulier Luci-

ci-

a Gen. 3. b Iob 1. & 2. c Leuit. 17. d Exod. 5. 6. 7. 8. 9. e Primo Reg. 18. f Tob. 6. g Lucæ 22. h 1. Cor. 5. i 2. Pet. 2. & B. Iudas in sua Canon.

L. 1. c. 4. Vitæ S. Bern. Eginard. de Trasl. S. S. Marcel. & Pet. l. 3. c. 13. Cæsar. Heister. l. 5. Mir. c. 13.


ciferum haud ferreis cathenis ligari in inferno, sed tribus canonis missę verbis: aperto sacro codice, vt, quę nam ea essent, intelligeretur, admouet statim digitum ijs verbis. *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*, in quibus adorandissimæ Trinitatis fit mentio. Multa insuper, memoriâ recitantur à nonnullis, quę nec legi potuerunt, nec addisci, nisi longo temporis interuallo. Mirabile exemplum refert Sigibertus de puella dæmoniaca, quæ vniuersum librum Salomonis Cantici Canticorum ex memoria protulit, primo Romanâ, tum Theuthonicâ linguâ. Hic necesse est confiteri, spiritalis alicuius substantiæ opus. An erit mentis earum mulierum, quæ ea locutæ sunt? at hæ neq; sacros libros tractarunt, nec theologorũ mysteria, nec alienam linguam audierunt vnquàm, aut didicerunt. Leuinus quidem Lemnius de abditis Naturę Miraculis, somniauit, melancholicos, maniacos, phreneticos, quiq; ex alia causa perciti sunt, nonnunquàm alienam linguam personare, nec tamen esse dęmoniacos. Incredibile sanè, & à ratione alienum; vim morbi, peregrinum sermonem docere, quem nunquàm audisti. Itaq; spiritus quidam ab homine distincti, horũ causę censendi sunt, boni, vel mali boni autem minimè authores eorũ, quæ à nobis memorata sũt, quòd nulla subsit iusta causa, cur velit Deus suos Angelos hęc, eo tẽpore, operari, & inditia cõtrariũ prodãt; ergo mali, ergo Dęmones.

Sigib. circa annum 1112.

Leu. Lemn. de Ab. nat. mir. l. 2. c. 2.

CAP. IV.

Spiritalem creaturam, vt bonos, ac malos Angelos comprehendit, à Deo ex nihilo simul conditam. Patrum decreta, qui eius creationem, aliquot sæculis, precess[i]sse Mundi fabricam censuerunt.



I quanquàm à se ipsis habeant, quòd mali sint: naturam tamen quæ sê sê bona est, fuitquè pura omnino, primo illo suæ creationis momento, à Deo habent rerum omnium authore, per eũ enim omnia facta sunt, & in eo condita sunt vniuersa, in cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue Thro-

Io. 1. Ad Colos. c. Ad Heb. 1.

ni,

ni,siue Dominationes,siue Principatus,siue Potestates. Prodiêre autem à diuina manu omnes simul,vnà cum Angelis.

Theodoret. Græc.affect.l. 3. [Naturam eorum spirituum,ait Theodoretus, qui videri nō possunt nequaquam ex duobus, vt humanæ naturæ primæ propagines Adam,& Euam:sed vniuersam simul, semelque creauit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repentè simul produxit.] Neq; produxit ex aliquo, quemadmodum fecit Adamum de limo terræ, Euam de costa Adæ,sed ex nihilo: insanus enim est error Priscillianistarum,qui ex tenebris,aut chao,emersisse dæmones putant:rudis est Mahumetes, qui somniauit ex igne pestifero factos: ignari omnino, qui fabulati sunt,ex mentito quodam cum Eua concubitu,genitos.

Leo Mag.Ep. 91. Mahom.Az. 25. & 65. Ex Elia Leuita in voce Lilith.

Quæramus de tempore,quo à Deo facti. Res haud peculiaris est malorū spirituū:sed communis, & bonis:nō enim hîc agitur de dæmonibus, quatenus mali, cum haud fluxerint à Deo inquinati peccato,quod effecit,vt mali essent. Boni omnes, puri,ac multis exornati priuilegijs à Deo conditi. Certum est in primis,spiritalem creaturam non fuisse conditam ab æterno. Fuit Deus antequam vlla existeret creatura, Salomone dicente, *Dominus possedit me antequam quicquam faceret*, & Apostolo. *Ipse est ante omnes,& omnia in ipso constant.*

Prouer.8. 1.Ad Coloss.1.

Omnis controuersia inter veteres sacros scriptores fuit, an ante corpoream istam, visibilemq; machinam, an simul cum eâ conditi sint Angeli, ac Dæmones. Multi ex Græcis Patribus, & non pauci ex Latinis, sibi persuaserunt, aliquot ante conditum orbem sæculis, Deum, Angelicas virtutes,inter quas fuêre dæmones,condidisse.Origenes id apertè sensit,voluit enim non modò hosce spiritus, sed & animos nostros præcessisse corporeum mundum, vt videre est Homilia 1. in Genesim. De Angelis priuatim hæc scripsit in Matthæum ad ea verba.Erunt nouissimi primi. [Vide si potes dicere primum genus esse Angelorum. quasi honorabilius hominibus,qui nouissimi præ Angelis esse videntur. Nā sicut scriptum est in Iob, quando factæ sunt stellæ, laudauerunt

Orig.Trac.9. in Matth.

runt eum omnes Angeli eius, quasi antiquiores, non solum homine post creato, sed & omni creatura propter eum creata. Et sic audebit aliquis dicere, quod multi Angelorum, qui priores fuerunt hominibus, efficiuntur inferiores quibusdã.] Quæ nullus dubitabit, quin de Dæmonibus intelligenda sint, qui peccati causa inferiores hominibus facti sunt. Idem insinuat in Esaiam, & in Libris Periarchon. D. Basilius apertè statuit, ante huiusce mundi constitutionem, precessisse sæculum quoddam substantijs à materiæ concretione abstractis accommodatum, tempore antiquius mundo visibili (mundum inuisibilem appellat) statum nimirum intellectualium substantiarũ, in quo, ante materialem orbẽ conditum, Deum amabant, & laudabant [Erat sanè, inquit lumen hoc Græcorum Patrum, status quidam Mundi generatione superior abstractis illis à concretione materiæ potentijs Mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum, ac perpes. Creaturas autem in ipso Creator omnium, atq; opifex perfecit lucem spiritualem eorum beatitudini accommodam, qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè præditas, atq; inuisibiles, omnesq; beatarum mentium ordines, quotquot nostræ mentis, quantamlibet dixeris facultatem, exuperant: quorum nomenclaturas quidem possimus inuenire. Et hæc substantiam complent mundi illius inuisibilis, vt & ipsi instruimur Doctore Paulo. In ipso, ait, condita sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Potestates, siue Virtutes, siue Angelorum præfecturæ. Tum demum conueniebat, his iam conditis Mundus, vt accederet, & adiungeretur; qui in primis locus esset perdocendis animabus hominum, atq; erudiendis sanè quàm accommodus.] Anastasius Synaita, Basilij authoritate, concedit sensili Mundi, esse vetustiorem intelligentium virtutum constitutionem.

Orig. Hom. 4 in Esa. & l. 2 Per c. 2.
D. Basil. hom. 1 in Gen.
Colossen. 1.
Anast. Syn. exam. l. 1.

Assentiuntur D. Gregorius Nazianzenus, & eius Scholiastes Nicetas. Damascenus Nazianzenum sequitur, eiusq; nititur testimonio. [Nonnulli, inquit, dicunt ante omnem

Greg. Naz. orat. 38 de Natali Domini.
Nicetas Ibi.

Damasc. l. 2. id. Orthod. c. 4.

creaturam factos Angelos, vt diuiniloquus dicit Gregorius, & primum quidem Deum cogitasse Angelicas, & cælestes virtutes, & eius cogitationem opus fuisse. Alij autem post primum cælum factum. At quòd ante hominis plasmationem creati sunt, concordãt omnes. Ego verò deiloquo Gregorio accedo. Nam par fuit primum intellectualem substantiam creari, atq; sic sensibilem, & tunc ex vtrisq; hominem.] Quid? Adeo familiaris fuit hæc sententia Græcis Patribus, vt D. Thomas scripserit, omnes Græcos Doctores vnanimi sententia existimare, Angelos ante mundum corporeum creatos esse; quamuis verè nonnulli oppositum sentiant, vt capite sequenti referemus.

D. Th. 1. p. q. 61. a. 3. ad. 1.

Ex Latinis Patribus, nonnulli magni nominis, ac eximiæ sanctitatis, idem opinati sunt. D. Hilarius, qui Angelorum originem, terræ creatione, antiquiorem dixit. D. Ambrosius, qui fuisse iam Angelos testatus est, cum hic Mundus est factus. D. Hieronymus, qui ad ea verba Apostoli. *Ante tempora sæcularia* hæc scripsit [Sex millia nondum nostri temporis complentur annorum, & quanta tempora, quantasquè sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cęteriq; ordines Deo deseruierũt? Cassianus etiam ex Abbate Serena ait, hac de re neminem fidelium dubitare. Idẽ Isidorus, & Beda, in hoc singulares, quòd velint Dęmones ante bonos Angelos cõditos esse. [Ante omnem creationem Angelorum, ait Isidorus Diabolus conditus est, sicut scriptum est, ipse est principium viarum Dei. Vnde ad comparationem Angelorum Archangelus appellatus est.] Quin ante natam Veritatem, Apollo, quodam oraculo edito respondit ante hominum, mundiquè creationem, Dæmones factos, qui, Conditori salutem hominis curanti, subseruirent. Responsum huiusmodi fuit. *Conditi sunt ante nos, diuinamquè mundi generationem immortales spiritus in nostram vtilitatem.*

Hilar. li. de Trin. ad finẽ. Ambros. c. 5. in exam. & Præfat. in Psal. 1. Hieron. in c. 1. Ep. ad Titum.

Collatione 8. c. 7. Isid. de summo bono c. 12. Sent. 4. Beda libel. Quæst. q. 8.

Apud Aeneam Gaz. de Immort. animæ.

Confirmarunt Patres suam sententiam certis rationibus. Theodoretus, qui decretum istud euertit, hoc sibi argumentum dissoluendum proponit. Æquum mi-

nimè videri, iis, quę mundum pręcesserunt, sæculis, defuisse creaturas, miris laudibus Diuinam bonitatem extollentes. Origeni, Basilio & Nazianzeno citatis placuit ea opinio, quòd iustum videatur, substantias spiritales, corporeis dignitate nobiliores, esse etiã generatione priores. Ioannes Cassianus citato loco inquit, incongruum esse, sentire, Deum innumeris sæculis, quæ ante rerum corporearum creationem præcesserũt ab omni prouidentia, & dispensatione fuisse ociosum, nequè habuisse in quos suæ bonitatis exerceret beneficia. Habẽt & diuinarum scripturarum testimonia. Illud Iob, quo Origenes vtitur. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ*, & duobus versiculis interiectis *cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*, quæ significant interfuisse Angelos rerum creationi, Deoq; tunc temporis laudes detulisse. Quòd ad Dęmones attinet D. Isidorus suam sententiam cõfirmauit authoritate Iob. vbi de Behemot, hoc est Lucifero dicitur. *Ipse est principium viarum Domini*. Quasi ante omnes creaturas conditus sit. Iob. 38. Iob. 40. v. 14.

CAP. V.

Creaturam spiritalem, simul cum corporea esse creatam. Id Patribus similiter Græcis, & Latinis probari.

DISCREPANT ab his alij Patres vetustissimi, tùm Græci, tùm Latini persuadentes sibi, incorporeas creaturas minimè antecessisse Mundi fabricam, sed eodem puncto cum Orbe ipso conditam. Epiphanius inter Græcos doctissimus. [Cum cælo & terra, ait, simul Angeli facti sunt; Nisi enim vnà cum cælo, & terra Angeli quoquè creati essent, non vtiquè dixisset ad Iob, quando genita fuerunt sydera, laudauerunt me omnes Angeli mei.] Et non multò post. [Clarè, inquit, indicat Scriptura, quod nequè post sydera facti sunt Angeli, nequè ante cęlum, Epiph. hæres. 65.

& terram; vt principium sit, & nihil ex creatis ante hoc ipsum sit.] Diodorus, ait, Deum inuisibiles, atque intellectu praeditas substantias, vnà cum caelo & terra fabricatum esse. Theodoretus in Genesim, id validissimis coniecturis comprobauit.

Diodorus ex Lipom. in Cat.
Theodoret. q 3. in Gen.

Inter Latinos Patres, D. Augustinus, vt in plerisque difficultatibus, quae ad substantias spiritales pertinent; ita in hac quoque videtur fuisse dubius: nam in Libro de Incarnatione verbi sic inquit. [Est etiam illud in Ecclesiastica praedicatione, esse Angelos quosdam, & virtutes bonas, quae ei ministrant ad salutem hominum consumandam: sed quando isti creati sint, vel quales, aut quo modo sint, non satis in manifestò distinguitur.] In Libello imperfecto super Genesim, dubium istud vocat secretissimum, & humana cogitatione impenetrabile. Nihilominus insinuauit, haud fuisse ante conditum orbem vllam creaturam, cum ait, ita, [in principio fecisse Deum, caelum, & terram, vt nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante caetera cuncta, quae fecit.] Eodem libro tradit, Mosem Angelorum creationem nomine caeli complexum esse: quod arguit cum cęlo conditos.

Author lib. de Incar.ver. c.6. nec hic l. ernon en fetur August.
August. lib. imper. in Ge. c 3.
Aug l. 11. de C.D. c.6.
c.9.

D. Gregorius in eandem sententiam ad cap. 40. Iob, ad ea verba *Behemot quem feci tecum &c.* inquit, occasione eius loci *Qui viuit in aeternum, creauit omnia simul.* [Cum simul caelum, & terra describitur, simul spiritualia, & corporalia, simul quidquid de cęlo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur.] Diuus Isidorus, & Beda in eandem veniunt sententiam, cum aiunt, Primum quidem creatum esse diabolum, at ordine praelationis, non temporis antiquitate: indicantes, primum, quem angelis inter reliquas creaturas, tribuunt locum, dignitatis esse, non temporis.

Greg l. 32. Mor c. 9.
Eccle. 18.

Horum Patrum decreto procul dubio adhaerendum, tum quòd ei consentiant concordes Scholastici, excepto nemine, duces suos sequentes Petrum Lombardum, ac Thomam Aquinatem: tum quòd ei faueant non leuia argumenta,

Scholast suis comment. in Mag. sent. 2. d. 2. & in D. Thom. 1. p. q. 61. a. 3.

ta, tum quod Concilij Lateranensis euidenti authoritate firmetur. Spiritalis substantia, quędam est huiusce vniuersitatis pars, quæ ad eius decorum, atque ornatum pertinet. Non enim vniuersum solis spiritibus, aut solis rebus corporeis constat, sed vtrisque conflatur. Ne igitur mundus à Diuina manu, sine suis partibus flueret, veluti monstrum quoddam consentaneum fuit, non prius existere Spiritalem creaturam, quàm Mundum corporeum, neque prius corporeum Mundum, quàm spiritalem creaturam. Conditi quidem sunt cęlestes spiritus, vt diuinę bonitatis, summęq; felicitatis participes essent in Empyreo: at ei semper muneri à Deo sunt destinati, ut cęlestia mandata, in hunc orbem deferrent, prętòq; essent hominibus: non ergo erat cur ante mundum produceretur. Theodoretus. [Cum iuxta Apostolũ, ait, Angeli sint administratorij Spiritus, ad quid ante conditam creaturã creati sunt, cum adhuc nihil esset, quod Angelorum ministerio indigeret?] Sed ad rem nostram propius accedamus, priuatim de dęmonibus disserentes. An multis sęculis, spiritales substantiæ, quę nunc dęmones sunt, hunc Mundum pręcesserunt? Ita inquis. Quod nam fuit eorum opus? An Deum adhuc in peccatum non prolapsi colebant, amabant, & laudibus extollebant? Id haud uerisimile. Quis enim putet tanto interuallo stetisse Satanam, & asseclàs suos in ueritate, in Dei amore, illísque non esse à Diuina bonitate, in præmium meritorum, concessam eam gloriam, quam uix nato infantulo salutaribus aquis tincto, liberalissimè elargitur, si migret ex hac vita? Deinde meminisse oportet, D. Ioanne teste, ab initio Diabolum peccasse. Theod. q. 3. in Gen.

Peccarunt, inquis, antequàm hæc rerum coporea moles conderetur. Vbi nam peccauerunt? Scilicet in cęlo: nam prælium, quod à Dęmonum peccato ortum habuit in cælo factum est, inter Michaelem, & Draconem: atq; Satan sicut fulgur de cęlo cecidit. Quod nam fuit huiusmodi cęlum, cum nonnisi in principio Deus creauerit cælum, & terram? An Empyreum, quod mortalium oculos fugit ante hanc uniuersitatem cõditũ, ut esset Dei, beatorumq; spirituũ aula? Apoc. 12. 11. 14. & Luc. 10.

Caue,

Caue, ne hinc consequens sit, aliquam creaturam esse æternam, & Deo coæuam. Præterea, quandoquidem, patrato crimine, non est amplius inuentus malorum Angelorum in
2. Pet. 2. Matt. 25. cælo locus, quò pulsi à Dei iustitia? Id B. Petrus docet, *Rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*: vbi Diabolo, & angelis eius æternus ignis paratus. Haud ergo lapsi sunt, & affecti pœnâ, priusquàm terra esset, quæ suo sinu complectitur infernum, ac cruciantem ignem. Illud etiam maxima difficultate non caret apud Græcos Patres, quî fuerint Angeli, seu dæmones ante hanc elementorum compagem, cum plurimi eorum sentiant, Angelos, ac dæmones maximè, aereo corpore esse præditos.

CAP. VI.

Concilij Lateranensis decretum. Spiritalem, & corporalem creaturam ab initio temporis simul conditam. Quæsitum, an rem tanquàm de Fide decernat.



Concil. Lat. 1. c. Firmiter de sum. Tr. & fid. Cath

ADIVNGO hisce argumentis Concilium Lateranense II. sub Innocentio III. quod adeo apertè hanc sententiam comprobat de vna spiritalis, & corporalis substantiæ simul creatione, vt dixerint aliqui, id tanquam fidei dogma in eo decretum, cum ita loquitur. [Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod vnus est solus verus Deus, vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul, ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.] Quid clarius, quid apertius?

At

At num statuit Concilium id esse Fidei decretum? Angelicus Doctor, vbi hac difficultate tractauit, ac determinauit vt probabilius, Angelos simul cum creatura corporea conditos esse, subdit. [Quamuis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipue propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit.] Idem aliqui recentiorum volunt, etiam à temeritate oppositum sententiam excusantes. D Th 1.p q. 61 a. 3.corp. Gab vasq. 1. p.q 61.a 3 d. d 119.c.4.

Ferrariensis è contrario ait; esse conforme sententiæ Fidei catholicæ, & per Ecclesiam determinatum in eo Concilio, immateriales substantias, non esse, ante corpora, creatas. Addunt alij idem sentientes, D. Thomam eius Decretalis non meminisse, cum recitata verba dictauit. Ferrariensem alij neoterici sequuntur. Syluester Prierias similiter censet, id hoc tempore definitum, quanquàm ante concilium, Fidei contrarium non foret. [Neutrum, inquit, contrarium sanæ doctrinę fore D. Thomas testatur, quippe nimis præsumptuosum videtur asserere tantos Ecclesiæ doctores à sana doctrina pietatis deuiasse. Quod dictum D. Thomę verum sub intellige, pro eo tempore, quo illi scripsere: ex post facto tamen sanæ fidei illud repugnat, cum iam Ecclesia oppositum credat, & statuerit, scilicet spiritualem Angelicam corporalemq; naturam simul creatam, de summa Trin. & fide Cath. c. *Firmiter*.] Ferr 2 C. G. c. 83. ad finē. Mol. p p. q. 61. a. 1 qui Doct. Salmaticensesci. tat. Syl. Pr. l. 1. de Str. c 9,

Non affirmarem damnandum hæresi, qui sententiæ Nazianzeni, aliorumq; Patrum subscriberet. Ante Concilium illud Lateranense, mihi res est certissima, cum neq; vlla Ecclesiæ determinatio; aut traditio, neq; manifesta Diuinorum oraculorum authoritas, id ad Fidei decreta reuocet, neq; Patres vnanimi consensu in id conspirent. Post Concilium Lateranense, idem suadet mihi D. Thomæ magni ponderis authoritas, cuius ætate iam Decretales vulgatæ erant; quiquè decretum illud exponit in Opusculo 23. nec tamen hæresi damnat, aut recenset inter erronea, sententiam existiman- Hoc opusculum dicitur a quibusdam non esse D. Th.

ſtimantiū, prius conditos Angelos, quàm fuerit creatus Mūdus. Ais D. Thomam locutum eſſe tantummodo pro eo tempore, quo citati Patres ſcripſere. Ac cur non monuit vir diligentisſimus, eo tēpore, quo ea ſcribebat hęreticam, aut erroneam cenſeri opinionē illā? An eius Concilij non recordabatur? Indignū id cenſeo tanto Doctore. Igitur hæreſis labe immunes cenſuit eos, qui Nazianzeno, alijsq; eiuſdem opinionis Patribus aſſentirentur. D. Thomæ adhærent alij, in alio ſenſu accipientes verba Concilij, quàm vt rem de fide concludant. Aiunt aliqui, vocem illam *ſimul* idem ſonare ac *pariter*, & explicare vniuerſa, ſpiritalia pariter, & corporalia à Deo ex nihilo producta eſſe, non autem ſimul duratione Angelica, & mundana condita. Caietanus inquit, verba concilij interpretanda eſſe in ſenſu, in quo fiunt, magis quàm in ſenſu, quē faciunt, atquè, vt ſentit etiā S. Thomas in expoſitione eius Decretalis, verba illa appoſita eſſe contra errorem Origenis, & eorum, qui ponunt creaturas ſpirituales tantùm eſſe per ſe productas à Deo, ac poſtmodum propter demerita earum, corporales creaturas conditas fuiſſe. Vnde cum dupliciter cogitare posſimus, eodem Caietano authore, Angelos productos eſſe ante corpora; primum tanquam res ſic per ſe effectas, vt nonniſi propter earum demerita, quodammodo per accidens, Deus Mundum crearit: deinde ſimpliciter, & abſolutè, quod ex voluntate Dei Angeli præceſſerint mundum viſibilem, Decretalis illa quanuis ſecundum verba vtramq; poſitionem deſtruat, contra primam tamen tanquàm contra hęreſim interpretanda eſt, quoniam determinationes iſtæ, nonniſi contra aliquos errores conſueuerunt fieri.

Vaz. 1. p. q. 61. a. 3. d. 224. c. 4.

Caiet. 1. p. q. 61. a. 3.

Quòd autem verba illa Concilij verè ſonent, vtramq; creaturam ſpiritalem, & corporalem ſimul conditam, quanquam mens Concilij non fuerit id de Fide ſtatuere: non ambigo, quin ſit maximè temerarium, aliter opinari, communi nunc ſapientum conſenſu Concilij verbis adhærente. Quare in Indice librorum expurgandorum per Fratrem Ioannem Mariam Braſichellen. ſacri Palatij magiſtrum, hæc

extant,

extant, notata ad Anastasium Sinaitam. [In Sancto Anastasio Sinaita, ex primo eius libro in Exameron, delenda est nota marginis, Angeli sunt conditi ante mundum corporeum. Et Col. 184.c. Ibi in textu, *Vt intelligas supernum mundum prius fuisse fabricatum &c.* Scribe in margine. Ita quidem multi ex vetustis Patribus; sed iam hæc sententia, absque temeritate defendi non potest.]

CAP. VII.

Enodantur Patrum coniecturæ, ac Diuinarum Litterarum testimonia, de antiquiore Spiritualis naturæ creatione.

NON est verò difficile, ijs argumētis respondere, quibus Patres asseruerunt, Angelorum dæmonumq; creationem, esse Mundo antiquiorem. Etenim si decuit, ante corpoream machinam, condi spiritales substantias, vt Conditorem Deum extollerent laudibus, decuit ab æterno creari, ne idem rerum Opifex suæ bonitatis præcone careret. Egregiè Theodoretus. [Aiunt quidam, inquit, necessariò dicendum prius Angelos extitisse, quam cælum, & terram. Si enim Angeli, inquiunt, non extabant, quomodo Deus omnium laudabatur. Verùm, qui hæc dicunt, non animaduertunt, quod hoc sermone Angelos carere principio astruunt. Nam si Deus omnium laudatoribus indigebat, & hos semper habebat laudatores, coæterni igitur erant Angeli cum Deo omnium. Quod si non semper erant, sed Deus eos condidit, quando id expedire iudicauit; erat igitur seculum quoddam, quo Deus vniuersorum illos prædicatores non habebat. Non indiget ergo dominus Deus laudatoribus, quippe qui naturâ nullius indigebat: sed sola bonitate ductus, Angelis, Archangelis, & vniuersæ creaturæ largitus est, vt essent.]

Theodoret. q3 in Gen.

His Casſiani coniectura ſoluitur. Nam, ſi congruum exiſtimatur nunquàm defuiſſe Deo, in quos bonitatis ſuæ conferret beneficia, ac nunquàm fuiſſe ocioſum rerum omnium opificem, nihil agendo in creaturas: Fit, vt aliqua creatura fuerit Deo coęterna; aut certè fatendum, non eſſe incongruum, extitiſſe Deum, etſi nullam haberet creaturam, quam ſuis donis exòrnaret.

Fortè creatura ſpiritualis, vt præſtantior debuit temporis antiquitate præcedere corpoream? At, quot in ſacra Geneſi recenſentur poſtremis diebus creationis rerum facta, quæ dignitate potiora ſunt, prioribus? Homo poſt piſces, cęteraque animantia à Deo creatus eſt, his tamen longè nobilior. Anima etiam rationalis, quæ corpore præſtantior eſt, non niſi eo ritè diſpoſito à Deo creatur.

Scriptura nec in ſpeciem quidem fauet Patribus illis, qui, vt ait Acacius, non ex diuinis paginis, ſed ex Platonis Grę corum ſapientisſimi fabulis, ſuam ſententiam hauſerunt. Iob. 38. Laudauerunt Angeli Deum, quando facta ſunt aſtra: ſed quid repugnat, quominus affirmemus Angelos primo die vnà cum cælo, creatos fuiſſe, eodemq; die, quoſdam in peccatum prolapſos, & è cælo deiectos: quarto autem die, quo factæ ſunt ſtellæ, Angelos, qui in veritate ſteterunt, mundi fabricatorem laudaſſe? Epiphan. l. 2. tom. 2. hæres. hęreſ. 65. D. Epiphanius ex eadem Iob authoritate arguit, nonniſi cum cælo, & terra conditam fuiſſe ſpiritalem creaturam. [Niſi, inquit, vnà cum Cælo, & Terra Angeli quoq; creati eſſent; non vtiq; dixiſſet ad Iob. Quando genita fuerunt ſydera, laudauerunt me omnes Angeli mei voce] Et paulò poſt occurrens argumento Origenis, & aliorum, ſic ait. [Porrò dixerit quis, oſtendiſti Angelos fuiſſe ante ſydera, & vnà cum cælo, & terra hos factos eſſe dixiſti, vnde facis demonſtrationem dic nobis? Nunquid ergo ante cælum, & terram omnino creati ſunt? Nuſquam enim clarè indicat Scriptura tempus creationis Angelorum. Et benè quidem oſtendiſti ipſos fuiſſe ante ſydera; niſi enim fuiſſent, quomodo laudaſſent Deum hymnis ob ſyderum creationem? Nos equidem vniuſcuiusq; quæſtionis inuentionem,


non

non ex proprijs ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia. Clarè enim indicat diuina Scriptura, quod neque post sydera facti sunt angeli, neq; ante cælum, & terram, cum palàm intransmutabile sit dictum hoc, quod ante cælum, & terram, nihil erat ex creatis. Nam in principio fecit Deus cælum, & terram, vt principium sit, & nihil ex creatis, ante hoc ipsum sit.]

Sed cur Behemot *principium viarum Domini* appellatur. Iob 40.
Scilicet, vt ex D. Isidoro, & Beda, notatum, quia cęteris naturâ, & dignitate superior fuit, non quod tempore antiquior.

CAP. VIII.

An Moses meminerit creationis Angelorum, & Dæmonum in sacra Genesi. Nihil ibi dictum tum quod rudes essent Iudæi, tum quod in Idololatriam inclinarent, tum alijs de causis, aliquot Patrum opinio.



EXPECTO, vt aliquis me interroget, cur siquidem Angelica natura cum mundo corporeo condita est, Moses, qui rerum creationem exactè adeo recensuit, nihil prorsus de illorum conditione dixisse videatur. Et quidem nihil dixisse, non obscuri nominis Patres sesêre, nihil enim sacræ historiæ exordium legenti, hac de re scriptum occurrit. Multas dant causas, quamobrem id Moses fecerit. Basilius Magnus, id, eo consilio factum putat, quòd cum Iudæorũ turba hebetioris esset ingenij, atq; diuinorum mysteriorum incapax, creaturę spiritualis dignitatem, & naturam comprehendere animo non potuisset. [Non absimile vero, ait Basil., fuerit credere, fuisse quiddam vel ante mundi istius constitutionem, id quod arcana quadam animi contem- Bas. hom. 1. in Hexam. Angelicam scil. naturã.

platione licuerit intelligi: tametsi hac de re nihil in litteras Moses transmiserit, quòd tantæ rei cognitio parum idonea videretur istis paruulis, qui lacte dum doctrinæ, initiandi rudimentorum fidei veniunt, & instituendi.] Idem Cyrillus Alexandrinus.

Cyril l. 2. contra Iul.

Theodoretus, ait, omissam à Mose mentionem creationis naturæ spiritualis, quòd populus Iudaicus pronus esset ad idololatriam, cui ex Aegyptiaca seruitute assuetus erat: colebãt enim Aegyptij, boues, armenta, astra, solem, lunam; quare facilè fuisset, si illis innotuisset, dari Angelos, substantiasque spiritales, omnibus corporeis rebus sublimiores, & præstantiores, quòd huiusmodi creaturis, tanquàm quibusdam Dijs, honorem detulissent. Anastasius Sinayta ex Oseç prophetæ testimonio similem causam collegit, in hęc verba. [Non diabolum quidem eis apertè reuelauit (diuina nimirum scriptura) sed aliquando quidem ipsum serpentem, aliquando autem arborem, mortiferum fructum ferentem, appellauit; eos omnino cælans mundi non aspectabilis intelligentium virtutum creatorem, propter eorum inexplebilem idolorum cultus insaniam, ne si didicissent esse aliquas naturas materiæ expertes, & intelligentes, eas in Deos præferent. Ei autem quòd dico, testimonium fert ipse Deus sic dicens per Osee Prophetam Israeli. Ego dominus Deus tuus, firmans cælum, & creans terram, cuius manus crearunt omnem militiam cæli, & non reuelaui ea tibi, ne post ea ambulares]D. Ioannes Chrysostomus vtramq; causam, a vera illa oratione, complectens, inquit. [Et vide quantum docendo nostrę paruitati se attemperat. Nihil de inuisibilibus virtutibus disserit, neq; dicit; In principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos. Non simpliciter, neq; temere hanc nobis doctrinæ viam parauit: Iudęis enim loquebatur, qui toti pręsentibus rebus inhiabant, neq; spirituale quicquam comprehendere valebant. Itaq; eos à sensibilibus ad cognoscendum vniuersi opificem inducit, vt ex creaturis fabricatorem Mundi discentes adorent creatorem omnium, & non in creaturis ipsis permaneant, & quiescant. Nam cum licet hęc ita facta sint, non

Anaf Sin. l. 8. Anag. Contem. in Hexam.

Osea.

Chrys. hom. 2. in Genes.

inter-

intermiserunt ex creaturis Deos facere, & diuinum honoré, fœdissimis brutis exhibere: in quàm non amentiam incidissent, ni tanta erga nos humilitate, & attemperatione fuisset vsus?]

Alij aiunt, Mosem nihil dixisse de natura Angelica, tum quia nulla eorum fuit eo tempore operatio, hac enim de causa non meminit creationis ignis, cum tamen certum sit primo die, omnia quatuor elementa condita esse: tùm etiam ne quis existimaret, Deum vsum esse Angelorum ope ad creationem Mundi.

CAP. IX.

Mosem, aliquid tacitè dixisse de creatione naturæ Angelicæ, ac vbi illam expresserit.



OMNIBVS notum est, in sacris Geneseos libris apertè, ac sine vllo velamine de creatione Angelicæ substantiæ non disseri, quemadmodū de cæteris rebus disseritur: placet tamen mihi, sub alijs nominibus creationem eius naturæ insinuatam. Rationabiles quidem sunt causæ, de quibus diximus, quamobrem Moses prolixè, & exquisitè non debuerit exequi sublimis illius creaturæ exordia, at non satis suadent, quod præcipuam totius vniuersitatis partem, qualis est Angelica natura, omittere omnino dubuerit, ac ita silentio præterire, vt ne suspicio quidem esse posset populo illi, quamuis rudi, aliquod sui initium habuisse. Cum enim Israelitica gens no ignoreret Angelos, dæmonesq; dari, congruū erat, vt Moses eorum ortum, & principium, saltem leuiter insinuaret. Illustres doctrinâ Patres autumant, id subindicatū, cū mentio fit cæli, ac lucis. [Vbi de mundi constitutione, inquit, Augustinus de Ciuitate Dei, sacræ litteræ loquūtur, non euidenter dicitur vtrum, vel quo ordine creati sint Angeli: sed si D. Aug. l. 11. de C. D. c. 9. & 4 de G. ad L. c. 22.

præter-

prętermissi non sunt, vel Cæli nomine vbi dictum est: In principio fecit Deus cælum, & terram, vel potius Lucis huius de qua loquor, significati sunt. Non autem prætermissos esse hinc existimo, quod scriptum est, requieuisse Deum in septimo die ob omnibus operibus suis, quæ fecit, cum liber ipse ita exorsus sit, In principio fecit Deus cælum, & terram, vt ante cęlum, & terram nihil aliud fecisse videatur. Cum ergo à cælo, & terra cœperit, atq; ipsa terra, quam primitus fecit, sicut scriptura consequenter eloquitur, inuisibilis, & incōposita, nondumq; luce facta, vndique tenebræ fuerint super quandam terræ, & aquæ indistinctam confusionem: vbi enim lux non est, tenebrę sint necesse est: deinde, cum omnia creando disposita sint, quę per sex dies consummata narrantur, quomodo Angeli prætermitterentur, tanquàm non essent in operibus Dei, à quibus die septimo requieuit?] Sentiunt cum Augustino Beda, Rupertus Abbas, Hugo, & alij, quibus fauet ea coniectura, quod cum Moses Cęli creationem nō tacuerit, siue cęli voce Empyreum intelligas, siue cælos sydereos; inferri inde tacitè potest conditio Angelorum, qui in Empyreo creati sunt, sustinentq; onus mouendi cęlos.

Gen.1.v.1.

Beda in Genes. Ruper in Gen l.1.c.10. Hugo in sū. tract.3.c.1.

CAP. X.

Quo die conditi orbis, spiritalis creatura à Deo effecta.



CONIICI hinc potest, primo seculi die, Dominico nimirum, conditam esse spiritalem creaturam; in ipso enim factum est cęlum. Ita profecto decebat, ac ita postulabat Angelicę naturę dignitas, quę si Mundi initia non pręcessit: vt potissima Mundi pars, primo loco produci, cum Mundo, debuit. Non ergo post primum cęlum facti, vt aliqui dixere apud Damascenum, nec post terram, & aquam, conditi, vt visus est docere Gennadius, sed primo die simul cum cęlo

Damas.l.2 fid. Ort.c.3.

cęlo Empyreo. Aliud tempus eorum creationi, ex sacra Historia, assignari non potest. D. Augustinus. [Quis porro, inquit, audebit opinari, post communia omnia ista, quę sex diebus enumerata sunt, Angelos factos? Sed etsi quisquam ita desipit, redarguit istam vanitatem illa scriptura pari authoritate, vbi Deus dicit; Quando facta sunt sidera, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. Iam ergo erant Angeli quando facta sunt sidera. Facta sunt autem quarto die. Numquid nam ergo die tertio factos esse dicemus? Absit. In promptu est enim quid illo die factum sit. Ab aquis vtiq; terra discreta est, & distinctas sui generis species, duo ista elementa sumpserunt, & produxit terra quicquid ei radicitùs inhęret. Nunquid nam secundo? Nec hoc quidem, tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores, & inferiores, cęlumquè appellatum est, in quo firmamento facta sunt sidera quarto die. Nimirum ergo, si ad istorum dierum opera pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quę diei nomen accepit &c.] Albinus Flaccus de Die Sancto ait. [Apparet hanc diem in Sanctis scripturis esse solemnem; Ipse est enim dies primus seculi: in ipso formata sunt elementa: in ipso creati sunt Angeli: in ipso quoq; à mortuis surrexit Christus.]

Gennad. l. 1. de Eccl. Dog. T. 3. D. Aug. D. Aug 11. de C. D. c. 9. Iob. 38. Albinus Flac.

CAP. XI.

Vbi nam Dæmones creati sint. Cogitantes in superiori aeris regione conditos, aut in Firmamento, aut in alijs Cælis, qui mouentur ab Angelis.



POSTVLAT series tractationis, vt explicato tempore, quo Dęmones sunt conditi, subijciamus, vbi eos diuina bonitas primò constituerit, dum condidit. D. Augustinus testis est, placere aliquibus, Deum initio duo genera Angelorum condidisse, atq; nonnisi ex ijs, qui in hoc inferiori mundo conditi erant aliquos cecidisse, idē probauit Damascenus.

D. Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 17.

Ruper-

D. Dam. 2. Ed. Orth. c. Rupert. l. 1. in Gen. c. 11. Rupertus Abbas l. 1. in Gen. c. 11. Rupertus Abbas in Genesim vult Angelicam naturam extra cælum conditam, atq; Dei gratia, ac bonis meritis eò, intrasse. [Non magis, inquit, Angeli facti sunt in cælo, quàm homo plasmatus in Paradiso, sicut scriptum est: Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Ita nimirum, & Angeli extra Paradisum conditi, & in cęlum translati, non naturâ, sed gratiâ cęlum inhabitant.]

Laur. Anan. L. 1. de dæmon. Io: Laurentius Ananias in libello de natura dęmonum ait, nullo pacto conuenisse, initio naturam Angelicam, quæ incorruptibilis naturâ est, in hoc aeris tractu corruptioni, mutationiq; obnoxio, conditam, aut in cælo Empyreo, quod est gloriæ, non naturæ, locus; Si enim Dęmones in Cælo Empyreo fuerunt, non erat quòd Diabolus elatus in superbiam diceret, in cęlum ascendam, & super astra ponam solium meũ, cum locus, hoc, nullus superior. Ergo, inquit, firmamentum, primum fuit Angelorum, dæmonumq; habitaculum, ibiq; prælium commissum à Lucifero cum Michaele. Authoritate. D. Ioannis id confirmat, qui in Apocalypsi sua, ait, Draconem, nostrum antiquum hostem, tertiam secum stellarum partem traxisse, stellę autem in firmamento sunt. Hęc

Hier. in c. 14. Es. sententia placuerat D. Hieronymo, qui ad illa verba Esai. *In cælum ascendam &c.*, inquit [Si adhuc in cęlo positus, quomodo dicit ascendam in cęlum? Sed quia legimus cęlum cęli Domino, cum esset in cælo positus, id est in firmamento, in cęlum, vbi solium Domini est, cupiebat ascendere non humilitate, sed superbia.]


Alij media quadam incedunt via. Vniuersos Angelos in tres gradus partiuntur; Eorum, quibus rerum inferiorum cura demandata est; Eorum, qui dignitate, & officio his pręstant, quibus orbium cęlestium regimen commissum; Eorum demum, qui Cęlesti throno, dexterę; Excelsi assistere perpetuò debebant. Hos, aiunt in cęlo Empyreo conditos, quod Dei sedes est; illos in ipsis Orbibus quibus mouendis deputati erant; Priores in suprema aeris regione. Cum itaq; ex singulis Angelorum ordinibus, aliqui dæmones

nes

nes ceciderint, & in cęlo Empyreo, & in reliquis cęlis, qui semper mouentur, & in aeris regione, aliqui dęmones initio creati, horum doctorum opinione.

CAP. XII.

Dæmones, in cælo Empyreo creatos esse.



TAMETSI hac de re nihil certi definire possimus, probabilius tamen videtur commune Theologorum decretum, ingratam dæmonum turbam, ad incolendum Empyreum cælum fabricatam, in eodem cælo conditam. Spiritalis creatura, sê sê, haud necessariò postulat corporeum locum: at congruenter, nudę etiã eius naturę, nõ nisi omnium pręstantissimus conuenit. Terrenus homo in terra conditus; ergo & cælestes Angeli in cælo creandi erant, eo inquam cęlo, quod eorum naturæ congrueret, immobile nimirum, & quietum. Profectò dæmones inferiorem hunc mundum ante transgresionem minimè inhabitarunt: nam nonnisi post peccatum in hunc aerem caliginosum detrusi, in pœnam sceleris. In Firmamẽto non fuerunt antequàm peccarẽt, cum Firmamentum creatum sit secundo die, Angeli verò peccarint primo, mox vt fuêre creati. Superest itaquè, vt conditi sint in suprema cælorum aula, vt suprema, inter cæteras, creatura, supremum, dignisimumq; locum obtineret, ac intelligeret, quanta futura esset iactura, ni Creatori adhæsisset. [Conueniens fuit, ait Angelicus, quod Angeli in supremo corpore crearentur, siue id dicatur cælum Empyreum, siue qualitercumq; nominetur.] Beda ante Aquinatem scripserat, supremum cælum, haud creatum inane, & vacuum, quemadmodum terra, sed puris spiritibus repletum Libello in Exameron, hæc habet circa illa verba, *Terra autem erat inanis & vacua*. [Vt quid enim hæc de terra, prætermisso cælo, intulit, nisi quia nil tale de cælo intelligi voluit. Ipsum est enim cælũ

Lege Comment. D. Th. ad 1 p. q. 61. a. 4 & Mag. sent. in 2. d. 2.

Gen. 1.

D. Th. 1. p. q. 61. a. 4.

Beda libel. in exam. Gen. 1.

superius, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum diuinæ gloria præscientiæ manet semper quietum. Nam de nostro cęlo, in quo sunt posita luminaria huic sęculo necessaria, in sequentibus scriptura, quo modo, vel quando sit factũ declarat: non ergo superius illud cęlum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & vacuum, vt terra, quę nihil in prima sua creatione virentium germinum, vel viuentium produxit animantium, quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est beatissimis Angelorum agminibus repletum est.]

Diuina oracula insinuant, cæleste hoc domicilium malis spiritibus initio concessum, antequam mali essent. Apud Ezech. 28. Ezechielem prophetam, Lucifer in delicijs Paradisi fuit: quæ autem hæ deliciæ, nisi cęli Empyrei incolatus? Ezechielis locus iuxta Tertulliani sententiam, & lectionem apertius fauet: habet enim. *In delicijs Paradisi Dei tui natus es*, quibus Lib. 2. contra Marc. cõtendit Tertullianus, ea verba de Lucifero tantùm, non autem de principe Tyri accipienda esse, quòd nec ille, nec vllus viuentium in Paradiso natus sit. Christus vidit Satanam Luc. 10. è summo cæli vertice cadentem. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Quod, cum, vulgatâ Patrum sententiâ Origenis, Ambrosij, Chrysostomi, & aliorum, de ruina Orig. l. 1. Peri. c. 5. Ambros. de fuga seculi c. 7. Chrys. hom. 10. de pœnit. dæmonum accipiatur: atq; cæli nomine, vti dictum est, non exprimatur aer, non enim ob peccatum de aere ceciderunt, sed in aerem: neq; Firmamentum, quod Angelis iam conditis, fabricatum est: cælum, è quo Satan corruit, Empyreũ est.

Licet hinc intelligere, Stellas, quas Draco dicitur secum Apoc. 12. traxisse, non significare, locũ syderũ, quæ micãt in firmamento, ac in eo facta sunt quarto die, nam Satanas peccarat, cum hæc effecta: sed eam Angelorum classem, quæ Lucifero immani draconi, adhæsit; Angeli enim per metonymiam dicuntur stellæ cæli. Verùm si in Empyreo erant Angeli quando peccarunt, quomodo Lucifer dixit, ascendam in cęlum, Is. 14. Hugo Vict. Sum. sent. trac. 2. c. 1. cũ Empyreum sit omnium corporum eminentissimum? Esaias ibi vocat cælum sublimitatem Diuinitatis: ascendam in cęlum, id est ad æqualitatem Deitatis.

CAP.

CAP. XIII.

An Dæmones creati fuerint corpore aliquo naturaliter induti. Multos veterum Patrum, & aliquot recentium theologorum censuisse, Angelicam creaturam esse corpoream.



A Tempore, ac loco creationis Spiritalis creaturę, ad eius modum deueniamus, exquirentes principio, qualis in substantia prodierit à Conditore suo: an immunis materiæ, & corporis: an corporea, & materialis. Angelicæ naturæ (bonos ac malos Angelos id nomen comprehendet: vtrisquè enim eadem substantiæ conditio) quædam inesse naturaliter corpuscula, quanquàm ea ad eius libitum fugiant obtutum hominum, non modo plures philosophi, Platonici maximè contenderunt, sed etiam permulti veterum Patrum: Quotquot inprimis illud Genesis. [*Videntes filij Dei filias hominum; quod essent pulchra &c.* de turpi Angelorum cum mulieribus commercio acceperunt, Tertullianus, Lactantius Firmianus, Irenæus, Iustinus, Ambrosius, & alij. Non pauci præterea apertè scripserunt, vnum Deum purum esse spiritum incorporeum, reliqua omnia, etsi Angelos, aut Dæmones includas, aliquo vestiri corpore; idq; videtur fuisse familiare decretum inter Patres, qui primis nascentis Ecclesiæ seculis floruerunt.

Gen. 6. Tertull. l. 1. de Idol c. 9. & de vel. vir. c. 7. Lact. 2. Diuin. In. c. 19. Ioseph. l. 1. Antiq. Iud. Iren. l. 4. c. 7. Iust. Apol.

Origenes quanuis alicubi Angelos appellarit incorporeos, eius tamen sententiæ fuit, & naturâ suâ aliquod habere corpus, & malos quidem deterius, peccati causâ. D. Basilius, non vno loco, bonis spiritibus dat corpora. [In cælestibus, ait, virtutibus substantia quidem earum, puta spiritus est aerius, aut ignis immaterialis, iuxta id quod scriptum est, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Ea propter & in loco sunt, & fiunt visibiles, dum ijs, qui digni

Ad Sen Fō. & Apol ad Ant. Pium. Ambrof. l. de Noe & Arca. Orig 1. Per. c. 7 lege c. 6. eiusdem l. Basil. de Spiritu S. c. 16.

sunt apparent in specie propriorum corporum.]

D. Hier. in c. 25. Iob. T. 7. D. etiam Hieronymus illud Iob pertractans, Stellę non sunt mundæ in conspectu eius, inquit. [Si enim Angeli, & cœlorum etiam corpora ad comparationem Dei immunda esse dicuntur, quid putas homo existimandus est, cum sit ipsa putredo?] ex quibus verbis, Austus in Gallia, teste Ferdinando Vellosillo, circa annum Domini 430. arguit, Hieronymum fuisse in sententia eorum, qui docuerunt animarum, & Angelorum naturam esse corpoream. D. Gregorius Nazianzenus, & Damascenus statuunt Angelis corpuscula quædam aereæ, aut igneæ substantiæ, immaterialis licet. Gregorius, & Athanasius Angelos vocant animalia rationalia. D. Bernardus, aliquando Angelos vocauit corpore æthereos. Ioannes Cassianus, ait, nullo modo incorporeas existimandas esse eas substantias, quas spiritales appellamus, vt sunt Angeli, Archangeli, cœteræq; virtutes, ipsam quoquè animam nostram, cum habeant secundum se corpus quo subsistunt, licet multo tenuius, quā nostra sunt corpora.

Ferd. Vell. in Adver. Sch. in 7 Tom D. Hier. ad 2. Quæstium. Greg Naz. orat 34 38 Damas l. 2. fi. or. c 2. D. Greg Hō de Epi; h Athan l 1. de Com. essen. Ber Ser 6. in Cant. Io: Cass Coll. 7. c. 13.

Nequè opponat quis, relatos Patres Angelis tantum dare corpora, nihil de dæmonibus loqui, nam eadem, vt monuimus, pro Angelis, ac dæmonibus ratio militat. Agit distinctè de malis spiritibus, Diuus Augustinus, qui sæpissimè tradit, eos habere subtilissima quædam corpuscula. In libro de Genesi ad litteram, vbi in Mathematicos inuehitur, ac ostendit eos multa nosse, malorum spirituum operá, hæc scribit. [Fatendum est, quando ab istis, nimirum Mathematicis, vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanę mentes patiuntur, quod cum ad decipiendum homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quędam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore, propter magnam longitudinem vitę, partim á Sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimę iustitię sinceritate distribuit.] Tertio libro eiusdem

Aug. Ep 115. Nebridio.

Aug 2. de G. ad l. c. 17.

operis scribit, dæmones aerea quædam habere corpora, quæ tamen haud dissolui per mortem possint, dominantibus in ipsis elementis, magis ad agendum, quàm ad patiendum aptis, aere nimirum, & igne sydereo. De Ciuitate Dei, [Sunt quædam, inquit, & dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est ex isto aere crasso, & humido.] Multis demum alijs in locis, Platonicorum lacte nutritus, dæmones aereos esse affirmauit. Theophilactus valdè materiale, ac animale corpus dæmonibus dedit, non modò enim illos vocauit corporeos, sed voluit amare carnes, ac pasci materialibus vaporibus. Tatianus demum prodidit, Dæmones ex materia conflatos. [Quin etiam, inquit, Dæmones, vt vos eos vocatis, ex materia concreti, & spiritu ex ea sumpto, luxuriosi, & delicati euaserunt: alij quidem ex ipsis ad puriorem vitam conuersi; alij verò viliores materię ratione assumpta, & pro eius modo agentes. Istos adoratis ò Græci, qui ex materia geniti, procul à laudabili disciplina discesserunt.] Aug. 3. de G. ad L. c. 10. Lib. 21. c. 10. Theoph in c. 1 Marci. Tatian orat. contra Græcos. Ruper. Abb. 1. de Trin. c. 11.

Horum Patrum sententiam secuti Rupertus Abbas: & Caiet. eamq; Augustinus Eugubinus, veterũ philosophorum studiosissimus, non modo Platonicis, sed etiam Christianis, familiarem vocauit. In illud Psalmi, *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* [Platonici inquit, & Christiani summa concordia fatentur dæmones aereos esse corpore, & habitatione.] Ruper. L. 1. de Diuin. offic. c. 11. Psal. 103.

Venêre huius opinionis authores in hãc sentẽtiã, primò Platonicâ philosophiâ, quã auidè multi amplexabãtur, cuius dogma celeberrimum est, Dæmones habere corpora. Id Dauidis testimonio conforme censebant, vbi inquit. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Secundò mente voluebant Diuinę naturæ dignitatem, ac simplicitatem, á cuius puritate, cum longè distet quæuis creatura, nihil illius comparatione, omnino incorporeum esse prædicabant. Tertiò censuerunt aliqui, inesse Dæmonibus corpora, quòd difficile videretur ad intelligendum, vt dæmones igne corporeo torqueãtur, ni aliquo corpore cõstent. Psellus, esse dæmonibus corpora hinc collegit. [Scilicet hæc me, vel seruatoris ipsius verba (ait Psellus, vbi dixit dæmonibus inesse Argumenta, quæ Dæmonibus tribuunt corpora. Psal. 103. Psel. Dial. de dæmon.

corpora) docuerunt, quæ dæmonas igne puniendos asserunt, quem quomodo patiantur, si corpore carent? Fieri enim nullatenus potest, vt quod corporis expers est, id à corpore intertrimenti quicquam patiatur.] D. Bernardus innuit Angelos indigere corporibus, vt moueri possint de loco ad locum.


Ber ser. 5. in Cant.

Thomas Caietanus hac de causa, consonum censuit Philosophicis decretis, subtili corpore dæmones vigere. [Crediderim ego, ait, dæmones esse spiritus aereos, & id consonare veræ philosophiæ rationi, vt quemadmodum inuenitur vegetatiuum sine sensitiuo, & sensitiuum sine secundum locum motiuo, & intellectiuum sine secundum locum motiuo, ita inueniatur secundum locum motiuum sine sensitiuo, quod est ponere huiusmodi aereos spiritus, constantes ex intellectiuo, & secundum locum motiuo, & est sermo de motu progressiuo, absquè sensitiuo.] Alij id suspicati, quod Angeli, ac dæmones visibili corpore mortalibus appareant

Caiet. in c. 2. epi. 2. ad Eph.

CAP. XIV.

Aerea maximè, & ignea censeri corpora, quæ à nonnullis substantiæ Angelicæ tribuuntur. Aliquorum sententiâ Dæmonum corpora, peccati causâ, effecta esse deteriora.



HÆC, quæ à multis tribuuntur bonis, & malis Angelis corpora, non censentur ex carne, ossibusq; compacta. Tertullianus visus est affirmare, non fuisse putatiuam in Angelis carnem, sed veræ, & solidæ substantiæ humanę: at vel nõ esse putatiuam scripsit, quod censuerit veram sibi carnem, adiunxisse, cũ apparuerunt Abrahæ, quanuis non esset Angelorum propria; vel correxit se se, cum ait. [Constat Angelos carnem non propriam gestasse, vt puta natura substantię spiritualis.] Crassiora etiam elementa ab omnibus excluduntur,

Tertull. l. 3. c. 9. aduer. Marc.

aqua,

aqua, terra: dęmones aqueos, vel terrestres, apud multos inuenies: at quòd in aqua, vel terrâ habitent, non autem quòd ex terra, aquaue corpus habeant. Aerea igitur, seu æthera esse Dęmonum corpora, concors est eorum opinio, qui putât nihil præter, Deum esse incorporeum. Tatianus vetustissimus scriptor, ex vtroq; elemento igne, & aere concretos esse dęmones, opinatus est. [Porro dęmones omnes, inquit, non carnea, sed spiritali concretione constant, qualis est ignis, & aeris, quę corporum constitutio à solis illis perspici potest, qui spiritu Dei muniuntur, non item à cœteris hominum, quos anima regit.] D. Basilius idem subindicat, cum ait, cęlestibus virtutibus substantiam esse, ex aere vel igne immateriali, ob tenuitatem videlicet. D. Augustinus aerea semper vocauit dęmonum corpora, tenuia, & subtilia, eiusdem opinionis sunt citati superiori Capite, Nazianzenus, ac Damascenus, & quotquot illi substantię corpus tribuunt.

Lib. de carne Christi.

Tatian. orat. contra Gręc.

Basil. de Spir. S. c. 16.

At num, ex hoc igne, vel aere elementari constare dęmonum corpus censetur, an ex immateriali quopiam, & subtiliori his, elemento? Non alius mihi aer notus, non alius ignis præter elementarem: quamobrem, qui aereum, vel igneum, Angelis concedunt corpus, non possunt non cogitare ex aere, aut igne elementari conflatum: puriori tamen ac subtiliori: non enim admittunt ad huiusce corporis fabricam aerem hunc, qui infimam, & mediam regionem occupat, quippe qui impurus valdè est, & multis vaporibus, & exhalationibus admixtus; sicuti neq; ignem, qui hominum cômodis hîc deseruit, atq; crassâ materiâ nutritur. Propter huiusmodi corporis tenuitatem, aliqui Patrum, creaturam intellectualem, spiritum aereum, aut ignem immaterialem, vocarunt. Scio Caietani opinionem, dęmonum corpus esse aereum, at minimè ex elemento aeris. [Appellatione aeris (inquit, vbi statuit dęmones esse Spiritus aereos) non intelligo elementum aeris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum, corpus simplex, ac incorruptibile, natum moueri localiter ab anima ad omnes differentias positionis, absquè repugnantia aliqua ex natura corporis, sicut corpus cęleste natû est

Augustinus tamen de C. D. cap. 10. ait ex isto aere crasso componi Dæmonum corpus. Idem Rupert. Abb. Basil. sup.

Caiet. in c. 2. ad Ephes.

eſt moueri circulariter in ea velocitate, qua ſua anima mouetur.] Verùm quale id corpus viuens, ni ſpiritus eſt?

Sed cùm eadem cenſeatur fuiſſe conditio corporis Angelicę naturæ ante peccatum; quęret quiſpiam, an dęmones, qui in peccatum lapſi ſunt, idem ſemper corpus habuerint: an nobilius antequàm peccarent, ignobilius, & deterius poſt peccatum? D. Iſidorus indicauit, dęmones ante peccatum fuiſſe cęleſti corpore veſtitos, quod, vbi deliquerunt, in aereum ſit mutatum. [Hi, inquit, corporum aereorum naturâ vigent. Ante tranſgreſsionem quidem cœleſtia corpora gerebant, lapſi verò, aereā in qualitatem conuerſi ſunt.] Michael etiā Pſellus voluit, dęmones cū adhuc carerent crimine pellucidum corpus habuiſſe, illud autem euaſiſſe obſcurum, materiale, atquè horrendum viſu, in pœnam peccati.] Corpus Angeli, inquit, extrarios neſcio quos ſplendores emittit, & eiaculatur, iccirco exteriores oculos fulgore ſuo perſtringit, nec ab ijs ferri, tolerariuè poteſt. Dęmoniacum vero, an huiuſmodi quondam fuerit, affirmare non auſim, fuiſſe tamen videtur, cum eum, qui lapſus eſt, Luciferum vocet Iſaias. Nunc vero tenebricoſum neſcio quid, & obſcurum eſt, atquè viſu terrificum, vt potè cognato lumine orbatum. Atq; Angelicum quidem omni prorſus materia vacat, quo fit etiam, vt per omne ſolidum penetrare poſsit, ipſoq; ſolari radio impenetrabilius &c. Dęmonica verò corpora, ſubiungit paulò poſt, quamlibet viſum pro tenuitate ſubterfugiant, materię tamen nonnihil habent, patiliaquè quodammodo ſunt, eaq; cùm primis, quę ſubterraneos ſpecus ſubeunt. Ea enim illorum eſt conſtitutio, vt contactibus exponantur, obnoxiaq; ſint, percuſſa ingemant, & flammis admota vrantur, vt eorum, quorum nonnulla ſui ueſtigium cinerem relinquant, quod etiam in Italię finitimis locis accidere aiunt.] Hęc ex eorum mente dicta ſint, qui ſentiunt, dęmones proprio ueſtiri corpore.


D. Iſid. l. 8. Eth. c. de Dijs Gen.

Pſel. Dial. de Dæm.

CAP.

CAP. XV.

Dæmones incorporeos esse, authoritate diuinæ Scripturæ, Patrum testimonijs, & rationibus probatum.



HODIE concordes adeo Doctores Angelicam substantiam corporis prorsus expertem, sentiunt, vt neminem fortè reperias, qui dissentiat. Neque id recenter excogitatum. Vetustissimi Patres, sanctitate, & doctrina haud inferiores ijs, quos ante retulimus, tanquam indubitatum decreuerunt, creaturam, quam spiritualem, appellamus, atque Angelos pariter, ac dæmones complectitur, nihil corporeæ molis habere, naturâ suâ, nihil materia præditum, quantumuis tenui, quantumuis subtili, & si fieri potest insensibili. Id à diuinis paginis acceperunt, quæ Angelos passim appellant spiritus; dæmones verò, immundos spiritus; spiritalia nequitiæ in cælestibus. Nomen *Spiritus* ferè significat rem corporis expertem, nam & Deo conceditur. D. Ioannes *Spiritus est Deus*. D. Dyonisius Areopagita vir, qui multa cognouit reuelante Deo, de Angelicis substantijs, Angelicam naturam vocat incorporalem, atque immaterialem substantiam, immò Deiformem simplicitatem, & immaterialitatem. Alibi eam appellat ab omni materia solutam, speculumque Dei incorporeum. De dæmonibus, dum primam mali originem peruestigat, ait. [Quod neque malitiæ causa si corpus animæ inde manifestum est, quod etiam sine corpore possit malitia irrepere, sicut in dæmonibus;] Hoc argumentum inane esset, ni pro certo haberet, nulla dæmonibus esse corpora: nam alioqui, & ipsorum malitia reijci in corpus posset. D. Gregorius Nyssenus, creaturam rationalem in corpoream, & incorpoream partitur, ac in specie corporalium homines constituit: incorporalium verò, & eorum quæ sola mente comprehendi

Matt. 10.
Ad Ephes. 6.
Ioan. 4.
Dion. Ar. c. 1. Cæl. Hier.
C. de Di. No. vbi supra.
Greg. Nyss. lib. de orat. Dominica.

prehendi possunt naturam Angelicam.[Omnis,inquit,creatura rationalis,partim in incorpoream,partim in corpoream diuisa est. Est autem Angelica quidem incorporea, altera verò species nos sumus. Atq; illa quidem incorporea cum sit, sola mente compræhenditur.] Diabolum, idem Nyssenus vocat spiritum,omnis corporis expertem. Epiphanius ait, dæmonem esse spiritum incorporeum. D. Hieronimus erroris damnat Origenem,quòd affirmaret dęmones,ob delicta,detrusos esse in aerea corpora. Cyrillus inquit,rudis esse cogitare, Angelos, qui naturâ incorporei sunt,alimento vti. Theodoretus deniq; ,Chrysostomus,Nicetas, & quotquot ferè de naturis spiritualibus seriò egêre,vna voce dixerunt, Angelos, ac dæmones carere corpore. Id Scholastici omnes habent inter certa decreta Theologiæ. Quin affirmant[a] aliqui,secus opinantes, hæresi notandos, quod ego nimis durum reputo. Concilium quidem Lateranense, hęc habet.[Vnum est vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium,& corporaliũ, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramquè de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam uidelicet, & mundanam.] Nihilominus haud definitum est, hoc decreto, ut Iouerius, Miranda, & Sixtus Senensis notarunt; incorporeos esse Angelos: sed nihil esse, siue spirituale, siue corporale, quod à Deo creante,non fluxerit. Valde tamen temerarium esset[b] doctorum uirorum iudicio, hoc tempore, corpus Angelis, seu dæmonibus tribuere.

Nyss Or. 1. de pauper. aman. Epih. hæres. 26. Hier. Ep. ad Auitum. Cyrill.l.4.in Ioan. Theodoret. in c.1. Zach. Chrys.hom. 22. in Gen. Nicetas annot in orat. 38 Naz. Scholastici 2. Sent.d 8. & in p.p.S. T.q.50 a. 1. a Ferd. Vell. in Aduerté. Schol in T. 7.D.Hier ad 2. Quæsitum Concil.Later c. Fir de Sum.Tr. & fid. Cath. Ioa. & Miran. in Sum. Concil. ad Concil. Nicen.2. Sixt.Sen.l.5. Bibl. S. ann. 8 b Molina. 1. p.q 50 a. 1. & Vasq. 1b. disp.178.c.3

Sed, omissis testimonijs, agamus momentis rationum. Siue Angelus,siuè dæmon, corporeus sit,haud se toto corporeus est: nec enim diuinæ gratiæ, aut beatitudinis ea natura capax foret: nam hæc spiritus sunt, non corporis; quin Intelligentiæ nomen, illi iniuriâ tribueretur. An partem tantum sui habebunt corpoream, quam spiritus Angeli,siue dęmonis,sicut anima rationalis humanum corpus,viuificabit? Hunc sensum secuti videntur multi, qui naturæ Angelicæ corpora dedêre. At quale erit huiusmodi corpus,quod Angelico

gelico spiritu viuet? An ex pluribus elementis conflatum? Eas conditiones declinare non poterit, quæ corporis physici naturam consequuntur, eritq; ideo dissolubile, & alterabile. Si vnicum elementum sit Angelis loco corporis, adhuc & lędi à contrario poterit, & interire, disiuncto à spiritu, corpore, ni ad Dei priuilegium aliquod confugiamus, quod est egredi disputationis limites. Si aliud corporis genus excogites æthereum, vel cœleste, gratis id fingis. Sed tribue quod lubet Angelis, & dæmonibus corpus. Animalia quædã erunt: indigebunt alimento ad sustentandam vitam: semine prolifico nõ carebunt, quod ex cibo gignitur, estq; residuum alimenti optimè concocti: certam quandam habebunt corporis formã, quam facilè non inuenias: certum loci spacium occupabunt, vnde vix fide dignum erit, quod legitur in sacris libris, integram dęmoniorum legionem in vno, eodemq; hominis corpusculo fuisse: penetrare, ac subire naturaliter aliud corpus non poterunt, vnde Satanici spiritus è cælo præcipitati, illud disrupissent, aut facta esset corporum penetratio: ea deniquè subibunt incommoda, quę sunt quidem propria corporum, at repugnant Angelis, siue bonis, siue prauis. Multi eorum, qui dæmones corporeos faciunt, hæc ab eã naturã adeo aliena, nesciunt inficiari. Non pauci veterum Patrum, qui corpus inesse dęmonibus cogitarunt, absurdum non reputarunt, dæmonum cum mulieribus congressu, propria vi, non emendicato aliunde semine, genitam sobolem. Marcus ille apud Psellum, minimè negauit à quibusdam dæmonibus, lucifugis, aqueis, & subterraneis emitti sperma, eoq; procreari vermes quosdam: cumq; non ignoraret, semen esse residuum cibi, concessit, hosce dæmones, humido spiritu nutriri. [Aluntur, ait, alij quidem inspiratione, vt spiritus arterijs, neruisq; contentus: alij humiditate, non tamen ore, vt solemus, excepta, sed spongiarum, testaceorumq; piscium more, adiacentem quidem humorem extrinsecus attrahẽtes.] Rabbinus quidam, eiusdem sententię, stultè aiebat, dæmonibus tria esse cum hominibus communia, edere, & bibere, venere vti, ac gignere prolem. Facius Cardanus,

Marci. 5.

Psel. Dial. de dæmon.

Auoth. Natanai ex Matt. Delrio l. 2. Disq. Mag. q. 28 sec. 5.

danus, qui multis annis familiari dæmone vsus fuerat, quàm leuiter, hac opinione proculdubio imbutus, aures præbuit, illi mendaciorum artifici, cum patrono suo insinuabat, nasci dæmones humano more, senescere, & interire? Quid? Eò dementiæ venit Facius, vt coniectasse se scripserit, ex iuuenili sui dæmonis aspectu, ad ducentos, aut trecentos annos dæmonum ętatem peruenire. Huius credulam nimis persuasionem plenam erroribus, iure optimo, Romanus index expurgatorius Ioannis Marię Brasichellen, in quo aliquot dubiæ fidei scriptorum monimenta emendantur, inter alia, à decimo sexto de varietate libro Hieronymi Cardani filij, secarunt. Veteres etiam illi magicis artibus dediti, nidoribus, ac libaminibus dæmones, insulsè pascebant, atq; iactabant incantationibus quibusdam, herbis, certisq; rebus naturalibus, vim inesse aduocandi; & detinendi dæmones. Has nugas, nec somniassent quidem, si dęmones spiritales esse, ab omni corpore seperatos, cogitassent: nã spiritalia non indigent corporeis, vt viuant: neq; corporea vllam vim habent in spiritus, etiam malos, quorum robori nulla, super terram, potestas comparari potest.

Haud hic fert modo Ecclesiasticis exorcismos, & alijs rebus, quibus Deus peculiare dat robur.

Suadet etiam Mundi decus, concedendas esse huiusmodi substantias spiritales. Deus certè hanc rerum vniuersitatem, adeo suis numeris absolutam condidit, vt nihil omnino, ad eius complementum desiderari iure possit. Condidit sensu carentia: viuentia tùm vegetante, tùm sentiente virtute; hæc nihil habent incorporei spiritus admixtum. Condidit hominem intellectu, menteq; præditum: hic constat corpore, & animâ, eâque spiritali: veruntamen, quòd hæc pars quędam sit, haud est, in genere intellectualium, quid omnino, completum, & absolutum, immò licet sê sè careat corpore, ad illud tamen affinitatem habet, cognationem; & ordinem. Ergo ne deesset in hoc mundo potissimus rerum gradus, æquum fuit, fieri creaturam quandam, nulli omnino obstrictam corpori, quę non modò sine corpore staret, vt anima, sed, naturâ, corpori minimè inhiaret. Hęc, Angelica est creatura; quę hoc etiam argu-

mento

mento simplex, & pura in genere creaturarum intellectualiũ produci debuit, vt tanquam incorporea, & immaterialis creatura, nobilissimâ, præstantissimaq; ratione, cõditoris Dei simplicissimam naturam repræsentaret. Arguunt quæcunq; à Deo condita sunt, Deum ipsum: inanima, ac ratione carentia, exhibent Factorem rerum, veluti leuia quędam vestigia eius omnipotentissimę manus. Propius accedit homo, quippe qui ad ipsius Dei imaginem effectus: at tantum, ratione partis imago est Deitatis, nimirũ animæ. Angelica verò creatura, modò sit immunis corpore, atq; innato quodam desiderio ad illud non aspiret, sê totâ, quanta, quanta est, iuxta tenuitatem, & modum creaturæ, quę semper à creatore quàm longissimè abest, diuinæ naturæ simplicitatem ob oculos mortalium ponit.

CAP. XVI.

Quo sensu à nonnullis Patribus, Angelicæ creaturæ corpora tribuantur. Satisfactum argumentis, quæ eius naturæ simplicitatem improbant.



NON ambigo autem, quin multi Patrum, qui Angelos, & dęmones, corporeos appellarunt, verè intellexerint; earum, quas memorauimus authoritatum, & rationum pondus, censuerintq; non teneri corporea mole obstrictos eos, qui in sacrosanctis litteris Spiritus appellãtur, quòd à corporibus distinguantur. Quanuis enim de simplicitate, ac puritate diuinę naturę cogitantes affirmarent, nullã creaturam carere corpore, ad ea tamen corpora intenti, quæ oculis nostris intuemur, Angelicos spiritus, immateriales, & incorporeos prędicabant. Id me docuit, eleganti sententia, Damascenus, qui licet velit aereę, seu immaterialis cuiusdam substantiæ Angelos præditos, inquit, tamen. [Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, suę potestatis, arbitrioq; libera, incorporalis, Dei ministra, per gratiam, non naturâ immortalitatem. Damasc. l. 2. fid. Orthod. c. 3.

talitem consecuta, cuius substantię speciem, & terminum solus creator agnouit. Incorporeus autem, & immaterialis dicitur quantum ad nos, nam quantum ad Deum, crassum, & materiale cõperitur: sola enim verè immaterialis, & incorporea Diuinitas.] Vnus Deus, Spiritus est omnino purus, qui neq; cõcretionẽ admittit ex corpore, & anima, neq; ex actu, & potẽtia: ad rationẽ huius simplicitatis, oẽs creaturæ corporeç.

Fortè etiã aliqui dixêre Angelos, ac Dęmones nõ esse corporis expertes, quòd à mortalibus non videantur, nisi aliquo induti corpore; de illo haud diligentius perquirebãt, propriũ ne esset, an aduentitium Ioannes Thessalonicensis Episcopus, cuius liber in Concilio Niceno secundo, coram Patribus lectus est; videtur hac de causa scripsisse, Angelos, & dæmones esse corporeos, sic enim inquit. [Solummodo Deus incorporeus, & informabilis; intelligibiles autem craturæ, nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt: quare etiam in loco existunt, & circumferentiam habent. Quamquam autem non sunt, vt nos incorporei, vt pote ex quatuor elementis, & crassa illa materia: nemo tamen vel Angelos, vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas, multoties enim in proprio corpore visi sunt, sed ab illis, quibus Dominus oculos aperuit.] Hîc intellectuales substantiæ corporeæ dicuntur, quoniã nõnunquam visæ sunt corpus circumferre, quod, quia splendore quodã vel felicitatis argumentũ daret, vel quia formidabili aspectu, pœnã, miserumq; statum aperiret, proprium dicebatur Angeli, aut dęmonis.

Concil. 2. Nicen. act. 5.

Addunt his alij, Patres, qui dæmonibus corpora tribuunt, aliena placita, Platonicorum præsertim, recitasse, cæterùm, neq; ex propria sententia locutos, neq; fuisse solicitos de hac quæstione, multis argumentis disputare, aut certi quid statuere, quòd ad fidem nostram, seu hominum mores, huiusce rei accurata disceptatio, non multum conduceret. D. Bernardus hac de causa noluit, hanc controuersiam dirimere. De D. Augustino scripsit Angelicus doctor, eum, dum ageret de dæmonibus, retulisse solùm Patrum, qui ea ætate florebant, sententias, nihil de suo dixisse, in cuius confirmatione m

S. Th. q. 16 de malo. a. 1.

Bernar. ser. 5. in cant.

tionem ipsius Augustini testimonium profert, cum inquit. [Sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora sicut doctis hominibus visum est ex isto aere crasso, & humido.] Et certè Augustinus non adeo mordicus adhæsit illi sententiæ, quin intelligeret, eam esse valdè dubiam, ac non absurdè posse quem aliter opinari, subdit enim paulo post recitata verba. [Si autem quisquam, nulla habere corpora dæmones asseuerat, non est de hac re aut laborandum, operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum.] In Enchiridio, disputat in vtramquè partem hanc quęstionem, demùm concludit. [Cum ista quæruntur, & ea sicut potest quisquè coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disputatio moderata, & absit error opinantium se scire, quod nesciunt: Quid enim opus est, vt hęc, atq; huiusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur.] Ludouicus tamen Viues, quoad Augustinum attinet, censuit, nec irrationabiliter, ex propria sententia affirmasse, Dæmones esse corporeos. Verba Ludouici hæc sunt. [Augustinum sensisse Angelos, & dæmones corporibus esse præditos, legentibus opera, istud: videlicet & de natura dęmonum, & de Genesi ad Litteram, certius est, quam vt pluribus ostendi debeat: neq; ex aliena sententia tot locis locutus est, vt Petrus Lombardus dicit, quosdam putare, sed ex sua ipsius, secutus nimirum non pudendos authores, primum Platonicos omnes, deinde Origenem, Lactantium, Basilium, & consensum fere suo tempore scribentium.] Re vera, ita reor: multos veterum Patrum, qui antiquiorum Philosophorum fontes adierant, ac gustarant, hausisse inde, non sine aereo quodam corpore Angelos, ac dęmones vagari, idq; sibi ex animi sententia persuasisse.

Aug. 11. de C.D. c. 10.

Lud. Viues annot. in c. 13. l. 11. de C.D.

Quanquàm autem non pauci huiusce persuasionis sectatores, fuerint diuinarum litterarum periti, atq; prudentes rerum æstimatores, in hac tamen causa, nullum aut sacræ scripturę, aut rationis firmum munimen habuerunt. Etenim, licet Dauid appellet Dei ministros, hoc est Angelos, spiritum, & ignem; id haud facit, quòd aerei sint, vel ignei, ue-

rùm,

rùm, quemadmodum præstantisſimi Patres docuêre, aeris, ac ignis metaphorâ, eius naturæ miram celeritatem, & agilitatem, eximiam inſuper vim, & accenſum deſiderium exequendi diuina iuſta exprimit. Chryſoſtomus ſic Prophetæ authoritatem interpretatur. Eius verba ad eum locum, hęc ſunt. [His verbis demonſtrauit, eum non viſibilium duntaxat, ſed eorum etiam, quæ aſpectum fugiunt, effectorem, & architectum eſſe. Eoſdem porrò & ſpiritus, & ignem appellauit, vt per vtramq; vocem, vim, ac celeritatem indicaret: celer enim eſt, ſpiritus natura, & robuſta ignis actio.] D. Damaſcenus. [Ipſe, inquit, Angelorum factor, & Opifex, Deus eſt, ipſos ex nihilo ad eſſe deducens, ad propriam illos creans imaginem, & naturam incorpoream, vt ſpiritum quendam, aut immaterialem ignem: quemadmodum diuinus, inquit, Dauid. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: agilitatem, ignitionem, feruorem, penetrabilitatem, & acumen circa diuinum deſiderium, & miniſteriũ deſignans, atq; ipſorũ ſurſum ferentem, ab omni materiali intelligentia liberam puritatem.] Aduerſa argumenta non multi ſunt ponderis. Nam etſi Angeli, aut dæmones nullum habeant corpus, neq; ex materia, & forma ſint conflati, adhuc tamē longè deficiunt à diuina ſimplicitate, & puritate, quæ ab omni concretione eſt ſegregata: cum tamen Angeli, & dæmones, ex actu, & potentia, hoc eſt, ex eſſe, & eſſentia, conſtituantur. Pſellus, & quicunque ex corporeis pœnis, quibus dæmones afficiuntur, conijciunt, eos eſſe corporeos, non animaduertunt, & animam, quæ ſpiritus eſt, angi cum malè habet corpus: atq; vim in igne corporeo cruciandi ſpiritus, non eſſe elemento illi natiuam, ſed ab omnipotenti Dei iuſtitia conceſſam, qui vt ſalutaribus aquis, ſpiritalem animam mundat, ſic, ardenti igne, malorum ſpirituum, ac immundarum animarum plectere ſcelera poteſt. Angelicæ etiam creaturæ opus eſſe corpore, vt tranſire de loco ad ad locum poſſit, planè ridiculum eſt. Quid enim repugnantiæ, ſpiritus mutare locum, & pergere quò volunt? An anima, cum auolat è corpore, non ſine corpore, ad ſua loca ducitur?

Damaſcen. l. 2. fid. orth. c. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

citur? Momento Angeli in terram descendunt, vt opem ferant mortalibus, ac Dei mandatis pareant. Satan celerrime circuit terram, & perambulat eam; an necessaria ad tantum iter corporea moles? Impedimento erit, non adiumento: facilius enim & celerius volant spiritus, quàm corpora, quòd corpus corpori resistat, licet nequaquàm spiritui. Caietani argumentum leue est, nam si velit ponere corpus secundùm locum motiuum, sine sensitiuo, cur non ponat sensitiuum sine vegetatiuo? quod tamen veræ philosophiæ repugnat; sic enim se habent teste Aristotele de Anima, gradus vt figuræ, Trigonum autem est in Tetragono, non è contrario. Ignari deniq; sunt, qui postremâ coniecturâ ducuntur. Apparent Angeli, ac dæmones mortalibus, induti corpore, vt agere cum ijs posfint: quî enim aliter alloquerētur viuentes, ac versarentur cum ijs ad certum tempus? Verùm corpus illud, haud est Angelorum, vel dæmonum proprium, sed externum, quod sibi ipsis aptant, instar indumenti cuiusdam, illud componentes, variâ elementorum mixturâ, aeris potissimùm: licet plerunquè vera mortuorum hominum cadauera subintrent, vt legere est, apud varios authores.

Iob 1.

Ita soluitur argumētum Caiet. a Salmerone disp. 5 inc. 1. Ep. ad Ephes.

CAP. XVII.

Quod Dæmones non fuerint à Deo conditi, naturâ mali.

PRODIERE ergo dæmones ab opifice suo, spiritales, à corpore omnino segregati, voluntate, mente, ac ijs facultatibus prædití, quæ huiusmodi naturæ conueniunt. Agendum est, quandoquidem omnes sciunt, nunc hosce spiritus impuros esse, & flagitiosos, an tales à Deo creati sint; an verò creator optimus, principiò eos effecerit bonos, quamuis dein illi ipsi, praua voluntate, mali euaserint. Illud caret dubio. Dæmones initio sui ortus, vt primùm uidelicet à

diuina bonitate fluxerunt, non modo immunes fuisse labe peccati, & malitiæ, sed habuisse quidquid perfectionis, quidquid dignitatis nudæ illorum naturæ congruebat. Siquidem voluntas, ac mentis cognitio, ijs omnibus donis cumulabantur, quæ consequi proprio conatu potuissent. Conformis illa omnino erat Diuinæ, nec quicquam, vel latum vnguem, à suo naturali fine, alienum affectabat: Hæc Deum, in cuius contemplatione etiam Philosophus summam beatitatis naturalis esse voluit, optimè intelligebat, non quòd in ipsamet diuinam naturam absq; ænigmate ferretur, initio, naturæ spiritualis intuitus; hæc enim est cognitio gloriæ, quam vti dicemus, Dæmones nunquàm sunt assecuti, sed quòd in eis eluceret quædam Dei similitudo, quâ illum, vt naturæ finem, dignoscebant: Atquè hæc sufficiebant, vt aliquatenus felices, ac Beati dicerentur. Est enim naturalis beatitudo, vltima creaturæ rationalis, seu intellectualis perfectio, quam virtute suę naturæ assequi vtraquè potest, ac in contemplatione optimi intelligibilis, quod est Deus, consistit; quæ quidem perfectio, quamuis intelligentis facultatis sit, adiungit tamen sibi ad sui complementum, integritatem quoq; voluntatis. Hæc decreti ratio. Vniuersa, quę ab opifice Deo effecta sunt, fuêre ab exordio suis absoluta numeris, proprijs dotata virtutibus, illis demum perfectionibus cumulata, quæ eorum natura flagitabat. An creatura Angelica, omnium præstantissima, manca, imperfecta, aut deprauata à Deo processit? Deus immensa bonitas est, nec potest, quæ condit ipse, non bona efficere: vt enim à Deo creata, certam, habent agendi normam, sibi congruentem, neque in oppositos effectus possunt; calefacit enim, ignis, aqua frigefacit, cum neque ignis frigefacere, nec calefacere aqua possit; Sic Deus, naturâ bonus, non potest non facere bona. Id summæ, & diuinæ eius perfectionis est, non imbecillitatis. Erge, qui bonitas est, Dęmonas initio bonos fecit, nec modò bonos, quòd essét, sed bonos quòd benè haberent, ab omni miseria, pœna, & culpa remoti, immò, vti dictum est, aliqua naturali fœlicitate beati: quanquàm hæc haud perfecta vndequaq;

[Margin notes: 10. Eth. c. 7. & 8. T. 5. — D. Th. p. p. q. 12. a. 1. ad 3. — ex D. Th. sup.]

quaq; censenda erat, quod deprauari culpâ eorum posset, vti re deprauata est. Cessauit enim, vbi elati sunt in superbiam, eximia illa voluntatis rectitudo, ac pacata, & tranquilla cognitio, & mentis consideratio, quæ ad naturalem beatitudinem requirũtur. Dionysius Areopagita [Neq; dæmones, inquit, naturâ mali. Etenim si naturâ mali, neque ex bono, neq; in existentibus, neq; ex bonis conuersi, naturâ, & semper mali sunt] Et postea. [Deinde quomodo à Deo facti dæmones sunt mali? Bonum enim bona adducit, & substituit. Et quidem dicuntur mali, dixerit quis, sed non secundùm quod sunt, ex optimo enim sunt, & optimam sortiebantur essentiam, sed secundùm quod non sunt: infirmi, vt Eloquia aiunt, seruare suum principatum. In quo enim, dic mihi, vitiari dicimus dæmonas, si non in cessatione diuinorum bonorum habitudine, & actione.] Nazianzenus, ait, dæmonem à Deo effectum esse lucidum, à seipso caliginosum. Basilius diabolum, nonnisi ex ipsius libera voluntate, malum esse. Gregorius Magnus scripsit, omnes Angelos in beatitudinis luce creatos. Vniuersi demum Patres, concordi ore, docuerunt, spiritalem creaturam, quæ recto, atque honesto est aduersa, sponte sua, à meliori sorte, in qua condita est, excidisse. Diuinarum Scripturarum testimonia collegit Cyrillus Alexandrinus. Profert in primis illud Psaltis, vbi ait, Deum omnia fecisse in sapientia; ex quo loco arguit, non esse diuinæ sapientiæ consonum, quod à bono authore, malum producatur. Addit illud Ioannis de Satana, *In veritate non stetit*, ex quo deducit, fuisse aliquando in veritate, sed in ea non permansisse: nemo enim de illo, qui nunquam in veritate fuerit, dicet, quòd in veritate non steterit, sed quòd in ea nunquam extiterit. Denique, ex eo quod multis in locis sacræ paginæ, Lucifer in cælo fuisse dicatur, iure probat, vbi primùm in cælo collocatus est, magnam habuisse, & naturæ, & donorum Dei excellentiam irrationabiliter enim, si fuisset inquinatus malitia in cælo fuisset collocatus

Areop. 4 de Diuin. nom.

Iudæ. 1.

Nazian. orat. 12 quæ est de Pace.

Basil. Hom. quod Deus non est auth. mal.

Greg. Magn. in Ezechiel.

Cyril. Alex. l. 6. in Ioan. c. 6.

Psal. 103.

Ioan. 8.

Lucæ 10. Esa. 14. Ezech. 28. Apoc. 12.

Sanè iniuria dæmones tantis præmerentur angustijs adeoq; graues pœnas daren malitię, si effecti fuissent ab au-

thore ſuo mali. Deformitatem naturalem exprobrat nemo. Pœnæ igitur ipſę, perpetuaq; damnatio, certisſimo ſunt argumento, à Deo naturam Dæmonum factam fuiſſe bonam.

L. 11. de Gé. ad l. c. 21.
[Occurrit cuilibet, ait Auguſtinus, & verum eſt, atq; manifeſtum, iuſtitiæ ipſi eſſe contrarium, vt, nullo præcedente merito, hoc ipſum in quoquam Deus damnet, in quo ipſe creauit, certaq; & euidens damnatio diaboli, & angelorum eius ex Euangelio recitatur, vbi ſe dicturum Dominus pronunciauit, eis dicens, qui à ſiniſtris ſunt; Ite maledicti in ignẽ ęternum, qui præparatus eſt Diabolo, & angelis eius. nullo modo in eo naturam, quam Deus creauit: ſed malam propriam voluntatem, pœnâ ignis ęterni, plectendam eſſe credendum eſt.]

Matth. 25.

Pudeat igitur illos qui teſte Auguſt. opinati sũt dęmonem, in malitiã libero voluntatis arbitrio non eſſe deflexum, ſed in ea omnino creatũ à Domino Deo, ſummo bono, & vero, naturarum omnium creatore. Horum execrãdũ dogma, recitat etiam & refellit Cyrillus Alexandrinus. Vidit rerum conditor Deus cuncta, quæ fecerat, eaq; reperit valdè bona, valde inquam bona, non quòd, vt illi ipſi aiebant in hanc rem, eludentes ſacræ paginæ auctoritatem, dęmones quamuis naturâ mali, efficere, malitiâ ſuâ, non posſint, vt hæc rerum vniuerſitas, quę à Deo ęmanauit in pondere numero, & menſura, aliqua ex parte peruertatur, vel perturbetur; ſed vidit vniuerſa à ſe effecta, bona eſſe, quòd etiam hoc Dei opus, non inquinatum, non malum, ſed bonum, & naturali luce eximium, à ſe ipſo bonitatis fonte fluxerit.

L. 11. de Gé. ad l. c. 20.

Cyril. Alex. l. 6. c. 6. in Io.


Manichæorum, & Priſcillianiſtarum hęreſes, dicentium diabolum eſſe naturâ ſuâ malum, pesſimamquè quandam ſubſtantiam, iam pridem damnatę ſunt. Innocentius III. diabolus, inquit, & alij dęmones à Deo quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.] Concilium Bracarenſe primum cap. 7. ita ſtatuit. [Si quis dixerit diabolum non fuiſſe prius angelum bonum, nec Dei opificium eſſe naturam eius, ſed eum è tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere auctorem, ſed ipſum principium, atq: ſubſtantiam malam,

De ſumma Trin & fi. Cath c. firmiter &c.

lam, sicut Manichęus, & Priscillianus dixerunt: Anathema sit. [Leo item Primus, vbi retulit Priscillianistarum errores, subdit.] Fides vera, quę est catholica, omnium creaturarum siue spiritualium, siue corporalium bonam cōfitetur substantiam, & mali nullam esse naturam, quia Deus, qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus, permaneret. Sed quia naturali excellentia male vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transijt substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhęrere, desciuit &c.] Epist. ad Turib. Astur.

CAP. XVIII.

Explicantur Scripturæ testimonia, quibus abutuntur existimantes, dæmonem à Deo conditum esse malum.



SOLENT qui arbitrantur, dæmonem nunquàm non fuisse malum, ac Deo, & hominibus aduersum, quędam diuini eloquij testimonia dare, in sui erroris confirmationem. Ea notarunt Augustinus, & Cyrillus. Pręcipua sunt illud Diui Ioannis, vbi inquit. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo: cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur.* Idem Ioannes. *Ab initio diabolus peccat.* Illud pręterea Dauidis, vbi inquit, Draconem idest Satanam, à Deo formatum, vt ludibrio, & despectui esset omnibus. Ex D. Ioanne ita arguunt. Dęmon ab initio fuit homicida, ergo nunquàm non fuit talis, nam secus ab initio non fuisset homicida. Ad hęc si Dęmon ex proprijs loquitur mendacium, id illi naturale sit necesse est. Cum verò, subdunt, eo instituto Deus dicatur effecisse Draconem, quò ei illudatur ab hominibus, dolosas eius artes, ac incitamenta ad peccatum superantibus: consequens est, vt malus, vt inuidus, vt seductor, vt omnino diabolus creatus sit.

Aug. 11. de Gen. ad litt. c. 20. Cyril. l. 6. in Ioan. c. 6. Psal. 103.

Cœca

Cæca argumentatio, quę, vt Dei bonitatem nescit, sic diuinę scripturę sensa non intelligit. Est homicida Dęmon, & ab initio quidem: at minimè ab initio conditionis suæ, eo videlicet signo, quo primò conditus; sed ab initio, quo superbiâ tumidus, ad cæleste solium aspirauit: tunc enim interemit se ipsum, & effectus est homicida, quia se ipsum æterna morte prostrauit. Hinc, vt Cyrillus animaduertit haud dictum est, quod *initio* homicida fuerit, sed *ab initio*, peccati scilicet: quoniam ab ipso incepit peccatum, & præuaricatio. Aut certè idem est, initio, ac paulò post initium, quoniam inter creationem Luciferi, & eius lapsum, quanquàm aliquod, exiguum tamen interuallum fluxit, cuius non habetur ratio quemadmodum, dici communi sermone solet, ab initio mũdi fuisse fratrum inuidiam, licet puxillum temporis intercesserit à mundi exordio ad inuidiam fratrum. Si verò ad necem spiritalem à Dæmone primis parentibus illatam, ea verba referamus: dæmon homicida dicetur ab eo initio, ex quo homo potuit occidi; Cum autem non potuerit occidi, antequam esset, qui occideretur: ab initio homicida Diabolus est, quia ipse occidit hominem primum, ante quem, nullus hominum fuit. Loquitur Satan mendacium ex proprijs, quòd nec suadente, nec instigante quoquam, nec auctore Deo, sed ex se mendax sit, atq; ferè nesciat vera loqui, vitio suo, & praua voluntate, non naturâ. Itaq; proprium ibi significat adeo familiarem dæmoni mentiendi consuetudinem, vt innata illi videatur. Placet ad locum Dauidis, cui similis est alius Iob, hanc adhibere responsionem: Dæmonem dici initium figmenti Domini, illudquè factum vt illudatur ab Angelis, non quòd à Deo talis efluxerit, cui iustè illuderetur ab Angelis: sed quòd à Diuina bonitate, quæ nouit ex malis bona elicere, effectus sit, etiamsi Deus ipse, eâ, quâ pollet infinitâ scientiâ, cognosceret, fore, vt talis sê se euaderet, quem Angeli Dei, & boni viri contemnerent cum videlicet irriti caderent eius conatus, quibus ad malum solicitat, strenuè certante homine, & gloriosè ab eo victoriam reportante. Fauet D. Augustinus, qui scribit eo testi-

Cyril. sup.

August. l. 11. de Gen. ad l. c. 16.

Iob 40.

testimonio non significari naturam dæmonum, sed quòd præsciens Deus (verba sunt Augustini) dæmonem, propria voluntate, malum futurum, fecit tamen, non abstinens bonitatē suam in præbenda vita, atq; substantia futuræ etiam noxię voluntati; simul prauidens, quanta de illo bona esset sua mira bonitate, ac potestate facturus. Initium autem figmenti Domini dictus est, quod fecit vt illudatur ab Angelis eius, non quia ipsum primitus condidit, vel initio malum condidit, sed quia cum sciret, eum ad hoc propria voluntate malum futurum, vt bonis noceret, creauit eum ad hoc, vt de illo bonis ipse prodesset: hoc est enim, vt illudatur ab Angelis, quoniam sic illuditur, cum sanctis prosunt tentationes eius, quibus eos deprauare conatur, vt malitia, in qua ipse esse voluit, eo nolente, sit vtilis seruis Dei, qui hoc prouidens eum finxit.] Concludamus Cyrilli sententiā. [Quæcunque scripturæ testimonia diabolum à Deo factum commemorant, intelligenda sunt secundum substantiam, & naturam diabolum à Deo esse, non secundum culpam: quam posteaquàm creatus est spōte sua incurrit, & apostata factus, prolapsus est. L. 11. de Gē. ad l. c. 22. Cyril. in p.

CAP. XIX.

An Dæmones præter naturalem decorem, supernaturalis gratiæ donum habuerint, antequàm peccarent. Negantium opinio, & argumenta.



OETERVM, fueritne in dæmonibus, ante peccatum, naturalis tantum rectitudo, & propriæ substantiæ puritas: an diuinæ bonitatis largitas, supernaturalibus eam donis cumularit, gratiæ potissimùm, quæ eam creaturam, ęternę felicitati consequendæ, natam, ad tantum bonum disponeret, & præparatet; dissidere inter se videntur, tum Patres, tum Scolastici. Negarunt non infimi doctrinâ viri, tantum

tum dignitatis, ac perfectionis vnquam habuisse malos spiritus, vt Dei gratiæ, quam gratum facientem appellant, participes fuerint; superuacaneum ducentes, conferri illis gratiam, qui ingrato animo, illam confestim amissuri erant.

Alens. 2. p. q. 18. M. 2.

Alexander Alensis, etsi problematicè videatur loqui, indicat tamen non fuisse concessam dæmonibus gratiam, quòd si huiusmodi donum habuissent, non potuissent non tendere in Deum; atque adeo iam ab eo non recessissent: ea enim est, inquit, naturæ spiritualis conditio, vt cum propria voluntate alteri parti adhæsit, diuelli ab ea nō possit. [Natura rationalis (inquit; sicui fortè placet Alensem audire), semel vertibilis est de se se, non pluries, nisi ex vnione cum aliquo alio: sicut est de anima rationali, quæ separata à corpore permanet in statu, in quo erat ante separationem. Vnde Angelica natura semel vertibilis est, vnde semel auersa à Deo semper permanet in auersione, & conuersa ad Deum semper permanet in conuersione: sed constat quod Angelus habens gratiam gratum facientem non potest, non conuerti ad Deum, conuersus semel non potest, auersus esse. Constat ergo, quod Angeli apostatę nunquam habuerunt gratiam gratum facientem.]

Richar. à M. Vil. 2. d. 4. q. 2 a 2.

Trac. de creat. naturæ Ang. c. 2.

Richardus a M. V. subscripsit eidem opinioni, quòd improbabile illi visum sit, datam esse gratiam dæmonibus, & fuisse dilatam gloriam. Hugo de Sancto Vict. affirmauit ille quidem dęmones creatos esse bonos, at nequaquā iustos, vel iniustos. [Nec iusti, ait, nec iniusti tunc fuerunt, nec aliquā virtutem tunc habuerunt, nisi virtutis, vel iustitiæ nomine naturalem rectitudinē intelligamus. Quod omnis virtus sit meritum, meritum autem est à libero arbitrio, quod semper est ad futurum, & non ad præsens, vel præteritum.] Quòd tamen multis sacræ paginę testimonijs probari posit, aliquando Dæmones fuisse iustos, & beatos, hæc subdit. [Si tamen aliqua auctoritas dicat, eos in ipsa creatione iustos, vel beatos fuisse, beatitudinem, & iustitiam vocat illum statum sine miseria, & sine vitio]. Sunt, qui dicant, Angelos nō esse à Deo creatos in gratia iustificante, quod præuiam dispositionem

tionem requirat: vnde antequam Deus gratiam conferret, Angeli præcedere debuerunt; ac se ad eam suscipiendam præparare. In hac eadem sententia fuere Magister sententiarum D. Bonauentura. Argentinas. Marsilius,& alij Scholastici. Magist. Sen. 2.d.4. & 5. Bonau.2.d.4. q.2.a.1.

Exhibent hi aliquos Patres suæ sententiæ patronos. Cyrillum Alexandrinum, vbi inquit, fuisse Angelū in suæ conditione naturæ antequàm prolaberetur: prolapsum esse à natiua bonitate:atq; priusquàm caderet,bonitatis rectitudinem, in qua creatus est,habuisse.quibus innuit Cyrillus,eam tantū fuisse Satanæ bonitatē,antequàm peccaret,quæ illi ex natura competebat.Ex D.Gregorio eā sententiam accipiunt, in qua apertè tradit, Luciferum quidem cōditum esse à Deo aptum ad suscipiendam charitatem,at illam minimè recepisse. Verba Gregorij hæc sunt, dum exponit illud. [*Aurum opus decoris tui, & foramina tua, in die, qua conditus es præparata sunt*]. Huius lapidis (Luciferi scilicet) foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus, qua, si repleri voluisset,stantibus Angelis,tanquam positis in regis ornamēto lapidibus, potuisset inhærere.] Et paulò post.[Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium,charitatis auro non sunt repleta.] Deniquè testem proferunt Augustinum,vbi ait,naturam spiritalem,primò conditam esse informem, tum formatam per conuersionem ad Deum. Inquit enim dum inuestigat,quid cęli,& terrę nomine intelligatur. [An vtriusq; informitas his etiam posterioribus verbis significatur? Corporalis quidem eò quòd dictum est. Terra erat inuisibilis,& composita,spiritalis autem eò quòd dictum est. Tenebrę erant super abyssum, ut translato uerbo, tenebrosam abyssum intelligamus,naturam uitæ informem, quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus, & illuminari ut non sit tenebrosa.]

Argen. dis 5. a.1.
Mars 2.q 4.a. 1.
Cyril. Alex. l.6. in Ioan. c.6.
Greg. 32. Mor.c.18.
Ezech.28.
L.1. super Gen.ad l. c. 1.

CAP. XX.

Dæmones à Deo conditos esse cælesti gratia decoratos. Aduersæ rationes solutæ.



VLTIS partibus plures arbitrati sunt, Deum condidisse Angelicam naturam, quę & Dęmones includit, diuinæ gratiæ luce decoratam. Ita Alexandri Alensis sanctissimus, ac doctissimus discipulus Thomas Aquinates, quem secuti sunt quotquot eius scholam sectantur. Durandus pręterea, Maior, Gregorius Arim. & alij. Doctor subtilis anceps hac in re fuit. Gabriel Biel id censuit probabile. Ego hanc opinionē sine vlla exceptione amplector, tum quòd firmissimis innitatur sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum testimonij, tùm quòd Diuinæ munificentiæ, ac liberalitati videatur conformior. Sub figura Regis Tyri dicitur ab Ezechiele de Lucifero. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis preciosus operimentum tuum. Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec malitia inuenta est.* An hæc de nuda Dęmonis natura, commodè accipi possunt? Perseuerant adhuc in dæmonibus, omnium consensu Patrum, integra naturalia, nec dæmonum iniquitas aliquid sustulit de naturæ integritate; sunt, etiam post peccatū, spirituales substantiæ, mente, ac voluntate præditæ; immò retinent ob eam causam similitudinem cum Deo ipso, vt & homines, etsi Dei hostes, imaginem tamen Dei non amittunt. Necesse ergo est confiteri, aliquid amisisse dignitatis, ac perfectionis, aliquid diuini, quo simillimi erant Altissimo. Hoc autem gratia diuina est, quā sancti erant. Hinc & Beatus Iudas, ait, dæmonas non seruasse suum principatum, ob amissam supernaturalem gratiam. Diuus Ioannes, malum spiritum in veritate non stetisse, vt innueret, aliquando fuisse

S. Thom. q. 62. a. 3. Duran. q. 2. d. 4. q. 2. Maior Ibid. q. vnica. Greg Ibid. q. 1. a 3. Scot. 2. d. 5. q. 1. prope fine. Biel. 2 d. 5. q. 1. a 2. Ez. 28.

B. Iudas in sua Canon. Ioan. 8.

fuisse in veritate, hoc est in Dei gratia & amicitia.

Patres sancti, huic sententiæ ferè omnes subscripsêre D. Basilius ad ea verba. *Verbo Dei Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, ita scribit. [Angelos initio vt essent; Verbum opifex omnium condidit: sanctificationem verò simul impendit ipsis spiritus sanctus. Nō enim in infantili statura creati sunt, deinde paulatim exercitati, atq; perfecti, sic spiritus susceptione digni sunt habiti, sed in prima constitutione, atquè consperfione suæ substantiæ simul infusam habuere sanctitatem.] Loquitur quidem Basilius præcipuè de Sanctis Angelis, qui minimè se ad malitiam transmouerunt: at idem & de malis affirmare necesse est, qui simul cum bonis conditi, & ex nullo capite inferiores illis initio fuerūt. D. Hieronymus de dæmonibus. [Dæmones, inquit, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt, & veteri siccitate marcentes.] D. Augustinus indubitatā facit huic decreto fidē, dum ait [. Nullo modo secundū aliquod temporis spacium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus. Sed simul, vt facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantùm creati, vt quo quo modo essent, sed etiam illuminati, vt sapienter, beateq; viuerent. Ab hac illuminatione auersi quidam Angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis, beatæq; vitæ, quæ proculdubio non nisi æterna, æternitatisq; suæ est certa, atq; secura; sed & rationalem vitam licet insipientem sic habent, vt eam non possint amittere nec si velint. Quatenus autem antequam peccassent illius sapientiæ fuerint participes definire quis potest? [Idem ait, in lib. de Ciuit. Dei. Lux sapientiæ, est aliquod additum naturæ, scilicet gratia. Cyrillus de diabolo ait [. In veritate non stetit, quia prolapsus est à veritate, nec voluit manere in suæ originis sanctitate, & de iusto, & bono Angelo, diabolus factus est.] Veritas, atq; originis sanctitas, sunt diuinæ largitatis munera addita naturæ, non autem Angelis naturalia. D. Hieronymus, ait, dæmonem virginalem, & castam Dei dilectionem amisisse: at Dei casta dilectio non sine gratia Dei est, ea nimirum, quæ ad Deum ducit, & conducit ad beatitatem

Basil. in Psal. 32.

Hieron. in c. 3. Oseæ.

August. 11. de C.D.c.11.

De ciuit. Dei. l. 12. c. 9.

Cyril. l. 6. in Io: c. 6.

Hieron. in c. 24. Iob.

Damaſc. 2. Orth. fi. c. 3. Greg. 32. Mor. c. 28.

tem. D. Damaſcenus apertè dixit, Angelos omnes Spiritus Sancti ſanctificationem, & gratiam participaſſe. D. Gregorius vti iam dicemus idem de Lucifero ſenſit. Eadem fuit aliorum quamplurimorũ perſuaſio, eorum maximè, qui dixerũt, dæmones inuidiſſe homini, quod gratiam poſſideret, quam illi amiſerant.

S. Thomas 2. d. 4. q. 1. a 3

Quamuis non ſatis indicarint ſanctisſimi Patres, quæ ſint huiuſce opinionis argumenta, quòd, vt hac ipſa de re ait, Doctor Angelicus, efficaci argumento comprobari non poſsit: creaturarum enim principium, ex ſimplici Dei voluntate pendet. Sibi tamen, vt ego quidem reor, ob oculos ponebant tum Angelicæ naturæ dignitatem, tum creatoris infinitam munificentiam, ac liberalitatem. Natura Angelica, licet ea ſe ſe minimè digna ſit cæleſtis gloriæ dono, eſt tamen illius capax; Effecta enim eſt, ad cæleſtem beatitatem diuinæ gratiæ ope aſſequendam. Hæc ſupernæ gloriæ capacitas, etſi in ea natura imperfectionem non arguat, ſed dignitatem: concipere tamen mens non poteſt, quòd natura Angelica eternę felicitatis futura ſit particeps, niſi conceſſam eſſe diuinam gratiam intelligat, quæ ad gloriam ducit. Cum itaq; ẽt mali Angeli, initio ſuæ creationis, tales fuerint, qui ſtare poſſent & ipſi in veritate, ac conſequi perennem felicitatem, negari non debet, quin eis conceſſa ſint opportuna, & neceſsaria, quibus & perſeuerare in veritate poſsent, & re, ad metam, ſcopumue peruenire, ad quem conditi erãt. Quidquid in hac rerum vniuerſitate à Deo effectum eſt, in effectus ſibi proportionatos, ſua virtute, poteſt: igitur & natura Angelica, quæ cæteris rebus dignitate pręſtat, talis à Deo cõdita, quę, non equidem propria tantum vi (habet enim ſupernaturalem finem) ſed Dei gratiâ, cum natura, acceptâ, nõ naturâ, aſsequi eã fęlicitatem poterat, ad quam deſtinata fuerat. Sic D. Thomas arguit. [Manifeſtum eſt, inquit, quòd gratia gratum faciens, hoc modo comparatur ad Beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem. Vnde primo Ioannis tertio, gratia ſemen Dei nominatur. Sicut ergo ſecundum opinionem Auguſtini ponitur, quòd ſta-

1. p. q. 62. a. 3. corp.

tim

tim in prima creatione corporalis creaturæ,inditæ sunt ei seminales rationes omnium naturalium effectuum, ita statim à principio sunt Angeli creati in gratia.] Homo initio sui ortus,antequam peccaret, in maxima abundantia diuinæ gratiæ munus accepit,vt statuit Tridentina Synodus,cur id Angelis longè præstantioribus denegatum fuerit? Hęc verò omnibus Angelis concessa gratia,haud fuit tātùm gratis data,vt vult Marsilius supra,sed gratum faciens, quę vniuersam illā creaturam,decorabat,ac reddebat Deo acceptam in ordine ad sempiternum bonum. Tr sess 5 § 2.

Quamobrem, vt soluamus argumenta, quę videntur obesse nostro decreto,haud prudenter arguunt, qui spiritus nequam Diuinam gratiam minimè habuisse contendunt, quòd superuacaneum fuerit tantum illis donum conferri, quod statim amissuri erant. Egregiè.n.eo facto, emicuit diuina liberalitas,apertèq; manifesta est Dei bonitas,quæ quantū in se fuit,nec ijs quidem deesse voluit in necessarijs ad ęternam salutem, qui sponte ęternam damnationem consequi debebant. Alensi ita satisfit voluntas Angelica, dum erat in uia adeo inflexibilis non fuit, quin postquam uni obiecto adhęsit,illud non potuerit respuere. Nam uoluntas suam retinebat libertatem, nec ad certum opus, per unum actum, potuit adstringi. In cuius rei fidem, non obscuri Theologi testantur, primum dęmonum actum fuisse bonum, rectèq; in finem dispositum,ac nihilominus post eum deliquisse. His etiam ruit ratio Bonauenturæ asserentis, quòd si dęmones gratiam habuissent,nunquam lapsi essent. Solutio argumentorum.

Richardus, leui ratione suum dogma firmauit. Non enim quamlibet gratiam sequitur statim gloria,sed eam,quę usq; in finem perseuerat. Hanc uerò non habuēre dęmones, quòd eius peccando iacturam fecerint. Bonauent. 2. d.4.q.2.

Hugoni facillimè respondetur. Datam esse à Deo etiam malis Angelis initio gratiam, non ut alicuius pręcedentis meriti pręmium,nam meritum non est nisi ex gratia, sed tāquam diuinę liberalitatis munus, quo & mereri possent, & ęternam felicitatem consequi. Neque enim necessarium Soluitur vltima ratio.

fuit,

fuit præcessisse in dęmonibus præparationē quandam, & dispositionem ad gratiam, libertatis opere, cum non prius acceperint naturam, quam gratiam, vt ex recitata D. Thomæ coniectura palàm est, ac superiùs citata D. Basilij verba apertissimè comprobant.

Diuus verò Gregorius nunquam negauit, Luciferum fuisse diuinæ gratiæ participem, nam eodem in loco de Lucifero ita loquitur. [In medio ignitorum lapidum ambulauit, quia inter Angelorum corda igne charitatis succensa clarus gloriâ conditionis extitit.] Et ibidem. [Quid non habuit, qui signaculum Dei similitudinis fuit?] Cur ergo inquit, fuisse tantum charitatis capacem? Quia videlicet, vel foramen illud cui preciosissimum aurum insitum fuisset, si stetisset, vacuum mensit suâ culpâ, quòd non stetit: vel certè, quòd ea foramina, quæ in ceteris Angelis repleta sūt charitate, quę durauit vsq; in finem vię, in eo nuda fuere, quòd ad finem viæ, nisi iniquitate repletus, peruenerit. Cyrillus, etiam, vt dictū est, nobis fauet: deprauata enim est natiua malorum spirituum bonitas, & subtracta sunt, vt eodem loco ait, diuinæ largitatis munera. Augustinus demum, præterquamquòd in eo libro multa inquirendo potius, quàm statuendo affirmat, antequam ea verba proferret, dixerat [An cælum intelligendum est, creatura spiritualis ab exordio, quo facta est, perfecta illa, & beata semper?]

32 Mor. c. 18

Cum hac sententia stāt etiam posteriora verba, quę innuunt tantum, naturam præexigi gratiæ, quippe quæ illius susceptrix est, naturâ tamen, non tempore; retulit enim Augustinus distinctionem illam operum, quæ sacra historia in Genesi commemorat, non ad temporis successionem, sed ad naturæ ordinem.

CAP.

CAP. XXI.

An Dæmones aliquando cælestem gloriam gestarint, clarè Deum intuentes. Argumenta, quæ affirmantem opinionem tuentur.

EST verò adeo exploratum, diuina liberalitate, dæmones, antequàm laberentur, cælesti gratia ditatos, vt non infimi Patres insinuarint, nonmodò gratiam, quę beatitatis semen est, sed beatitatem ipsam, participasse, ac gustasse inter sanctos Angelos. Quod accipiendumne sit de ea felicitate, quâ nunc puri spiritus perfruuntur, reuelata facie, Deum intuentes: an verò de præstanti eius naturę statu, & dignitate: seu de ipso gratię dono, de quo diximus, quæ inchoata quędam beatitudo est, hoc loco explicandum.

Dæmones haud fuisse conditos plenè, ac perefectè beatos, euentus demonstrauit: quęcunq; enim fuerit, suo in exordio eorum conditio in summas miserias, extremasq; calamitates, sceleris pœnam persoluentes, inciderunt. Absoluta autem, & vndiq; completa beatitudo, vt est status bonorum omnium aggregatione perfectus, sic nescit iacturę discrimina, sed perennitate, ac infallibili certitudine, eius nunquàm amittendę fulcitur. Est igitur quęstionis sensus, an in transitu, & veluti raptu exiguâ illâ temporis morâ, quę præcessit crimen, diuinam faciem apertè, ac sine velamine fuerint contemplati. Scriptura adeo commendat Angeli apostatę egregiam conditionem, antequam se ipsum turpi scelere macularet, vt eum, in principio conditionis suę, cęlesti beatitate, & gloriosa Dei visione delibutum significare videantur. Esaias obtestatur, cecidisse de cęlo Luciferum, qui mane oriebatur. Ezechiel de eodem Lucifero scribit, fuisse in delicijs paradisi, atq; in monte Sancto Dei. Christus, *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Cęlum, seu mons sanctus

Es. 14. Ezec. 28. Luc. 10.

ſanctus, in quo Lucifer conſtitutus, Empyreum eſt, Dei beatis ſedes: ortus Luciferi, inſtar lucentiſſimi ſolis, eximium ſplendorem, & claram lucem, Dei viſionis opus, præmonſtrant: Paradiſi affluentes deliciæ, quid aliud ſunt quam ſupernæ felicitatis, ac beatificæ gloriæ immenſa bona, quorum iactura ſignificatur, cum Luciferi è cælo ruina deſcribitur? Ita aliqui Patres videntur hæc oracula accepiſſe. Beatus
Ignat. Epiſt. ad Philip. Ignatius de Chriſti tentatore. [Tu ergo, ait, qui tanquàm fulgur de ſublimi gloria decidiſti, audes dicere Domino, Mitte
Matth. 4. te deorſum.] Quam Ignatius ſublimem Tentatoris gloriam,
Cyril. in c. 1. Geneſ. ad eius primordia intentus, memorauit, Cyrillus ſummam gloriam appellat, hoc eſt, vt eius verba indicant, cæleſtem, & ſupernaturalem, non enim diſſimilis, licet amiſſibilis, ab ea perhibetur, quam nunc Cherubin firmatam obtinent. [Erat, inquit Alexandrinus, etiam inter eos, & Draco ille præuaricator, & quæ cum eo erant prauiſſimæ poteſtates, & communes cum cæteris ſanctis, rationabilibusq́; creaturis ſedes obtinebant, ſplendentes gloria ſumma, longeq́; meliorem, incomparabilemq́; ſtatum, quàm homines adepti ſunt. Et qui-
Ezech. 38. dem dictum à Deo eſt; Cum Cherubin te collocaui: ſed ſancta Cherubin firmatam gloriam habent, ſuumq́; ſtatum firmiſſimè ſeruant, & millia millium Deo miniſtrant, atq; decies centena millia ei adſiſtunt. At Satan cum alijs delapſus eſt, & priſtina dignitate priuatus.] Apertiſſima etiam eſt, in
Orig. in c. 14. Iſa. hanc rem, Origenis ſententia, occaſione eorum verborum, quæ ex D. Luca retulimus. *Videbam Satanam* &c. [Nunc ait, fulguri comparat, & dicit, eum cęcidiſſe de cælo, vt oſtenderet per hoc, fuiſſe & eum aliquando in cęlo, & habuiſſe locum inter ſanctos, & participaſſe de hac luce de qua omnes ſancti participant, ex qua Angeli lucis efficiuntur, & Apoſto-
Hier. c. 24. in Iob. li mundi dicuntur à Domino.] D. Hieronymus, ait, malos ſpiritus fuiſſe in æterna felicitate beatos, ac in contumacię pœnam de beata, atq; glorioſa ſede deiectos. Magnus etiam Gregorius idem ſignificat cum ait, tales à Deo conditos Angelos, vt ſi vellent in beatitudinis luce perſiſterent, ſi autem vellent, etiam labi potuiſſent.


D. Au-

D. Augustinus de Lucifero scripsit, fęlicem vitam, Dei fruitione, initio duxisse. [Ille autem Angelus, inquit, magis se ipsum, quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiã, & à summa essentia defecit, & lapsus est, & ob hoc minus est, quàm fuit, quia eo quod minus erat frui noluit, cum magis voluit sua potestate frui, quàm Dei, quanquàm non summè tamen amplius erat, quando eo, quod summè est fruebatur, quoniam Deus solus summè est.] Clarius alibi. [Dęmoni, ait, pecora pręponuntur, non in potestate, sed in conuersatione naturę suę, quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam cęlestem, sed in sua natura, quam acceperunt, peragunt vitam.] Si ergo dęmones deteriores pecoribus, quod cęlestem beatitudinem amiserint, necesse est, illam aliquando habuisse. Sępissimè etiam apud Augustinũ reperies, omnes Angelos ab initio fuisse cęlestis eiusdam lucis splendore nitidos, ac beatitatẽ quandã habuisse, quanquàm minimè perfectam, & absolutam, quòd illi ęternitas, & certitudo deficeret. Docet insuper idem Augustinus, Angelicos spiritus, cum à Deo processerunt, primũ in Verbo conspexisse omnia, quę à Deo condita sunt, matutina cognitione, deinde, obscuriori quodam intuitu, eadem in proprijs naturis, vbi facta sunt, cognouisse. Prior autem cognitio, quę Matutina dicitur (sicut posterior Vespertina) Beatifica est, & gloriosa, quod in Verbũ ferretur. Congruens id etiã videtur naturæ Angelicæ dignitati, quæ vt humanã pręstantior est, sic immeritò ei denegatum esset in statu viæ munus illud, quod nõnullis mortalibus adhuc in hac vita degẽtibus est concessũ. Sentiũt docti viri, Basilius, Ambros., D. Thom., Durandus, Soto, & alij Scholastici, Mosem, & Paulum Apostolum, adhuc mortalitate indutos, gaudia paradisi, & beatitatis bona gustasse: ergo non absimile vero est, & Angelos, tempore peregrinationis suæ, quæ vitæ hominum comparatur, potitos ea felicitate, quæ in aperta Creatoris contemplatione posita est, quò vehementius, ni omnino ingrati forent, in factorem suum incenso amore exardescerent.

D. August. de vera rel c. 13.
Greg. in Ezechiel.
L. 2. de Gen. con. Mani. c. 17.
Aug. 11. de C. D. c. 11. de correp. & grat. c. 10. &c.
Basil Hom. 1. in Hexam. Ambros l. 1. in Hexam. c. 2.
D. Thom. 1. p. q. 12. a. 9. ad 2. & 2. 2. q. 175. a. 3.
Dur. 4. d. 49. q. 6.
Soto Ibid. q. 2. a. 4.

CAP. XXII.

Satanicos Spiritus, nec per transennam, Dei visione potitos. Excitatis difficultatibus occurritur.



ERGO nunquàm addùcar vt credam, apostatas Angelos, qui, vix nati, creatoris beneficio, creatorem dereliquerunt, in cæleste illud iubar clarè fixisse oculos: cælesti mensæ, in qua Deus ipse dulcissimus cibus est, assedisse, vel momento temporis. Potuit Deus, antequàm Angeli, aut usq; in finem uiæ probè agendo æternam vitam, aut peccando damnationem promererentur, ita se illis contemplandum exhibere, vt eius intuitu beati essent. Verùm id eius Prouidentiæ minimè placuisse inde conuincitur, quòd, cùm infallibili decreto statuerit beatitatem conferre tanquàm strenui certaminis coronam, ac meritorum mercedem, eam dæmones haud assecuti erunt, quorũ non modò non præcesserant merita, digna quibus statim tantũ bonũ daretur, sed maxima debebãt conseqpi crimina, digna summo malo. Atq; cum mali Angeli, creatorem despexerint, eò certiùs mihi persuadeo, eos nunquàm gloriosa creatoris visione fuisse beatos. Satiat omnino diuina bonitas contemplantis cupiditatem, & affectum, nec superest, quid optet; qui tanti boni possessione fruitur; estq; eius naturę beatifica Dei contemplatio, vt qui eâ potitur, recedere à Deo non possit, quàuis in eum offensâ: quod adeo verum est, vt Angelicus Doctor coniiciat, Adamum ante peccatum, nunquàm diuinam essentiam vidisse, quòd aliter non peccasset. Sanè, si quibus, in hac vita, scintillà cælestis illius gloriæ communicata est, toto vitæ curriculò, tanta charitate adhęserunt Deo, vt nihil illis antiquius esset, quàm effundere, Dei causâ, sanguinem, eius mandata seruare, peccata, veluti præsentissimum venenum, euitare, atq; summâ constantiâ in amore Dei perseuerare: ita vt, nemo

Hæc ratio probat neq; bonos Angelos conditos esse beatos.

S. Thom. p. p. q. 94. a. 1. c.

mortalium dicatur, in via, dilucidè diuinam faciem contemplatus, qui in Patria non sit, hoc tempore, perfectè beatus. Gesta Mosis id probant. Beatus Paulus id confirmat, cui semper ob oculos versabatur diuinum illud lumen, quod fuerat contemplatus, cuius gratia, cupiebat dissolui, & esse cum Christo. Neq; verò par est, à Mose, & Paulo ad dæmones arguere (quanquàm non desint [a] Patres, & scholastici, qui neutrum clarè vidisse Deum affirment, qua de re non opus est in præsentia sententiam ferre) Nam etsi Moysi, & Paulo concessum videre in hac vita Deum, id factum, quòd cum totius religionis doctores, & magistri futuri essent, significare mortalibus debebant diuina mysteria, docereque gentes, quanta bona præparauerit Deus gloriosè certantibus in hac vita. Scriptura præterea, & probati Patres, aliquod huiusce priuilegij Mosis, & Pauli dant argumentum. De prauis spiritibus, nec suspicari quidem possumus rationabilem causam, cur Deus diuino nectare eos cibaret, qui illud, ventoso stomachi fastidio, vix gustatum, euomuissent; atq; cur communem illam legem dissolueret, quâ decretum, nonnisi peracto vitę mortalis, seu peregrinationis itinere, præmium gloriæ concedere. Neq; in diuinis libris, aut Patribus occurret aperta sententia, è qua eliciamus, dæmonum causa dissolutam legem. Aiunt spiritus sancti volumina dęmonem incoluisse cælum, quòd in cælo empyreo conditus sit: verum non aiunt desertorem illum potitum Deo sicuti est. Commendant præstantem eius Angeli conditionem, qui primus defecit, antequam delinqueret; Luciferi eximiam lucem prædicant: at qualis hæc conditio, quale lumen? Conditio nimirum, insignis quidem, quod in suæ naturæ puritate persisteret, quod adhuc peccati sorde non esset inquinatus. Lumen, non gloriæ, sed naturæ, aut cælestis gratiæ, quæ creaturam mente præditam ad æternum lumen suscipiendum, disponit. In hoc sensu intelligendi etiam Patres: contaminata enim naturæ puritas, obtenebratum nonnihil mentis lumen, caligo peccati, & iactura gratiæ, fuère præcipitium rebellium Angelorum, è felici, ac beato quo-

Occurritur difficultatib.

a Dvon c.4. Cal Hier. Chrys hom. 14 in c.p. Io. Cyril Alex. l.1. in Io; c. 22. Iren 4. aduers hæres. valent c. 37. Hier l 3 contra Palag & alij patres. Caie in c Exod 33 & Num. 12. Cathet in 2. Ep. ad Cor. c.12. & alij.

dam ſtatu, ſumma illa gloria, & ſublimi dignitate de qua Ignatius, & Cyrillus. Origenes ſibi ipſi interpres eſt, dum inquit, eam lucem Angelis, qui è cælo ceciderunt, collatam eſſe, quá apoſtoli mundi dicuntur à Domino: mundi autem sũt ſantificante gratia. Gregorius cum inquit, potuiſse Angelos ſi vellent beatitudinis lucem in qua conditi erant, amittere, Beatitudinis voce, vel naturalẽ excellentiam, vel diuinę gratiæ donum indicauit, quo immaculati, mundiq; erant in conſpectu Dei ſubuinxit enim, *ſi autem vellent labi potuiſſent*: labi autem non poteſt, qui Deum clarè intuetur.

Aug. ep. ad Paul. quę eſt. 112. Auguſtinus verò, tantum abeſt, vt voluerit, aliquando dæmones vidiſse Deum, vt valdè miretur ſtoliditatem, & inſaniam illorum, qui id affirmabant, ac in eos acerrimè pugnet. [Ab hac viſione (inquit) diabolus, & omnes Angeli eius & omnes cum eis impij ſine vlla nebula dubitationis excluſi ſunt, quoniam mundo corde non ſunt: ac per hoc quod ſcriptum eſt in libro Iob, veniſſe Angelos in conſpectum Dei, & Iob. 1. & 2. veniſse cum eis diabolum, non ideo diabolus Deum vidiſse credendus eſt. Ipſi enim dicti ſunt veniſse in conſpectum Dei, non Deum in conſpectum eorum. Veniunt autem in conſpectum noſtrum, quæ videmus, non à quibus videmur. Venerunt ergo ſicut in multis codicibus legitur, vt aſsiſterẽt L. 11. c. 11. coram Deo, non vt coram ipſis Deus.] De Ciuitate Dei, ait, eos ſpiritus, qui in veritate non ſteterunt, non obtinuſse ex- c. 13. initio cellentiam ſapientis, beatæq; vitæ. Alibi, Angelos peccatores, nec antequam caderent habuiſse beatitudinem, quá in- L. 11. c. 23. commutabile bonum, quod Deus eſt, poſsidetur. De Geneſi ad litteram de diabolo, ſic ait. [Factus continuo ſe à luce veritatis auertit ſuperbiâ tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus; vnde beatæ, atq; Angelicę vitę dulcedinem non guſtauit, quam non vtiq; acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit.] Quid, cum omnibus Angelis, Matutina cognitio quid apud Auguſt. initio creationis ſuæ, Matutinam cognitionem conceſsit, quâ res in verbo cognoſcũtur? Multum difficultatis ſemper apud me habuit hic locus: nã ea omninò videtur fuiſse ex Auguſtino, Matutina cognitio, quâ Angeli, initio ſui ortus, intuiti

ſunt

sunt diuinum Verbum, & in eo quidquid singulis diebus creationis rerum peractum est: appellata enim est hæc cognitio Matutina, quòd in lucidissimo diuinæ essentiæ speculo, euidentissimè, & apertissimè cognouerint creaturas; sicut cognitio rerum in propria natura, quâ sunt, vespertina, dicta est, quòd obscurior, & inferior. Manifestè id constabit legenti quartum Augustini librum de Genesi ad litterã. Cum itaq; ante crimen, vt idem Augustinus fatetur, omnes Angeli fuerint æqualis conditionis (quãquam enim alius alio præstantior esset, & dignitate naturæ, & diuinis muneribus: æquè tamen omnes immunes miseriâ fuerunt, & habuerunt quidquid naturalis perfectionis, eorum naturę conueniebat, ac omnes pro naturæ diuersitate æqualiter à Deo acceperunt ea gratiæ dona, quæ opportuna erant, ad consequendã beatitatem, nisi ijs abusi essent) deduci hinc nõ immeritò potest, dæmones, eâ morulâ, quâ boni Angeli fuerunt, clarè, & sine ænigmate Dei Verbum intuitos, ac consequenter beatos fuisse. Cap. 31. & 32. Ang. 11. de C.D.c. 13.

Hæc cum satis aperta sint, nisi dicamus Augustinum ancipitem fuisse, atq; modò in hanc, modò in illam partem inclinasse, nihil mihi verisimilius occurrit Scoti responsione. Ex quo rebelles Angeli, secundùm Augustinum, antequàm peccarent, sapientis, beatæq; vitæ bonum non sunt assecuti: cognitionem illa matutinam, quæ vniuersis Angelis dicitur fuisse communis, haud esse beatificam; sed notitiam quandam, quâ, per speciem, & similitudinem diuinę essentiæ, menti Angelicæ inditam, Deum ipsum, & in eo, quæ sex diebus facta sunt, agnoscebãt; haud equidem intuitiuè: nam eorum intuitus non ferrebatur in diuinam naturam, vt in se est, ac per modum obiecti præsentem; verùm abstractiuè, quòd ea species, Deum, atque res in eo exhiberet menti Angelicę, ad eam rationem, quâ etiam in nobis, quædam rerum similitudines repræsentant obiecta, etsi ea aut defecerint, aut in propria existentia non adsint cognoscenti. Hæc cognitio, haud gloriæ est; quanquàm supernaturalis quodammodò dici possit: non enim naturæ viribus, adeo euidentem de Deo, Scot. 2. d. 5. q. 2.

ac

ac rebus in eo existentibus, cognitionem comparare potuissent, qualem ea species gignit. Ob id Matutina dicta, ad comparationem eius, quâ naturali facultate, res vbi factæ sunt, in se ipsis intuebantur, quæ cum sit matutina, vt ita dicam, decoloratior, vespertina dicta est.

CAP. XXIIII.

Quanto tempore Dæmones in Dei gratia perseuerarint. An vsq; ad sextum diem creationis rerum; An vsq; ad quartum; Quòd primo die defecerint, atq; nec vnius hora spacio steterint.

ITAQVE vniuersa Angelorum societas, quæ à creatore suo defecit, illa acceperat dona, quibus æternam felicitatem poterat adipisci: licet ea non fuerit assecuta perenne bonum, quoniam præscripto sibi ad illud promerendum spacio, suâ culpâ, quam nunquàm salutari pœnitentia, detestata est, in sempiternam incidit damnationem, abiecitq; sponte diuinę liberalitatis munera. Quòd si quis efflagitet, an ea longo tẽporis interuallo dęmones ritinuerint; Aliquo, aiunt doctores, quanquàm breui. Cum enim Luciferi, & sociorum crimẽ, superbię fuerit, quę ortum duxit ex cognitione dignitatis propriæ naturæ, atq; Angeli vt celerrimi sunt ad cogitandũ, sic ad perficiendum velocissimi, non est verisimile, per longam temporis moram in gratia, ac Dei amore perseuerasse. Creatorem cognouerunt, atquè etiam amarunt casta charitate: vbi tamen aliquantulum in sui contemplatione persliterunt, ac proprium decorem intuiti sunt, à Dei amore recesserunt, ac ita intumuerunt, vt voluerint instar Dei ipsius coli, ac diligi. Hinc malus Angelus dicitur, ab initio mendax, & homicida, ac Isidorus de illo [Mox, inquit, vt factus est, in superbiam erupit, & statim vt factus est cecidit.] Idem

Ioan. 8. Isid. de sum. bono. c. 12. sent. 7.

Idem Beda. Non fuit tamen adeo exiguum interuallum, quod à conditione dæmonum, ad eorum flagitium fluxit, quin excesserit imperceptibilem eam moram, ac breue momentum, quod instans appellamus. Fuit Satan, in cælo, in delicijs. Paradisi deambulauit perfectus in vijs suis inter ardentes diuino amore Seraphin, donec inuenta est iniquitas; igitur ante iniquitatem per aliquod temporis spacium Deo charus, & gratus. Amisit principatum, non stetit in veritate: igitur certo tempore principatum obtinuit, ac stetit in veritate. Cuncti Patres subscribunt, cum assignant aliquod interuallum à creatione dæmonum ad lapsum. Petat eorum suffragia lector, vbi probatum, conditos fuisse in gratia. Addo hîc Origenem testantem, antiquum serpentem non statim supra pectus, ac ventrem suum ambulasse, idest, haud illicò peccasse, & è cælo in terram præcipitatum. Scholastici morã illam, quæ præcessit peccatũ dæmonũ, mensurant instanti: at tẽporis discreti, quod est duratio quædam permanens Angelicæ operationis, quæ licet, vt aliqui volunt, per instans tantum nostri temporis durare possit, ideoq; nonnũquàm instans temporis discreti, instanti tẽporis successiui respondeat: tamẽ permanere, per tantum spaciũ cõmuniter, solet, quod certo nostri temporis interuallo respondeat, Vt ita præsentiarum euenisse Scriptura, & Patres indicant. Atque ita accipio Angelici doctoris sententiam, cum ait, quosdam Angelos statim post primum instans, peccando impedimentum Beatitudini posuisse.

Beda lib. quæst. q. 9.

Isa 14. Ezech. 28.

Ioan. 8.

Orig. Homil. 1. in Ezech.

P. p. quæst. 63. a. 6.

Quanto autem, distinctè, nostri temporis spacio, potestates tenebrarum lux fuerint: nihil certi tradunt authores. Certum tamen est, excidisse omninò à gratia ante protoparentis nostri culpam. Nàm antequam Adam, & Eua peccarent, Dæmon erat, qui, callidâ suggestione, ac inuidà incitatione, eos ad peccatum allexit. Immò antequam alliceret, iam ipse peccarat, & à Michaele, è cælesti solio deturbatus in terram fuerat, vt tituli Serpentis, & callidi, quos illi diuina scriptura dedit, dum parentes nostros inuasit, sat indicant. Legendi Cyprianus de ieiunio, & tentationibus

Christi

Christi, & Chrysostomus hom. 22. in Gen. Aldhelmus, siue Adelmus scriptor antiquus, & nobilis, de laudibus virginitatis, id tanquam indubitatum decreuit. [Sine ancipiti ambiguitatis scrupulo, ait, veraciter credum est, quòd prius Lucifer parasitorum sodalibus inflatis vallatus, & apostatarum satellitibus glomeratus, in profundum superbiæ barathrum, & tetrum elationis tumidæ tartarum cassabundus corruisset, quàm protoplastus recentis paradisi colonus, & totius terrestris creaturæ, quam teres vertigo cæli in modum rotantis fundibuli circumgirat, rudis possessor, lucis ambonibus, & labris lurconibus, vetitam degustans alimoniam, in gastrimargiæ voraginem crudeliter cecidisset.]

Aldhel. de laudibus Virg. c. 5.

Hæc eorum opinionem euertunt, qui sensêre peccatum Luciferi incepisse cum primos parentes aggressus, eos ad diuini mandati contemptum incitauit, de qua infra.

Sententes dæmonē peccasse homine condito.

Volunt tamen aliqui, paulò ante peccatum Adæ, eo nimirum iam condito, lapsam esse malorum spirituum cohortem: id sibi videntur elicere ex Scriptura, quæ habet, quòd sexto die, quâ homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Cùm enim inter ea quæ facta fuerant, Angeli numerentur, vnà cum mundo corporeo conditi, si diuinæ menti visi sunt valdè boni, adhuc nullus eorum amiserat principatum. Referri pro hac sententia possent Patres, qui aiunt, Luciferum, inuidiâ in humani generis dignitatem, lapsum, nisi in promptu esset responsum, sat fuisse ad illud Luciferi crimen, vt intelligeret hominem condendum, etiam si non esset conditus, vt de eius peccato agentes exponemus.

Genes. 1.

Pantaleon Diaconus existimauit, quarto die creationis mundi, Luciferum è cęlis lapsum: ait siquidem Angelos Dei, laudes ei detulisse, cum factę sunt stellę cęli, hoc est quarto die; quòd tunc temporis Michael è paradiso rebelles pręcipitasset. [Diabolum, inquit, est probabile, quarto die cecidisse, quādo Deus fecit luminaria, sicut scriptum est in Iob. Quando facta sunt astra matutina laudauerunt me magna voce omnes Angeli mei, & hymnis celebrauerunt. Semper enim

Pant. Diac. de Miraculis Michaelis Archan. apud Surium in die S. Michaelis. Iob 38. iuxta Septuaginta versionem.

etiam non tacitè Angelis Dominum glorificantibus, tunc cum maiori voce eum laudibus celebrarunt, vt significauit Scriptura, propter iustum scilicet casum maligni illius, qui defecerat.]

Neutram sententiam admittunt argumenta, quibus diximus superiori capite, breui dæmones in veritate stetisse. Isidorus apertè, veramq; impugnat, cum ait, dæmonem peccasse, homine adhuc non condito. [Prius, inquit, de cælo cecidisse diabolus creditur, quàm homo conderetur, nam mox, vt factus est, in superbiã erupit, & statim, vt factus est cecidit.] Isid. de Sum. bon c. 2 sententia 7. Beda Isidorum imitatus. [Prius ait, de cælo cecidit diabolus, quàm homo conderetur. Nam mox vt factus est in superbiam erupit, & præcipitatus de cælo est. Nam iuxta veritatis testimonium, *ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit*: quia statim vt factus est cecidit, fuit quidem in veritate conditus, sed non stando, confestim lapsus est à veritate.] Beda l. qu. q. 9.1.8. Ioan. 8. Eo ergo die, Angeli quidam peccãdo facti tenebræ, quo à luce, hoc est, bonis diuisi. Nobiles authores separationẽ bonorũ spirituum à malis insinuatam putant, cum *Diuisit Deus inter lucem, & tenebras*. Gen. 1. Quod non displicet, modo vsitatam, ac germanam verborum, *lucis, tenebrarum, diei, noctis*, significationem non excludamus, sed eum sensum tanquam allegorium amplectamur. 11. de C. D. c. 19. [Augustinus eam expositionẽ secutus. [Nõ mihi videtur, ait, ab operibus Dei absurda sententia, si cum lux illa facta est Angeli creati intelligantur, & inter sanctos Angelos, & immundos fuisse discretũ, vbi dictum est, & vocauit Deus lucem diem, & tenebras noctem.] Eucher. l. 1. in Gen. Beda Q. in Gen. Euchenius, & Beda, Augustino subscribunt. Ruper. tenebras, ait Deus, luceq; diuisit, quia bonos Angelos à malis separauit. Ruper. Abb. l. 1. in Genes. c. 13.

Primus hic fuit conditi orbis dies, vt sacra historia tradit, Dominicus scilicet, quo illi ipsi creati, ac multa in hominum vtilitatem diuina bonitas operata est: ideoq; dæmonibus odiosus, de quo hæc Catharinus. [Expulsio malorum Angelorum è cælo, inquit, fuit illa prima die, quã creatus est mundus, quã tria digna admiratione simul facta sunt. Primùm beatificati sunt boni, & obedientes Angeli. Mali Cathar. in c. 3. Genes.

autem & contumaces eiecti è summo cælo:] Et initium factum est humanæ creaturæ, omnium videlicet orbium, præter Firmamentum. Hunc igitur diē, qui Dominicus dicitur: maximè oderunt illi maligni spiritus. Addo hanc diem, iuxta hebdomadæ obseruantiam, esse in qua nata est, vera Lux vero mundo, sicut corporea istius mundi lux ab initio, ita spiritualis ipse Christus lux hominum. Dies enim Dominicus fuit eius Natale, quando prodijt in hunc mundum, & illuxit Sanctissimę Matri Mariæ, & hoc die surrexit, & apparuit itidem illi, & sanctis mulieribus, & discipulis, & hac die misit spiritum suum in discipulos, linguis igneis. Hac igitur die optima ratione ceciderunt tenebræ de cælo, Angeli contumaces, & blasphemi cum principe Lucifero, & facta est ibi pax.] Quot verò huiusce diei horis steterint. Quanquam incertum; quòd tamen breui: probabilis est opinio Honorij Augustodunensis, nec ad horam, in veritate stetisse. [Sathael, inquit, primus Archangelus signaculum similitudinis Dei creditus, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs cælestis Paradisi non plenam horam mansit, atq; ob superbiam cum vniuersis sibi consentaneis æternum exilium incidit]. Idem Remigius Antisiodorensis, qui ait, apostatas Angelos in cælesti Hierusalem ad horam fuisse. Non ergo ad horam peruenit mora dæmonum in gratia, si tantum per horam in cælo fuêre: nam, eâ horâ, peccarunt, ac certo tempore, ante expulsionem è paradiso, peccatum durauit.

Honor. l. Augusto. 4. Opus libel. de 6. ætat. mun. Rem. Ant. ad psal. 77.


Sed cur, sexto die, nihil non summè bonum, Deus vidit si ante sextum diem, dæmones lapsi erant, factiq; mali? An quod vidisse dicatur corporea tantum, quibus hæc vniuersitas conflatur, quorum mentionem reliquis diebus sacra historia facit? At non ne & dæmones, sicut & Angeli, licet incorporei, ad decorem perfectionemq; huius vniuersi pertinent, ac vnà cum corporeis effecti? Non ne inter ea, quæ Deus vidit, & spiraculum illud vitæ comprehenditur, quod in faciem hominis inspirauit Deus, animus scilicet rationalis, incorporeus, immaterialis? Non ne demum Sancti Patres, cæli nomen, quod primo die conditum est, complecti

Angelos affirmant? Vidit ergo Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, dęmones etiam, quoad id, quod ipse fecerat, valdè bonos: eorum enim natura bona est, immò præstantior alijs rebus, quas fecerat. Cæterùm, licet viderit valdè bonum, quod Deus ipse fecerat, non vidit tamen valde bonum, quod Dæmones ipsi fecerant, maculas scilicet, & peccata, quibus naturam inquinarant.

Pantaleonis Diaconi coniectura eiiditur, si dicamus, Angelos, qui iam firmati in gratia erant, non detulisse laudes creatori, quando facta sunt sydera, quòd eo tempore dęmones pulsi sint è paradiso: verùm, quòd summopere admirarentur, quantum decoris & ornamenti rebus iam conditis accessisset, splendidissimis luminaribus factis, atquè exornato stellis Firmamento.

CAP. XXVI.

Dæmones eo tempore, quo steterunt in gratia, dilexisse Deum, actu meritorio.



EXIGVO hoc temporis interuallo, quod dæmonum peccatum præcessit, haud desides fuerunt, & segnes. Mens, & voluntas in creatura Angelica nesciunt otiari: Ea in contemplatione diuinæ naturæ, infra beatificam, morabatur: hæc, nondum cælestis solij superba cupiditate, perturbata Deum amore prosecuta est. Plenus erat Lucifer scientia, quod inter alia Deum iuxta conditionem eius status perfectè cognosceret. Deambulauit in medio lapidum ignitorũ, quod Deum inter Seraphin dilexerit. Hęc Dei dilectio, aliquorum sententia, haud fuit meritoria æternę beatitatis. Ita Capreolus, & Soto, nixi D. Thomę authoritati, vbi innuit primam operationem Angelorum, fuisse naturalem quandam, & necessariam propensionem in bonum, seu actum dilectionis naturalis, qui a supposito grato veniebat, quo haud męruerunt,

Ezech. 28. S.T. de malo q. 16. a. 4. ad 14. 15 & 22. & p. p. q. 63. a. 6. ad 3. Capreol 2. d. 4 q. 1. ad 1. Soto 1. de nat. et gr. c. 5.

fuerunt, quòd requisita libertate careret. Videtur tamē illud dilectionis opus fuisse, ęternā vitā, dignū. Quid .n. illi ad hoc deficiebat? An gratia supernaturalis? at omnes Angeli in gratiā conditi. An libertas, quam primus Angelorum actus habere nequiuit, quòd necessariò ferretur in bonum, vt potē qui, ab auctore naturæ, D. Th. sententiā, semper proficiscitur? At, eiusdem D. Thomę sententiā, libertate non caruit, vt Ferrariensis notauit: fuit enim liber quantum ad exercitium actus, & quantum ad specificationem, ad hanc, vel illam obiecti conditionem: licet fuisset naturalis, quantum ad determinationem ad bonum. Deinde; quid necessariò ad bonū trahit primum actum? Prima Angeli operatio, non secus tamen ac sequens, à Deo est concurrente, vt auctore naturæ: atquè non magis, eá de causa, voluntas necessariò fertur in bonum priori actu, quàm cæteris, est enim non minus libera cum incipit operari, atq; cum pergit. Quidquid igitur libertatis habuerunt mali Angeli cùm peccarunt, habuerunt similiter, cum ante peccatum Deum dilexerunt. Imò tantum libertatis fuisse videtur in eo amoris actu, quo primò Angeli Deum dilexerunt, quantum in eo fuit, quo Boni Angeli in amore perseuerarunt, cum mali ab amore defecerunt. Quare nihil illi defuit ad meritum.

Ferr. 3. C. G. c. 10 sup. §. ad 2.

Cur inquis dilatum est præmium, imò negatum, si in malis angelis, antequam peccarent, aliquando fuit verum meritum? Quòd hominibus est mors, id dæmonibus est peccatum; Ergo si ęquitas seruanda est: vt in dęmonibus, post peccatum sequitur mors, idest damnatio, ita sequi post meritum vita debuit, æterna videlicet beatitudo.

Quare si dæmones in primo instanti meruerunt, non sint assecuti beatę vitæ præmium.

Argumentum facilè soluitur. Peccatum dæmonibus est instar hominum mortis, ita est: at illud peccatum, quod durat vsq; ad præfinitum dæmonibus viæ tempus, quod spacium vitæ hominum comparatur. Corona etiam pręmij consequi debet meritum, ita est: at illud meritum, quòd vsq; in finem præscripti peregrinationi, temporis, perseuerat. Quanquàm ergo Angeli desertores, illo primo actu, meruerint, quod tamen in merito non steterint vsq; ad illud

tempus

tempus, quod eorum viç Deus destinarat, sed in malum deflexerint, meritum peccato extinguentes, ac in eo obstinatè persistentes vsq; ad terminum viç, qui mors dicitur, nõ sunt consecuti prçmium, sed sequentis peccati supplicium.

CAP. XXV.

De crimine Luciferi. Breuiter notatum, vario peccandi genere, potuisse delinquere.



HÆC dæmonum in natiua bonitate, & Spiritus sancti pinguedine, mora, primum vocatur instans, quo eorum negotium peractum est. Sequitur secundum, quo à Deo recesserũt, Deusquè ab ipsis, sublatis suç gratiæ muneribus, criminis causâ. De hoc itaq; crimine, & eius qualitate agendũ, atq; ab eo ducendũ est principium, quòd primum fuit, ac potissimum cõsetur, vt potè eius, qui dux fuit rebellis exercitus, atq; origo infamis defectionis. Id vnius tantum generis, nem pè superbiæ, esse potuisse, Angelicus Doctor tradit, quamuis inuidia potuerit consequi. [Peccatum, inquit, primum Angeli non potest esse aliud, quàm superbia. Sed consequẽter potuit in eis esse etiam inuidia. Eiusdem enim rationis, est quod affectus tendat in aliquid appetendum, & quod renitatur in opposito. Inuidus autem ex hoc de bono alterius dolet, in quantum bonum alterius æstimat sui boni impedimentum. Non autem bonum alterius poterat æstimari impedimentum boni affectati per Angelum malum, nisi in quantum affectauit excellentiam singularem, quæ quidem singularitas per alterius excellentiam cessat. Et ideo post peccatum superbiæ, consecutum est in Angelo peccante, malum inuidiæ, secundum quòd de bono hominis doluit, & etiam de excellentiâ diuinâ: secundum quod eo Deus contra voluntatem ipsius diaboli vtitur in gloriam diuinam.] Hæc D. Thomas. S. Th. 1. p. q. 63. a. 2.

Ego nõ inficior, facilius esse, Angelũ, qui naturâ suâ, ægrè moueretur ad malũ, priùs in superbiã, tum in inuidiã labi, quàm

in alia peccata; Nihilominus nō ambigo, quin, primum spiritalis substantiæ peccatum diuersi generis, à superbia esse potuerit: licet ea vitia, quæ corporum propria sunt, qualia, quæ ad carnis obscenitates, aut vitium ventris pertinent, cadere in eam naturam secundùm effectum non possint. Hæc enim, cum viuentis corporis gratiâ, & commodo appetantur, quanquàm spiritus ad ea hortari ac allicere mortales possint, haud tamen ea ipsi patrare, quoniam expertes corporis. Potest spiritus creatus, nullo vestitus corpore, iniuriâ odio quem habere. Potest aliena iniustè surripere, non quidem ab Angelis, quorum bona motui non subiacent, sed ab hominibus. Potest inobedienter diuina mandata transgredi, si quæ illi seruanda imponerētur, et si quæ sunt huiusmodi, quæ solâ voluntate perficiuntur, & à corpore nō dependent; Cur primum Luciferi crimen esse non potuerit vel inobedientiæ, vel odij, vel alterius generis à sūpbia? a Superbus is dicitur, qui supra vult videri, quàm sit: at potest, quis vel superioris mandatum neglìgere, vel odisse eum, etiam si per superbiæ peccatum, altiorem dignitatis gradum, immoderatè non appetat.

Lege Gab. Vasq. p. p. q. 63. a. 3 in Notat arti.
a D. Isid. l. 10. Ethym. c. 28.

CAP. XXVII.

Insania Mahumeti, peccasse Luciferum, quòd recusarit Adamum summisè venerari. Primum eius crimen non fuisse, quòd Euam ad peccatum incitarit. Neq; quòd in regimine creaturarū sibi commißarum pessimè se gesserit.



DIVERSA autem existunt opinamenta, cuiusnam generis fuerit primum illud Angeli desertoris crimen. Referam priùs omnium absurdissimum, Mahumeti fabulatoris, cuius temeritas, ausit affirmare, Deum omnibus Angelis præcepisse, vt humiliter Adamo honorem, cultumquè defer-

deferrent; atq; Luciferum, & reliqui sectatores, quòd indignum id propriâ dignitate reputarent, noluisse obsequi, præceptum diuinum contempisse, ac ea de causa sempiternam damnationem incurrisse. Hominis insani ineptum commentum, cui nec authoritas, nec verisimilitudo suffragatur. Incongruũ prorsus, quod nullo modo constet, diuinam prouidentiam præcepisse Angelis, quibus minor est, qui maior fuit inter natos mulierum, vt humiliter purum hominem venerarentur, se seq; illi summiterent.

Stultè etiam opinantur, qui aiunt, primum dæmonis peccatum in terrestri Paradiso initium sumpsisse, cum callidus ille serpens virus instillauit in cor Euæ, fuitq; in causa, vt diuinum pręceptum violaret, ex quo factum putant, ut Deus pęnalem sententiam in eum protulerit, cum dixit. *Maledictus tu inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Oracula diuina detegunt opinionis falsitatem. In cælo, non autem humi, dæmonum facinus admissum, sicut ibi bellum cõmissum inter Michaelem, & draconem: non enim in terram detrusi dæmones, nisi post culpam. Incitamentum ipsum ad peccatum, pręcessisse aliud scelus, indicat: nam nemo probus ad malum inuitat. Vnde Scriptura, antequàm Serpentem, seu dæmonem in serpente, Euam alloquentem, inducat, eius virus, & calliditatem describit. Auctor libri de Mirabilibus sacræ scripturę, hunc errorem retulit, ac reiecit in hanc sententiam. [Absit vt sentiamus Angelum posse suadere peccatum homini in terra, nisi prius ipse peccaret in cælo, dicente Domino; vidi Satanã sicut fulgur de cælo cadentem. Vnde enim potuisset, & ipse inuidere felicitati humanæ, nisi prius amisisset beatitudinem propriam? Non solum ergo peccatum hominis præcessisse diabolica ruina credenda est, sed etiam perfectionem creaturarum illarum, quę in die sexta facta est &c.] Ioannes etiam Cassianus recitatis de causis probauit, haud incepisse dæmonis flagitium à liuida suasione, quâ Adamum, & Euam instigauit ad violandum Dei mandatum [Non esse, ait istud initium præuarica-

tionis,

Genes. 3.

Li. 1. c. 1. T. 3. Oper. Aug.

Lucæ 10.

Io. Cass. Col. 8. c. 10.

Genes.3. tionis illius, seu deiectionis Geneseos lectio manifestat, quæ ante illorum deceptionem, serpentini nominis eum notâ inussit, ita dicens. Serpens autem erat sapientior, seu vt Hebraici exprimunt libri, callidior cunctis bestijs terræ, quas fecit Dominus Deus. Intelligitis ergo, quod ante illam circumuentionem primi hominis de Angelica discesserat sanctitate, ita vt non solum nominis huius insigniri mereretur infamia; sed etiam in nequitiæ tergiuersatione cæteris præferretur bestijs terræ. Nam hoc cognomen, non solum Gabrieli, aut Michaeli, nullo modo potest aptari, sed ne bono quidem cuiquam homini conueniret. Apertissimè itaque, & serpentis vocabulum, & comparatio bestiarum non sonat Angeli dignitatem, sed præuaricationis infamiam. Deniq; liuoris, ac seductionis materia, quâ, vt hominem deciperet, instigatus est, de anterioris ruinæ extitit causa, quod scilicet de limo terræ nuperrimè figuratum, ad illam eum gloriam cerneret euocandum, vnde, cum vnus de principibus, se meminerat corruisse.]

Hæc cum ita sint, non satis cautè aliqui scripserunt Luciferi crimen fuisse, quòd creditarum sibi creaturarum administratione, non sit perfunctus, vt decebat. Papias D. Ioannis Euangelistæ discipulus videtur ita sensisse, cum ait, [Alijs ex ipsis, nempe Angelis, quandam circa terræ administrationem potestatem, & procurationem tribuit, riteq; munus iniunctum administrare iussit. Et paucis interpositis subiungit. Accidit autem, vt ordinem sibi præfinitum absoluerent, non vt decebat.] S. Epiphanius in eandem sententiam [Hoc erat, inquit, Angelorum constitutio, quod facti sunt à Deo ob prouidentiam eorum, quæ ab ipso constructa sunt: quo vniuersalem quidem, ac perfectam prouidentiam vniuersorum Deus haberet, & auctoritas, ac imperium omnium ex ipso penderet, & vniuersorum velut nauigium, sapientiæ gubernaculo, citra inclinationem dirigeret: particularem verò Angeli ad hoc ordinati haberent. Cæterùm reliqui, in his ob quæ fecit, ac constituit ipsos Deus manserunt. Hic vero (scilicet Lucifer) violauit, & prauus factus


Papias ex Andr. Cæs. in Apocal. serm. 12.

Epiphan. L. 2. hæres. 64. contra Origenem.

factus est circa creditorum ipsi administrationem, & inui diam contra nos concepit. Quemadmodum, & qui postea carnes amauerunt, & cum filiabus hominum ob concubitus amorem conuersati sunt.] Hæc Epiphanius. De inferioribus dæmonibus, id etiam opinatus est Lactantius, vt alibi dicemus. Horum scriptorum opinionem sat euertunt, quæ iam à nobis decreta sunt. Peccarunt mali Angeli, ante peccatum Adami, ante eius creationem, primo die, mundo adhuc non absoluto, igitur adhuc illis nulla fuerat prouincia regiminis creaturæ rationalis, demandata.

CAP. XXVII.

Refellitur Scoti, et sequacium opinio, primum dæmonis crimen ad luxuriem spiritalem reuocari. Diuerso sensu, à Clemente Alexandrino incontinentiam, à Gelasio Papa spiritalem fornicationem, appellatum.



AD luxuriem quandam reuocarunt insignes Theologi primum Criminatoris scelus, non quidem eam, quæ tendit ad inhonestam sensuum voluptatem, atq; ad gignendam prolem, sed spiritalem, quæ in immoderato quodam amore, ac inordinata propriæ naturæ complacentia, seu delectatione, consistit. Ioannes Scotus vir acutissimi ingenij videtur primus id docuisse, hoc argumento. Primum dæmonis peccatum, si eius radicem spectemus, fuit nimius quidam amor, & immoderata dilectio vnius propriæ naturæ: nō enim in Deum ferrebatur, qui extra modum non diligitur, vt potè infinitè amabilis; neq; in rē quāpiam à sè distinctā: quidquid enim diligimus, quâdam nostri beneuolentiā, diligimus. Nimia hæc dilectio, seu intemperata in se ipsum charitas, haud reduci ad superbiam potest, tum quia superbia ordinem Scot. 2. d. 2. q. 2.

 quen-

quendam ad alios inuoluit: est enim superbi inanem quandam celsitudinem appetere, & super cæteros dominatum: ea verò dilectio propriam tantum naturam respiciebat; tum quia, vt amor, quo intemperatè alium amamus, à superbia nõ venit, sic quantumuis aliquis se ipsum inordinatè diligat, superbus non erit. In ea ergo peccati classe erit, quæ effrenatę voluptatis est, nempè intemperatæ cuiusdam libidinis: vt enim delectatio, quæ ex venereis præcipitur sensualis corporeũ luxuries est, sic voluptas, quæ inordinatè insurgit ex quopiam voluntatis amore, dici quædam libido spirituum potest.

Scot. sup. In hæc verba concludit subtilis Doctor, vbi multis probauit, ad superbiam propriè primum dæmonis flagitium non pertinere. [Dico, quod primum peccatum eius (scilicet dæmonis) non fuit superbia propriè dicta, sed propter delectationem, quàm importabat, magis videtur reduci ad luxuriam; sicut peccatum, quo inordinatè delectatur quis in speculatione

§ Quantum verò ad. conclusionis geometricæ ad luxuriam reducitur.] Et Paulò post[. Primum dæmonis peccatum, si ad aliquod debeat reduci, videtur magis consonare cum peccato luxuriæ, licet enim luxuria propriè sit in actibus carnis, tamen omne delectabile immoderatè appetitum, inquantum delectabile potest dici luxuria.]

Lychetus 2. d. 6 q. 2. 6. Holchot. 2. q. 3. Biel. eadem dist. Hanc opinionem, fidus Scoti interpres Franciscus Lychetus sectatus est, & eam defendit Holchot. Gabriel Biel quanquàm dęmonis peccatum vocet luxuriem spiritualem, non tamen censet fuisse primum illum amorem, quo sibi immoderatè beatitudinem appetijt.

De Scoti opinione authoris iudicium. Alexandr. L. 3. stromat. Haud noua est, vt aliqui putant, hæc Scoti loquendi ratio. Clemens Alexandrinus, Luciferi peccatum appellauit incontinentiam quandam, rerum venerearum cupiditati respondentem. [Non oportet considerarre, inquit, continentiam in vno solùm genere, nempè in rebus venereis: sed etiam in quibuscumq; alijs, quæ luxuriosa cõcupiscit anima, non contenta necessarijs, sed sollicita de delicijs. Continentia est pecuniam despicere, voluptatem, possessionem, spectaculum, magno, & excelso animo contemnere, os continere,

ratione, quæ sunt mala, vincere. Iam verò Angeli quoquè quidam, cum fuissent incontinentes, victi cupiditate, huc è cælo descenderunt.] Gelasius Papa I. qui, sanctitate, & doctrina insignis Apostolicā sedem tenuit anno quadringentesimo nonagesimo sexto, appellat Luciferi peccatum, spiritalem fornicationem. [Etiam sine vitio corporali, inquit Gelasius, quadam spirituali fornicatione motus Angelus, à diuina, quâ illustrabatur, gratia, & participatione, delapsus est.] Gelas. I. Epl. aduer Palagianam hæres.

Nouum est, & valde dubium, in hac Scotistarum opinione, quòd vereantur crimen istud spiritalis fornicationis ad superbiam reuocare. Incontinentiæ vox (si placet eo nomine vti, vt à relatis Patribus accipitur: quemadmodum etiam ad res, solâ vegetatiuâ animâ præditas transfertur, quæ insueto quodam, ac inutili excessu, prætulantis, vt ita loquar, humoris, nimiæq; lasciuiæ præbent inditium: sic dicunt Latini, luxuriare segetes, luxuriem esse in herbis) haud conuenit certo peccati generi, sed multis: nam sonat metaphoricè immoderatam cupitatem deliciarum, siue spiritus sint, siue corporis: quæ tamen necessariò ad certum caput reducitur, alioqui ad vnam luxuriem, reuocari omnia peccata possent: ad spiritalem ea, quæ solius mentis, & spiritus sunt, ad corporalem, quæ conferunt ad commodum, & oblectamentum corporis. Quicunq; peccat, nimiæ cuiusdam, & inhonestæ voluptatis causâ, peccat. Helluones, nonnisi peccato luxuriæ delinquerent, quòd cibis inhonestè gaudeant: auaritia ad luxuriā spectaret, quòd inordinatū pecuniarū amorem, ac sordidam quandam in preciosо metallo voluptatem inuoluat. Luxuries esset, appetitus sumendæ vindictę de hoste, subtile furandi inuentū, dominandi libido, nimiaq; laudis affectio, & quodcūq; demū crimen. Hęc cū absurda sint, haud ex nudo amoris excessu, solâue voluptatis intemperantia, criminis species, & natura accipiēda est: sed aut ex re, ad quam amor, vel voluptas fertur, aut ex modo, quo fertur. Vagatur amor, siue sui ipsius, siue alterius per omnia peccata, se seque ad certam speciem, & classem contrahit, aut iuxta rerum ordinem, quę amantur, aut iuxta

modum,quo amantur,aut iuxta causam,quamobrem amantur. Nimium amare ciborum delicias,helluonis est: nimium amare ventris illecebras,luxuriosi: nimium diligere pecunias, vt seruentur,gratiâ tantùm metalli, auari est; vt pudicitia alicuius violetur, libidinosi; vt commodiùs hosti patentur insidiæ,fraudolenti:nimium amare honores, dignitates, & dominatus, superbi est. Immoderatus amor semper habet finem, & causam, aliquid insuper annexum, quod tanquàm bonum indebitè concupiscit amato: nam amare, est velle alicui bonum. Hæc cum nimio amori dent speciem, nimius amor sui, non fuit, sè solo, crimen Luciferi: sed nimius amor,quo adeò se ipsum dilexit, vt aut sibi voluerit id, quod non debat,aut eo,quo nō debat modo,quò nobiliorem adhuc,præstantioremq; vitæ statum obtineret. Hinc Cyrillus appellat Satanam incontinentem,quòd cupiditate victus præter rectam rationem appetierit: voluit enim esse vt Deus. Gelasius, non prius dixit Luciferum, spiritali fornicatione è Dei gratia excidisse, quàm eius superbiam manifestarit.

Soluitur Scoti argumentum.

CAP. XXVIII.

Cypriani, Irenęi, aliorumq; Patrum sententia, peccasse Luciferum, quòd inuiderit humanæ naturæ dignitati. Lactantij, quòd primo cuidam Spiritui à Deo creato. Decretum, dæmonem prius fuisse superbum, quàm inuidum.



INVIDIA in humani generis dignitatem, Satanam primò deliquisse indicauêre aliquot veterum Patrum. Meminit huius placiti Augustinus. [Nonnulli, inquit, dicunt, ipsum ei fuisse casum à supernis sedibus, quòd inuiderit homini facto ad imaginem Dei.] Inuidentiæ autem causa fuit, quòd ægrè ferret, hominem longè inferioris conditionis sum-

D. Aug. 11. de G. ad L. c.14.

summis à Deo ornandum muneribus, ac Angelis ipsis in gloria coęquandum. D. Cyprianus, inuidentiâ cecidisse Angelum apertè docuit. [Quale malum est, ait, Fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumueniri alta illa, & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse, qui decipit? exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus, magistro perditionis obsequitur: dum diabolum, qui zelat, imitatur; sicut scriptum est, inuidia diaboli mors introiuit in orbẽ terrarum.] Clarius Irenæus [Ex tunc, inquit, Apostata est angelus, & inimicus, ex quo zelauit plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est.] Petrus Chrysologus, de inuidia. [Iste, inquit, morbus velociter fugiendus est, quia quos contigerit, non patitur iam sanari. Inuidia Cælum tentat: ibi enim diabolum fecit ex Angelo: vrit terras, quæ vtiquè Paradisi nobis amœna flammeo custode seclusit.] Non dissentit Gregorius Nyssenus. Et multis fauet D. Bernardus, cuius hæc sunt. [Putas enim Lucifer ille, qui mane oriebatur, sed præpoperè eleuabatur, antequàm verteretur in tenebras, generi nostro inuiderit, & ipse olei effusionem, vt per se ipsum iam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se quodammodo, vt quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere spiritum, sed nec contradico, nescio enim. Potuit autem contingere; si tamen incredibile non putetur, plenũ sapiẽtia, & perfectũ decore, homines præscire potuisse futuros, etiã & profecturos in parem gloriam: sed si præsciuit in Dei verbo absq; dubio vidit: & in liuore suo inuidit, & molitus est habere subiectos; socios dedignatus. Infirmiores sunt inquit, infirmioresq; naturâ, non decet esse conciues, nec æquales in gloria.] Referri etiam in hanc sententiam solent Tertullianus, & Basilius.

Cypr Opusc. de Zelo & liuore.

Irenæus.

Petr. Chrysol serm. de inuid. & Hyp.

Greg Nyss. orat. Cath. c. 6.

Ber. ser. 17. in Cant.

Tertul. l. de Patien. c. 5.

Basil. Hom. de inuidia.

Lactantius pariter Firmianus, singulari quodam inuento, seu commento, ait, Principẽ dæmonum peccasse inuidiâ, at minimè in humanum genus, sed in supremum quendam Spiritum, quem Deus, antè ipsum dæmonem, crearat, steteratq; in congenito sibi decore, & splendore. Existimauit enim Lactantius, initio, duos tantum spiritus à Deo conditos.

ditos, quorum alter nunquàm recesserit à Patre Deo, sed semper, seruatâ dignitate cælestis principatus, illi charus inprimis fuerit: alter verò, à Deo ipso apostatarit, atq; deflexerit ad malum, eò quòd liuore incitatus, sorti prioris Spiritus, optimi, Deoq; placentis, inuiderit. Lactantij sententia hæc est. [Cum præter ipsum (Deum scilicet) nihil adhuc esset, quoniam pleni, & consumati boni fons in ipso erat, sicut est semper, vt ab eo bono tanquam riuus oriretur, longèquè proflueret, produxit similem sui Spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris præditus. Deinde fecit alterum, in quo indoles diuinæ stirpis non permansit. Itaque suaptè inuidia, tanquàm veneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoq; arbitrio, quod à Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen asciuit. Vnde apparet cunctorum malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim illi antecessori suo, qui Deo Patri perseuerando, tum probatus, tum etiam charus est.]

Lact. Firm. L. 2. Diuin. Instit.

Negari non potest, vt de Patribus dicam, qui in nuunt peccasse Luciferum liuore in humanum genus, quin hostis ille, noster nunquàm non inuiderit homini, ac illi pararit insidias, ex quo nouit eũ, in Angelorũ societatem assumendum: At huiusmodi inuidentiam fuisse lapsus originem, apertè inficior. Omitto quòd non inuiderit, cum primùm peccauit, homini iam condito, quoniam ante eius conditionem peccarat; mitto etiam, dubium esse, an inuiderit homini, quem nouerat condendum, quoniam incertum est, fueritne reuelatum Angelis in via, faciendum esse hominem ad imaginem, & similitudinem Dei, atq; ad supremam cæli beatitatem euehendum. Summa argumenti est. Superbum fuisse Luciferum, atq; inuidiam ex superbia oriri, non contra. [Inuidia, inquit Augustinus, sequitur superbiam, non præcedit, non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, quid inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisq; excellentiam suam, vel paribus inuidet, quòd ei coæquantur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus, quòd eis non coæquetur. Superbiendo igitur inui-

August. sup.

dus,

dus, non inuidendo quisq; superbus est.] Hac de causa illi ipsi Patres, qui Luciferum, inuidiâ, lapsum prædicant, ante inuidiã, crimẽ aliquod præcessisse, significant: intelligebant enim Satanã inuidisse homi, ac omnibus neruis contendisse illi cęlũ eripere, cum ipse in peccatum prolapsus, è cælo exciderat. Cyprianus ait, dęmonẽ, ob iacturã suæ beatitudinis, studuisse, hominem à cælo auertere, atquè prius fuisse malum, quàm eum liuore prosequeretur. [Ille dudum, ait, Angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus, & charus: postquàm hominem ad Dei imaginem factum conspexit, in zelum maliuolo liuore prorupit: non prius alterum deijciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deiectus; captiuus antequam capiens; perditus antequàm perdens; dum stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis, eripit, quia ipse quoq; id quod prius fuerat, amisit.] Nazianzenus, non nisi relatã diaboli è cælis ruinâ, eius in homines odia, & inuidiam commemorando, subdit. Naz. carm. de subst. mẽte præditis.

Quo fit, vt in festis odijs, ac feruidus ira
Ob labem acceptam, quotquot prudentibus vti
Consilijs videt, incessat, studeatq; ferentem
Omnibus ad superas sedes praecludere callem,
Mortales enim propius cum numine iungi,
Vnde ipse est lapsus, non sustinet, atquè tenebras
Nobiscum & noxas communes gestit habere.

Fuit igitur inuidia Diaboli, quodam eius crimine posterior, nempe superbiâ. Hæc in hominem inuidiam genuit, quæ dum illum allicit ad peccatum, mortem introducit in orbem terrę; in humanum genus. Quòd itaq;, natâ diaboli superbiâ, pullularit inuidia fortè memorati Patres eã recẽsuerũt inter Angelicæ ruinę causas, nullibi tamẽ prętulerunt superbiæ: nam, cõtenti criminis fæditatem manifestasse, non disputabant subtilius, quod nam fuisset prius crimen. Vnde Tertullianus, notatâ in diabolo impatientiâ, ac inuidiâ, subdit [. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis, malus, an impatiens, contemno quærere.] Tertull. sup.

In Lactantij decreto nihil non dignum censurâ ani-

maduerto. Deus creaturam spiritalem, idest Angelicam, simul condidit, ergo commentitium est, prius fecisse spiritum quendam sibi similem, tum alium, deinde Angelos omnes. Lucifer inter Angelicos spiritus primus fuit, ergo nulla illi causa, quamobrem alteri spiritui inuideret. Adhæc, cur inuidit, nisi ipse à Deo desciuerat, cum vterq; in primordio conditionis suæ, charus esset Conditori?

CAP. XXIX.

Primum Luciferi peccatum fuisse superbiæ, certò statutum.

STATVIT communis doctorum consensus, primum Angeli apostatę crimen fuisse insolentissimæ cuiusdam superbiæ. Id omnibus suffragijs adeo receptum, vt temerarius sit, qui cōtradicat. Habent enim doctorum authoritates, sacris intentæ paginis, in hac reprobanda multum ponderis, quoniā à preterito euentu pendet, quē scrutari certa ratione non possumus, quòd varius esse potuerit. Non deest tamen coniectura, non infimo nixa argumento, quę authoritati fauet. Petitur autem ex D. Damasceni superius recitata sententia, ægrè videlicet, difficulterq; substantias spiritales in malum mobiles esse, quod à D. Nazianzeno acceptum est, dum inquit,

Damasc. L. 2. fid orth. c. Greg. Naz. car. 6 de substantijs mente præditis.

——— *Angelus agrè*
Flectitur in vitium.

Potuit quidem libera Luciferi voluntas, vt dictum est, aut primò odisse Deum, vel Angelum, aut, nisi ante hominis conditionem peccasset, illi insidias struere, parare mortem, auferre præsentis vitæ commoda; Verùm ad ista, haud facilè incitatur Angelus nequam, nisi proprij honoris, excellentiæ, & dignitatis causâ. Cur enim Deum oderit, vel hominē, ni obstare hæc animaduertat ab eo prætensæ sublimitati?

Odit

Odit hoc tempore Lucifer Deum, quòd capitis dignitatem affectet, & affectarit: odit hominem, ac illi nunquàm non est molestus, quòd nollet sibi in statu gloriæ præferri. Ab alia ergò radice difficulter veniunt quæcunque crimina in substantia spirituali mens humana concipiat, quam à superbia, cui facilè se dedunt, qui plus æquo propriæ naturæ dignitatem, & excellentiam admirantur. Proprium enim est eorũ, quæ sublimi naturâ prædita sunt, ad sublimia aspirare. Aer, & ignis superiores mundi sedes amant, infimas relinquunt terræ, & aquæ; quare homines cholerici, qui plus de natura ignea participant, sunt elatioris cuiusdam animi, atq; ad ingentia quædam facinora aspirant. Quòd ergo Lucifer fuerit cœteris naturâ præstantior, facilius illi fuit, mentem per superbiam eleuare ad supremum quendam statum, sibi minimè congruentem, quàm vel inuidiâ hominis, vel odio creatoris, vel alio crimine delinquere.

Atq; re vera istud fuisse Luciferi peccatum, Scriptura diuinitùs inspirata, adeo apertè significat, vt contrarium opinari, [a] minimè tutum in fide censeatur. Tobias dum hortatur filium, ne mentē superbię aperiat, ad Luciferi crimen videtur respexisse. *Superbiam*, inquit, *nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*. Initium perditionis, fuit superbia dæmonis. A peccato quidem primi parentis nostri perditio fluxit, at illud initiũ perditionis non fuit: fortè enim Adã non peccasset, ni Tentator accessisset ad Euam. In eodem sensu superbia dicitur initium omnis peccati. Accedit Isaiæ testimonium. *Detracta est ad inferos superbia tua*. Et paucis interiectis. *Quo modo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo. In cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*. Hæc adeo apertè in Luciferum quadrant, vt D. Cyrillus dixerit, necessaria quadam ratione, diabolo accommodanda: quod fecerunt omnes ferè Patres. Tertullianus. Origenes. Eusebius. Athanasius. Ambrosius. Bernardus, & alij. Nõ obstat, quòd de Rege Babylonis id accipiatur à multis

[a] I. ad. Mol. 1. p. q. 63. a. 3. m. 5.

Tob. 4.

Eccles. 10.

Isai. 14.

Cyril. l. 3. in Io. c. 39. Tertull. l. 5. aduer Marc. c. 17.

Orig 4 Peri. c. 2. Eufeb. l. 4. de Præp. Euan. c. 9. Athan l. 1. de paff. Chrifti & Cruce. Ambrof. in verf Pf. 118. Bernard fer. 8. in octauam Pafchę. Ezech 28. a Tertul l. 2. contra Marc. c. 10. Orig 1. Peri. c. 5. Greg. l. 23. Mor. c. 18. Ezech. 28. Lucæ 10. v. 18.

ſecundum litteram: diues enim eſt ſcriptura, atq; ſub iiſdem verbis, varij ſenſus plerunq; latent. Quare nullus inficiatur, quin eo teſtimonio etiam ſuperbia dæmonis notetur. Idem Ezechiel expreſſit, cùm enarratis Luciferi priuilegijs illi diuinitus conceſſis, ac recenſitis perfectionibus, quibus ornatus fuit, *donec inuenta eſt in ea iniquitas*, ſubdit, *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te*. Accipi hęc de Principe Tyri poſſunt, at, dictâ ſuperius causâ, ſimul figuratè aptari Lucifero, quanquàm velint[a] nonnulli Patres, Prophetam loqui tantū de principe dæmonū; immò nullus neget, quin Ezechiel reſpexerit etiā ad Luciferū, atq; principis Tyri verba *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi*, fuerint, ſuperbientis initio diaboli, ſenſa. Chriſtus ipſe apertè indicauit, nonniſi ſuperbiā, Satanam è cælo deiectum. Dum enim docet Apoſtolos exultantes, quòd ſibi dæmonia ſubijcerentur, quantum mali à ſuperbia, & inanis principatus ſpecie, oriatur, inquit *Videbam Satanam ſicut fulgur de calo cadentem*.

Cypr l de Ieiunio, & tét. Chriſti. Ant. Erem. Ep. 2. Greg. Naz. de prin. cur. 6. & orône 27. Athan l. q. ad Antiochum q. 6. Bell. de Scrip. Eccl in T 4. Athā. ad annum 340. Chrif hom: 35 in Io: & hom de verbis Iſaiæ.

Patres huic veritati ſubſcripſere, nec vnus quidem repugnauit. Teſtimonia illorum non refero longius, adeat lector teſtes ipſos, quos referam. Cyprianum. Antonium Eremitam. Gregorium Nazianzenum. Athanaſium ſeu authorem libri quęſtionum ad Antiochum, non enim hic liber eſt Athanaſij, vt notauit Bellarminus. Chryſoſtomum. Cyrillum. Ambroſium. Auguſtinum. Gregorium Magnum. D. Hieronymum. Damaſcenum. Iſidorum. Bedam. Bernardū, Leonē I. Anſelmum. Proſperum. Sedulium. Fulgentium, & alios quamplurimos, qui manifeſtis diuinæ paginæ teſtimonijs, atq; concordibus ſententijs affirmant, Luciferum, ſuperbiæ vitio, ſuum principatum amiſiſſe.

Scholaſtici omnes duobus, aut tribus exceptis ſubſcribunt,

Cyril in c. 14. Iſa. Amb. in Pſal 36 & 118 Aug. 11. de Gen. ad L. c. 14. 15. 16. & 11 de C. D. c 6. & l. 14 c. 13. Greg 4 Mor c. 17. & l 23 c. 18 Hier. in c. 14. Iſa & in c 24. Iob. Damaſ l. 2 fidei Orth. c. 4. Iſid. l. 1. de ſummo bono. ca. 12. ſententia 8. Beda in l quæſtionum q. 3. T 8. Bernard ſer 17. in Cant. Leo. I. Ep 91. c. 6. Anſel. de Caſu diaboli c. 4 & in 1. ad Timot. 3. Proſper. l. 1. de Vit. Cont. c 3. Sedul. in c. 1. Ep. ad Rom. Fulg 1. ad Mon. c. 17.

bunt, nec est quòd laborem in referẽdis hic eorum nominibus, vel testimonijs, cùm satis superq; sit indicare, neminem aduersari, qui B. Thomæ Aquinati, ac Petri Lombardi vestigia sequatur.

CAP. XXX.

Quid Lucifer per superbiam appetierit. Opinio dicentium appetijsse sibi hypostaticam Verbi vnionem. Tria quæsita. An Angelis in via reuelatum sit Incarnationis mysterium. An illis datum fuerit præceptum, vt Christum adorarent. Demum, an verè superbo illo appetitu, primò Lucifer deliquerit.

VT autem indubitatum apud sanctos Patres, cælestium oraculorum interpretes, primum Luciferi scelus, fuisse superbiæ; sic dubium valde, quòd nam fuerit superbi animi incitamentum, quidq; tumidus ille, & nimium elatus voluntatis impetus affectarit. Primo loco occurrit mihi Ambrosij Catharini placitum; Deum antequàm vllus Angelorum peccaret, quò illustrior corona esset, atq; pręmium, non nisi præuiá quâdam pugnâ subsequeretur, omnibus intellectualibus substantijs significasse Incarnationis mysterium; quòd videlicet secunda Sanctissimæ Trinitatis persona, non Angelos ipsos, sed Abrahæ semen apprehẽsura esset, illudq; sibi in vnitatem personę copulatura: tum præcepisse, vt Christo vero homini, & pariter vero Deo, debitum deferrent cultum, ac eum venerarentur, futurũ esse præmium præstiti honoris, sempiternã felicitatem. Quod si recusassent, vel secus fecissent, merita illis danda esse supplicia, æterno à cælis exilio, perpetuoq; ignis cruciatu. Id cũ ægrè tulisset Lucifer in primis, tum multa insuper Angelorum turba, qui se homine

longè præstantiores agnoscebant, dignitate, naturâ; Accusare creatorem, decretum illud veluti iniustum, & iniquum damnare: hoc vnum æquum, iustumq; reputare, si Verbum Angelicam naturam assumpsisset. Id propterea, tanquam iure quodam sibi debitum, Lucifer exoptauit, & voluit; ac indignum ratus adeò sublimem naturam, humanę carni cultum præstare, non modò non stetit diuinis mandatis, sed per summum contemptum, fastu quodam, se se digniorem prædicauit, qui ab homine coleretur. [Nō erat æquū, ait Catharinus, vt Angeli citra vllam tentationem tanta facilitate obtinerent cęleste regnum, absq; vlla difficultate, & pugna. Quapropter volens Deus quemlibet eorum probare, patefecit omnibus, & singulis in Paradiso arcanum ingens, quod in pectore suo continuerat, & ait. Audite me Angeli mei, & percipite, quod in ęternitate mea decreui, antequàm quicquam conderem. Hoc est consilium meum. Volo immenso modo, secundum omnipotentiam meam, cōmunicare me ipsum creaturæ meæ, vt sublimetur illa in me, & quasi insitione quadam, vobis admirabili, in Verbo meo subsistens, fiat illa Deus. Hæc autem creatura, quam elegi non est inter vos, nec dum est creata: creabo illam, & nunc vobis eam ostendo. Et sic in specie, & figura hominis, reuelauit Angelis filium suum Iesum Christum. Hunc inquit hominem in quo mihi super omnes creaturas benè complacui, adorabitis: huic reddetis obsequia vestra, & honores, tanquam Deo vestro. Etsi enim homo futurus sit, nihilominus propter hypostasim illam Verbi diuinam, etiam Deus erit, duas obtinens perfectas, atq; impermixtas naturas.] Hoc decreto audito, vt paulò post subdit Catharinus, Angeli obstupuerunt, diuinum hoc consilium admirantes. Atquè Sanctissimus Michael confestim, diuinis mandatis obtemperauit, cumquè secuti sunt Gabriel, Raphael, Vriel, & multi præterea. Lucifer autem cœpit secum ipse cogitare, quàm durum, & incongruum videretur, Deum, in tantam dignitatem naturam humanā euehere, Angelicâ post habitâ longè prælātiori, & digniori. Ea verò cogitante Lucifero sensim obscu-

Cathar in c. 3. Genes.

obſcurabatur intellectus eius, & voluntas ſimul, irâ, atq; indignatione deprauabatur,& cœpit hanc dignitatē inuidere homini, & vehementer odiſſe Chriſtum, quem omninò voluiſſet occidere, & perdere, vnde & Dominus dixit: *vos ex patre diabolo eſtis,& voluntatem patris veſtri vultis facere. Ille erat homicida ab initio,& in veritate non ſtetit. Vos quæritis me interficere &c.* Inuidens igitur tantam Chriſto dignitatem, impenſe illā ſibi appetebat peſſimus æmulator. Nam hoc pacto videbat eſſe poſſibile, vt fieret Deus, ſi natura diuina ſuæ vniretur in hypoſtaſi Verbi. Hinc nimirū illa Satanæ verba, hāc impiam cogitationem prodentia: *In cælum aſcendam* &c. Io. 8.

In eandem ſententiam trahit Cathar. D. Bernardum, cui exiſtimat id ab Angelo reuelatum fuiſſe. Cum tamen, vti licet ex eius verbis paulò ſuprà relatis colligere, non affirmet, Luciferum exoptaſſe ſibi hypoſtaticam Verbi vnionem, ſed tantùm moleſtè tuliſſe hominis dignitatem, eiusq; priuilegia. Ber. ſer. 17. in cant.

Iacobus Valentia, qui dicitur paulò ante Catharinum ſcripſiſſe, eandem ſententiam docuit. Ioannes Viguerius Catharino, & Valentiæ lubenter aſſentitur. Id ſuæ opinionis argumentum dederunt, exoptaſſe Luciferum Dei ſimilitudinem, eam nimirùm, quæ foret illi poſſibilis, ob id non aſpiraſſe ad Dei æqualitatem in natura, ſed ad vnionem hypoſtaticam cum Diuina perſona, ratione cuius intelligebat, Chriſtum, quamquàm hominem, verum tamen Deum futurum, illi deferendum eſſe imperium omnium, quæ in cęlo, & in terra ſunt: ſuper omnes Angelorū choros extollendum, atq; à dexteris Dei collocandum, denique ab Angelis ipſis, ſummâ reuerentiâ, atq; debito cultu venerandum. Valentia in Pſal. 81. Io. Viguer. Inſtitut. Theol. c. 3. V. ult. Matt. 28. Pſal. 109.

Tria in hac opinione occurrunt digna animaduerſione, & examine. Primò reuelatum fuiſſe oībus Angelis, ante Luciferi peccatum ineffabile Incarnationis myſterium. Deinde impoſitum illis fuiſſe pręceptum, ſub diuinæ indignationis pęna, vt Chriſtum Deum, & hominem adorarent. Vltimò, peccaſſe Luciferum, quòd ei deferre huiuſmodi cultum recuſarit, ac ſibi vnionem Verbi hypoſtaticam appetierit.

Quan-

Quantùm ad primum, multi pro certo habent, Deum omnibus Angelis, antequàm mali peccarent, ac boni beatitatem assequerentur, manifestasse Sanctissimæ Trinitatis consilium, quo statutum fuerat, vt æternum Patris verbum, in vnitatem personæ, sibi humanitatem adunaret: quamuis haud patefecerit omnes eius mysterij circunstantias nempè tempus, reparationis totius humani generis negotium, Christi ipsius mortē, resurrectionem, ascensum in cęlum &c. Præter citatos hoc capite authores, ita sentiunt Rupertus Abbas, Nicolaus Lyranus, & Dionysius Carthusianus. Videtur etiam D. Thomas, licet non satis apertè, eiusdem opinionis fuisse, cum inquit. [Mysterium regni Dei, quod est impletum per Christum, omnes quidem Angeli à principio, aliquo modò cognouerunt, maximè ex quo beatificati sunt visione Verbi, quam dæmones nunquàm habuerunt: non tamen omnes Angeli cognouerunt perfectè, neq; æqualiter.]

Rup in c. 8. Ioan.
Lyran & Carthus in c. 63. Esaiæ.
D.Th. 1. p. q. 65. a. 1. ad 4.

E contrario aliqui Patres videntur docuisse, Incarnationis mysterium non fuisse Angelis ab initio eorum creationis reuelatum. Hieronymus ea verba Apostoli pertractans. *Mysterij absconditi à sæculis*, sic inquit. [Potest autem mysterium absconditum à sæculis, & aliter intelligi, quod ipsa illud secula ignorauerint, hoc est omnes spiritales, & rationabiles creaturæ.] In cuius rei confirmationem, eodem loco, deducit ex illis verbis, *Vt innotesceret principatibus*, &c., multa ab Angelis de huiusmodi mysterio cognita, prædicatione in Ecclesia facta. Multi præterea, Iustinus in primis, Hieronymus, & Ambrosius illud Psalmi, *Quis est iste rex gloriæ*; Et illud Esaiæ. *Quis est iste qui venit ex Edom*? ad Angelos referunt, de incarnationis mysterio sciscitantes, de quo nō petijssent, si illud cognouissent. Alexander Alensis, & Biel manifestè indicant, non habuisse Angelos mirabilis huiusce sacramenti notitiam, statim ac conditi fuēre, sed vbi in gratia confirmati sunt.

Hieron. in c. 3. Ep. ad Ephes.
Iustin. Dial. cum Triph. contra Iudæ
Hier. in Ps. 23. & Es. 63.
Ambr. L. de fide c. 1.
Psal. 23.
Es 63.
Alens 2. p. q. 26. m. 1.
Gab. 2. d. 9. q. 2. a. 5. dub. 4.

Non improbabile videtur, Deum omnibus Angelis, cū adhuc in statu merendi essent, Incarnationis mysterium reserasse: cum enim Doctores communi ferè consensu fatean-

tur,

tur, id Adamo in statu innocentiæ fuisse cognitum, reuelante Deo, cur id Angelis fuerit ignotum? Adamum intellexisse, Verbum assumpturum humanam carnem, D. Thomas eiusq; interpretes fatentur, attestantes id fuisse ei reuelatum in somno illo, seu ecstatico sopore, à quo excitatus dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, quod D. Paulus ad hoc mysterium reuocat, cum ait. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Hac de causa, æquum fuisse, vt etiam Angelis id innotesceret, Iacobus de Valentia, Gabriel Vasquez, Franciscus Zumel, & alij Theologi collegêre. Hæc mihi potissima ratio. Solet addi & ista; decens fuisse, vt Angeli tunc temporis Christum cognoscerent, vt porè qui, non minus hominum, quàm ipsorum Angelorum futurus erat caput. Huiusmodi Incarnati verbi factam Angelis ab initio manifestationem, à D. Paulo indicatam putat Catharinus, ibi maximè, vbi inquit. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*. Iterata enim hæc primogeniti introductio, innuit, antea primogenitum fuisse introductum, hoc est, cum, antequàm de castissimo Virginis vtero nasceretur, Deus menti Angelicæ reuelauit, fore, vt aliquando, primogenitus Patris ab æterno genitus, factus homo assumpta carne, de muliere in tempore nasceretur: Non obstant indicatæ authoritates scripturæ & Patrum: Quoniam innotescere quidem potuerunt, Ecclesiæ prædicatione, Principatibus, hoc est bonis Angelis, & dæmonibus etiam, peculiares Incarnationis circunstantiæ, quas ignorabant, licet Incarnationis opus non ignorarent. Verba illa Angelorum ex regio Psaltæ, & Esaia. *Quis est iste* &c. haud ignorantis sunt, sed admirantis. Nam si ad Christi natiuitatem referantur (Athanasius, & Tertullianus aliò trahunt) non ne antequàm nasceretur, cum nasciturum esse ex oraculis Prophetarum Angeli, & dæmones cognoscere potuerant? Quod si ab ignoratione ea interrogatio veniebat, de fine, causa, & circunstantijs Incarnationis quærebant, non autem de substantia.

Genes. 2.
Ad Ephes. 5.
Iacob. Valen. sup. Vasq. 1. p. q. 57. a. 5. disp. 225. c. 1. Zumel. 1. p. q. 57. a. 5. q. 4. concl. 5.
Ad Heb. 1.
Athan. lib. de salut. aduentu.
Tertull. contra Marc. li. 4. c. 40.

Non

Non est tamen id adeo exploratum, quin adhærere alteri opinioni sine improbabilitate possimus: cum neq; diuinæ paginæ testimonia, nec veterum Patrum authoritates, neq; euidentium rationum pondera, illi aduersentur. Esto, fuerit Adamo reuelatum incarnati Verbi mysterium: id præcipuâ quadam ratione factum, quæ Angelis non congruit. Nam Verbum humanâ naturâ sibi vnitâ, non Angelicâ, verus homo, quanquàm, & verus Deus, futurus erat, non Angelus. Præterea, indissolubili eâ Adami cum Eua, matrimonij vinculo, societate, Christi cum Ecclesia, atquè vnionis Verbi, cum carne, mysterium exprimitur. Nihil tale in Angelis; ergo non iniuriâ hoc sacramentum patefactum esset Adamo, licet Angelis fuisset ignotum; maximè cum, etsi Angelorum caput Christus futurus esset, vulnus, quo sauciâdi erant propriâ culpâ, multi eorum, haud sanandum esset, Christo mediatore; nec necessarium fuerit, vt omnia supernaturalia diuinæ gratiæ mysteria Angelis in via aperirentur. Vnde S. Thomas, vbi incidenter de hac quæstione egit, Angelis, ex quo beati fuerunt, mysterium incarnationis innotuisse, significauit. Cum autem Apostolus ait *iterum introducit primogenitum in orbem terræ*, Vox illa *iterum* haud respicit priorem aliquem Christi, vt hominis, in orbem terræ introitum, eo, quo carnem assumpsit. Sed nouam filij Dei in orbe manifestationem, per assumptam mortalitatem. Fuit æternum Patris Verbum, quod homo factum est, antequàm homo fieret, in mundo, Iterum autem in mundum, introductum est, cum homo factum est: tunc enim, non modò vt Dei filius in mundo fuit, sed vt homo recens natus. D. Ioannes Chrysostomus ita accepit eum locum. [Dicendo, inquit, iterum introducit primogenitum in orbem terrarum: hoc significat, cum ei committit, ac possidendum tradit orbem terrarum. Tunc enim totum orbem terræ possedit, cum ab vniuersis est agnitus. Non de Deo verba ista dicuntur, sed de carne. Si enim in mundo erat iuxta Ioannem, & mundus per ipsum factus est, quomodo alio modo introducitur nisi secundum carnem?] Aut *iterum* notat Christi natiuitatē

S.Th. 1. 2. q. 2. a. 7. ad 1. & 1. p. q. 64 a. 1. ad 4.

Ad Heb. 1.

Chrysost. hom. 3. in c. 1. Ep. Ad Heb.

ex Mariæ virginis vtero, respectu eius, in vterum, introieus; tunc enim iuxta diuinum mandatum. *Facta est multitudo cælestis exercitus laudantium Deum*. Vel certè gloriosam eius resurrectionem, cum natura humana in orbem terræ introducta est, non passibilis, doloribus, angoribusq; subiecta, sed impassibilis, atq; molestiæ, & doloris incapax. Lucæ 2.

Verùm sit, quòd Angelis fuerit patefactum, Verbum incarnandum; An præceptum illis impositum, vt ei honorē reuerenter deferrent, vt Catharinus, & alij volunt? Quòd id ex Scriptura, aut sanctis Patribus non habeam, quia Theologi frequentes negent, amplector Chrysostomi sententiam, sic statuentis. [Deus Angelos fecit in spiritu sine carne, præceptumque dedit, eis nullum.] Iterum. [Factis ergo Angelis præceptum eis dedit nullum.] Apud Epiphanium reperies, datā esse Angelis liberā voluntatē, vt aut obedientes Verbo, essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, aut non obedientes iudicarentur. At id non probat, peculiare aliquod præceptum fuisse Angelis propositum, sicut Adamo: sed non potuisse Angelos æterna felicitate frui, ni illi legi paruissent, quæ etiam non lata stringit, estquè, vt ait Origenes, quæ dicit quod agi debet, & quod agi non debet vetat. Cum verò apud D. Paulum legimus, dixisse Deum. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, haud innuitur præceptum Angelis in via existentibus datum, cui si obtemperarent præmium vitæ beatæ consequerentur, si obsisterent, sempiternis pœnis afficerentur: sed Dei mandatum, quo Angelos suos, qui propriè sunt Angeli beati, destinauit ad tribuendum, summa veneratione, honorem incarnato Verbo, non modò quà Deus, id enim antea fecerant, sed quà homo, de visceribus purissimæ Virginis natus. Ad 2. quæsitum. Epiphā. cōtr. hæres. l. 2. T. 2. hæres. 64. Orig. l. 3. c. 3. in ep. ad Rom. Ad Hebr.

Sequitur tertium quæsitum, quod huius capitis est summa. Meliorum theologorum authoritate, respondeo; etiā si dæmones adhuc non lapsi, incarnationem filij Dei nouissēt, haud peccasse superbo appetitu hypostaticæ vnionis diuinæ illius personæ, tanquam sibi iure quodam debitæ, vt præstantiori, ac digniori creaturæ. Id non assero, vt aliqui faciunt Respondetur tertio quæsito.

quòd Angelus non potuerit eam vnionem appetere, quippe quæ annexam necessariò haberet sui destructionem. Nam licet ad vnionem hypostaticã diuinæ personæ cum humana natura, vel Angelica, modus aliquis interiret, vl cuius, quisq; talis persona est, *Perseitatem* Theologi dicunt: tamen natura ipsa integra perseuerat, perficiturq; nobiliori ratione, diuinæ personæ vnione, quàm proprio illo, sibiq; naturali modo, qui subsecutus propriam naturam fuisset, ni eam sibi increatum suppositum in vnitatem personæ copulasset. Itaq; si Angelus talem vnionem exoptasset, haud appetijsset sui interitum, & exitium, sed digniorem quendam, nobilioremq; suæ naturæ statum. Valida ratio ea est, quâ vtuntur alij. In sapientissimo illo Trinitatis concilio, non esse decretum, verbum diuinum incarnandum, nisi præuiso Adæ peccato, totiusq; humani generis interitu; culpam autem primi nostri parentis, peccatum Angelorum, tanquam causa præcessit. Peccarunt enim Adam, & Eua, dæmonis impulsu. Oportet ergo, iuxta modũ intelligendi mentis nostræ, & rerũ ordinẽ, priùs diuinæ menti obiectum esse Angelorum, & Adæ culpam, quam Christus in remedium humani peccati sit prædestinatus. Quod aliter se haberet, si Luciferi superbiæ, occasionem dedisset, verbi Incarnatio, debuisset enim necessariò huius prædestinatio præcedere dæmonum peccatum, tanquàm res, vel obiectum, circa quod Angeli mali, peccando, versari debebant. Adde, vt alibi exponemus, indicare Scripturam, Luciferum voluisse eam Dei æqualitatẽ, ratione cuius, non esset Deo ipso inferior. Quemadmodum autem Christus, vt homo minor Patre, ita si uerbum assumpsisset naturam Angelicam, quâ Angelus, minor eodem Patre, fuisset. Hinc patet dæmonem non dici homicidam ab initio, quòd initium eius peccati fuerit odium in personam Christi, uerùm, sicut superioribus capitibus dictum, quòd mox condito homine, illum morti obnoxium fecerit, peccato siquidem, in quod mali spiritus suasione, lapsi sunt primi parentes nostri, mors intrauit in mundum. Hac de causa dixit Christus, Pharisæos, similia dęmoni desideria ha-

Id D. Thomæ interpretes in 3 p. q. 1. a 3 fatẽtur contradicentibus tamen subtilibus.

habere, quoniam contendebant omni conatu illi parare mortem.

CAP. XXXI.

Qui senserint, Luciferum, per superbiam, voluisse in natiua felicitate, tanquàm summo bono quiescere, posthabita supernaturali beatitate. Opinionis difficultas, & aliqua eius tuenda ratio.

VETERES Scholastici alium asſignant ſuperbię Luciferi ſcopum. D. Thomas, à quo communiter non recedunt eius familię doctores, uoluit Luciferum ad Dei ſimilitudinem ſuperbè aſpiraſse, quòd inſtar Dei, qui nullius bonis indiget, ſed ſe ipſo, ſine cuiuſquam adiumento beatus eſt, & felicisſimus, exoptarit proprijs bonis, ſuę naturę, quaſi iure quodam competentibus, frui tanquam ultimo fine; ueluti tacitè contemneret à Dei miſericordia, & liberalitate, beatitudinē ſupernaturalem habere. Hęc .n. nō improbabiliter fuiſse uidetur exoptata à malo Angelo Dei ſimilitudo, quòd haud potuerit aſpirare (iuxta huiuſce opinionis placitum, de quo infra dicendum eſt) ad Deitatem, quoad naturę ęqualitatem, ſed imitatione quadam, & ſimilitudine; ut nimirùm nullius extranei boni indigens, ipſe ſibi ſufficeret. [In hoc appetijt, ait Aquinates, eſse ſimilis Deo, quia appetijt, ut finē ultimum beatitudinis, id ad quod uirtute ſuę naturę poterat peruenire, auertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quę eſt ex gratia Dei. Caietanus inter D. Thomę aſſeclas, id maximè probauit. Aliqui antiquorum Patrum uidetur huic decreto fauiſse, cum ſtatuunt, ideo ſuperbùm extitiſse transfugam illum, quòd propria dignitate, & excellentia, nimiùm quantùm delectatus, neglexerit in laudes Creatoris inſurgere, illiq; id acceptū referre, quod debebat.

D.Th.1.p.q.63.a.3.

Caiet. ad locum S.Thom.

Chryf. hom. de lap. Adæ. Cyril. Alex. l. 6. in Ioan. Aug 11. de C. C. c. 1.

Ita insinuant Chrysostomus, & Cyrillus. Apertiùs Augustinus. [Dæmones, ait, sua potestate potius delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiore communi omnium beatifico bono defluxerunt, & habentes elationis fastum, pro excelsissima æternitate, vanitatis astutiam: pro certissima veritate, studia partium, pro indiuidua charitate, superbi, fallaces, inuidi effecti sunt.]

Neq; verò Angelicus Doctor, præcipuus huiusce opinionis assertor, censuit, vt eius interpretes tradunt, eò venisse superbiam Luciferi, vt non modò summè voluerit in naturali sua beatitate quiescere: sed etiam, re ipsa, absoluto voluntatis actu, eam tanquam vltimum finem exoptarit: cum enim sê sê malum sit, velle hoc pacto creaturâ frui, non potuit appeti ab Angelo, quoniam ante peccatum præcessisset error in intellectu, quo illud tanquam bonum voluntati proposuisset. Verùm in eo putat positam fuisse superbiam, quòd ita frui propriâ excellentiâ, ac naturali felicitate voluerit, vt nihil de cælesti beatitudine cogitarit, quæ verè vltimus eius finis, ad quem dirigendum erat, quidquid natiuę bonitatis assequi potuisset: fuit enim id, tacito quodam affectu, appetere beatitatem naturalem, vt vltimum finem, quandoquidem supernaturalem, quæ appetenda erat, non appetijt.

Verum fateor. Difficile est, huius opinionis interpretatione sic se habente, in eo appetitu, summum, ac grauissimum superbiæ Luciferi scelus discernere. Cum enim res exoptata, vt illi ipsi testãtur, haud mala sit, non satis constat, vt superbè, ac malè desideretur, omissâ tantùm cęlestis boni, diuinæq; opis à Deo expectandę, cogitatione, & appetitu. Amet quis vehementer sibi naturalia commoda, illa percupiat: Sit, quòd de supernaturalibus donis, nihil re ipsa mente peruoluat, ac voluntate concupiscat: abest culpa, ni adsit, aut contẽptus quidam, & fastidium eorum, quæ præferenda his essẽt, aut Dei ipsius mandatum, quo teneatur, actu, superturali gratiæ attendere, ac propria commoda, quæ sibi naturaliter competunt, nonnisi supernaturalibus iuncta diligere, atq; ad ea referre. Nihil autem huiusmodi relati doctores

de Satana cogitarunt. Detegitur quidem summum superbiæ crimen si dicamus, ita exoptasse sibi naturalem beatitatem, eamquè dilexisse, vt re supernaturalem despexerit, voluerit q; potiùs, naturalia sibi bona sufficere, quàm à Dei munificentia, impetrare supernaturalia D. Augustinus ita videtur explicasse superbiam Luciferi, cum ait de illo. [Factus continuo se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus: vnde beatæ, atq; Angelicæ vitæ dulcedinem non gustauit, quam non vtiquè acceptam fastidiuit, sed nolendo recipere deseruit, & amisit.] Notatâ superiùs sententiâ, de malis spiritibus ait. [A superiori communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.] Itaq; si huius generis fuit superbia, voluit, se solo, beatus esse, proprijs bonis, ne alterius bono videretur indigere. Et inter homines, huius notæ superbi reperiuntur, qui malunt inopes viuere, contenti sua sorte, quæcumq; illa sit, quam opem, ac aliena subsidia implorare.

Aug. 11. de G. ad L. c. 13.

De Ciuit. D.

Quamuis verò huiusmodi esse potuerit superbia Luciferi, re ipsa, talem extitisse, haud affirmo, cum vt paulò intrà dicturi sumus, sacra oracula sat declarent, inflatum illum, ac tumidum spiritum altiùs aspirasse, quàm vt propria tantùm felicitate poti-retur, supernaturali posthabita. Patres etiam, sæpè docent Luciferum aliquid exoptasse, quod non habebat, quanqàm habuisset si stetisset: habuit autem ante peccatum beatitudinem naturalem.

CAP. XXXII.

Eorundem Doctorũ, & aliorum præterea decreto, appetitũ supernaturalis beatitudinis, absq; desiderio eius impetrandæ, diuino auxilio, fuisse primum Luciferi peccatum. Hîc non satis detegi superbiæ enormitatem, nisi aliud addatur.



ITAQVE ijdem fermè Doctores, quibus permulti præterea accedunt, qui superiori sententiæ adhæserunt, animaduertentes Chrysostomum, Theodoretum, & Anselmum decreuisse, à Lucifero contractam superbiæ labem, quòd altiora munera, quàm propriæ dignitati conuenirent, non vt decebat, appetierit: haud putãt inuerisimile, Luciferum Dei similitudinem superbè appetijsse, non quòd in Dei naturam transire quodammodo voluerit, verùm, quòd ad supernaturalem beatitudinem, cuius bonum optimè nouerat, (quicquid senserit Gandauensis,) non Dei munere, vt decebat, sed proprijs viribus, peruenire concupiuerit. Lucifer, aiunt, propriã naturam contemplatus, præstantem, & sublimem, expertem tamen summæ illius felicitatis, quæ naturalem longè excedebat, uoluit quàm auidè illam assequi, at superbo animo; cum enim nihil de Dei gratia cogitarit, ad id necessariâ, vi, ac facultate suâ, id voluit obtinere. Eunt in hanc sententiam plures Theologi D. Thomas, Caietanus, Alensis, Albertus Magnus, Durandus, Heruæus, Ægidius, Ricardus, Biel, Ferrariensis, & alij. Schola D. Thomæ id decretum, non secus ac præcedens, hac ratione exponit. Superbum illũ haud voluisse distinctè adeò, & explicatè, natiua potestate, sine Dei ope, beatitudinem supernaturalem consequi, vt voluerit eum, appetendi ex proprijs viribus, modum: sicut enim fieri non potest, vt quis, naturæ potestate, beatus fiat, sic illud,

Chrys. hom. 2. in Genes. Theod. l. 2. de Dijs. & Ang. Ansel. de casu diab. c. 4.

Henr. Gan. Quodl 8. sẽtit, Angelos in via nihil de beatitudine superna li cognouisse.

D. Th. 1. p. q. 63. a. 3. Caiet. & alij interpretes ibid. Alen. 2. p. q. 98. m. 3. Alb. 2. d. 5. a. 2. Dur. q. 1. n. 14. Heruæ. q. 1. a. 2. Ric. 2. 1. q. 3. Biel q. 1. a. 2. Ferr 3. C. G. c. 109.

vt possibile, ac bonum, ratione dicta, proponi voluntati ab intellectu non poterat; Voluisse ait, propria vi, cælestem consequi felicitatem, quòd in diuinum auxilium oculos minimè intenderit, nec eam, vt cælesti ope impetrandam, appetierit. Hinc enim deducunt tacitè, & interpretatiuè voluisse, proprias vires sufficere, quod Dei opem non impetrarit. Vnde Caietanus. [Modus, ait, tenendi beatitudinem fuit malus, quia electio illa diuinæ regulæ ordine destituta fuit.] Franciscus Zumel. [Peccauit Angelus, inquit, ex inordinato appetitu, appetens, prætermisso ordine diuinæ regulæ, felicitatem supernaturalem, virtualiter tamen, & ex modo operandi, eam proprijs viribus assequendam, & non ex dono & gratia Dei.] Itaq; quantum ex his licet cognoscere, Lucifer superbiâ peccauit, quod de auxilio diuino ad obtinendam beatitudinem necessario non cogitarit, nec illud reipsa, vt medium, appetierit.

Caiet. sup.

Zumel. 1. p. q. 63. a. 3.

De hac opinione non secus, ac de præcedenti, statuo, ægrè eâ explicari peccatum Apostatæ spiritus, eiusq; abominandam turpitudinem. Quis enim dicat tantum fuisse Luciferi facinus, tantis affectum pœnis, quòd appetendæ cælestis beatitudinis rationem, non attenderit? An adfuit diuinæ opis contemptus, vel lata quæpiam Dei lex, quâ distinctè, & excitato animo, animaduertere teneretur? Grauiter peccasset. At neq; Angelus ille expresse Dei gratiam reiecit, neq; præceptum aliquod aderat, quemadmodum & isti auctores fatentur. Virtualiter, & interpretatiuè, inquiunt, voluit proprias vires sufficere, ac Dei auxilia recusauit, cum Dei auxilium non implorauit. Res mihi difficultate plena. Cum enim Lucifer eo temporis interuallo, quo in veritate stetit, cognouerit, diuina munera, non modò ad supernaturalem Patriæ felicitatem, sed etiam ad charitatem viæ necessaria, neq; tamen Dei visionem, hoc est, summam beatitatem appetendo, re ipsa, elicito voluntatis actu, diuinum auxilium recusarit: deducendum potius esset, virtute quodammodo voluisse opportuna media ad id consequendũ necessaria, quòd tantopere exoptauit. [Nam licet in eligendo teneatur substan-

Ita Ferr. 3. C. G. c. 110. stantia spiritualis vti diuinâ regulâ, tanquam propriæ electionis mensura, non tamen requiritur, vt semper actu ad regulam attendat, dum ad electionem procedit, sed sufficit, vt virtute vtatur diuinâ regulâ.] Is autem videtur, virtute, diuina regula vti, qui vbi incepit iuxta diuinam regulam agere, diuinæ regulæ resistere non intendit, nec quid illi contrarium operatur, etiam si de illa minimè cogitet. Itaq; cum Lucifer, statim ac conditus est, Deum supernaturali charitate dilexerit, ac meruerit (merito autem annexa est iusta ordinatio creaturæ in creatorem) non videtur postmodum vitiari potuisse desiderium possidendi Deum, vt fœlicitatis obiectum, etsi ad appetendi rationem non animaduerterit, modò nihil ad fuerit ei ordini aduersum, quo cuncta propter Deum facienda sunt, ac dirigenda in eum.

Vt ergo decretum istud familiare multis Doctoribus, ac eorum potius authoritate, quam rationum pődere, probabile, hasce difficultates vitaret; statuendum esset, ideò Luciferum peccasse superbiâ, immoderato beatitudinis appetitu, quòd re ipsa præsumpserit ad eam proprijs viribus peruenire, ac Dei auxilium despexerit. Est enim proprium superbi, iure quodam arrogare sibi, quod ab alterius liberalitate expectandũ est. Quare Patres, qui, hac de causâ, superbum fuisse Luciferum tradunt, significant verè contendisse, virtute propria, ad fęlicitatis supernæ fastigium peruenire, atq; reapse Dei auxilium recusasse. [Aliter, ait Ambrosius, inflantur qui cupiditate excellentiæ singularis, omnibus appetunt anteferri: aliter verò intumescunt, qui Dei auxilium reputãtes, quæ fieri sine ipsius opere nõ possũt, ex suâ perfici virtute contendunt, & spem suam à Deo aufetunt: hæc superbia à diabolo sumpsit exordium: qui quoniam suâ, quam à creatore acceperat, potentiâ, & dignitate sibi placuit, seq; authori suæ gloriæ comparauit, cum ijs Angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cælesti sublimitate deiectus est.] D. etiam Augustinus ait, quosdam Angelos, per elationem, voluisse sibi ad beatam vitam sufficere. Gelasius Papa primus, ait peccasse diabolum, dum suæ institutionis claritate de-

Ambros. Ep. 83.

Aug. l. 12. de C. D. c. 1.


Gelas. Papa 1. aduer. Pelagiã. hæres.

detentus, vlterius se nihil egere, ac sibi se sufficere posse præsumit, fidens per seipsum obtinere, quicquid per solam gratiam potuisset Conditoris adipisci. Gelas. Papa I. aduer. Pelagian. hæres.

Neq; verò, antequàm hoc modo voluntas desertoris Angeli superbiret, intellectus errauerat: mens enim Angeli, errore immunis fuit, donec lapsa est voluntas, nam approbare falsa per veris, non est hominis instituti, sed pœna damnati. Sat fuit, ut mens Angelica, sine quouis iudicio, voluntati obijceret, honorificum esse proprijs viribus supernaturalem beatitudinem possidere: tunc enim potuit voluntas eam sibi appetere, vt proprijs uiribus, sine diuino auxilio, consequendam. Non desunt tamen, qui minimè absurdum putent, in mente mali Angeli, ante peccatum, præcessisse aliquem errorem, nō quidem circa naturalia, sed circa supernaturalia. Idem, in conclusione præcedentis capitis quadrat. Aegid. 2. d. 5. q. 1. a. 2.

CAP. XXXIII.

Potuisse Luciferum, quandam Dei absolutam æqualitatem, superbè appetere. Reipsâ appetijsse: idq; fuisse primum eius scelus.



SVPERBISSIMVM illum uerè ad æqualitatem diuinæ naturę aspirasse, persuadent mihi cęlestia oracula, ac multorū Patrum, de temeritate eius sceleris, documēta. Antequàm id cōfirmem argumentis, statuendum est, potuisse primum desertorem, hanc Dei in natura similitudinem exoptare: nam quicunq; negant, id fuisse à Lucifero concupitum, pariter inficiantur potuisse desiderari. Sic Angelicus Doctor, ac eius scholę sectatores opinantur. Idem, Bonauentura. Albertus Magn. Ægidius. Heruęus. Durandus. Capreolus. Ferrariensis, & ante hos omnes Alexander Halensis. Binis vtuntur rationibus. Primò, non adeò cęcum fuisse Luciferum, quin cognosceret, impossibile omninò esse creaturę ad S.Th. 1. p. q. 63. a. 3. Bon. in 2. d. 5. a 1. q. 2. Alb. M. 2. 3. Aegyd. q. 1. a. 2. Heruæ. q. 1. a. 3. Dur. q. 1. nu. 13. Capreol. 2. d. 4. q. 1. concl. 2. Ferrar. 3. C. G. c. 109. Alex. Alensis. 2. p. q 78 m. 8.

 Dei

Dei æqualitatẽ peruenire;hinc eius voluntatẽ id appetere nõ potuiſſe,dictante intellectu,fieri non poſſe,vt id aſſequeretur. Cum enim ante lapſum mens illa Angelica, haud eſſet inſana, vlliuè errori ſubiecta, non potuit voluntati id appetendum exhibere,quod nunquàm obtinuiſſet, immò quod malum eſſet; ſequitur enim voluntas,rationis dictamen, nec quicquam affectat, niſi ab intellectu,quatenus bonum, proponatur. Quare haud potuiſſet velle eſſe vt Deus, ni mens iudicaſſet, bonum illi fore, eſſe Deo parem in natura, quod amentis eſt,non ſanæ mentis,qualis erat Angelica, quæ ante peccatum, nullam ſubiuit peccati pœnam. Simili argumento vſus Anſelmus. [Si Deus, inquit, cogitari non poteſt,niſi ita ſolus, vt nihil illi ſimile cogitari poſſit, quo modo potuit diabolus velle, quod non potuit iudicare? non enim ita obtuſæ mentis erat,vt nihil aliud ſimile Deo cogitari poſſe neſciret.] Adhæc, quî Lucifer Dei totalem æquiparantiã appetierit, cum tranſmutatio illa in diuinam naturam, propriæ naturæ exitium, & delectionem inuoluat,ac nullus,etiam ſublimioris ſtatus aſſequendi causâ, ſui interitum exoptet? Repugnat enim id innatæ omnibus perpenſioni, quâ quiſq; cupit propriam ſeruare naturam.

Anſel de Caſu diab. c. 4.

Horum ego Doctorũ auctoritatem, etſi maximi ſemper fecerim,præſertim D. Thomę causâ,cuius decreta,ſummâ veneratione, nunquàm non duxi ſuſcipienda: nihilominus videntur mihi non inueriſimiliter ſentire, qui ſecus opinantur. Eſt quidem mihi certiſſimum, impoſſibilia appeti non poſſe, efficaci voluntate, quæ dicitur principum ea conquirendi,quæ ad aſſequendam rem exoptatam,opportuna ſunt, & neceſſaria: vt enim,ait Philoſophus electio non eſt impoſſibilium:nam impoſſibilia, ſic dicuntur, quòd fieri, obtineriuè nullâ viâ poſſint. Quare neq; Satan velle, hac ratione,potuit, eſſe vt Deus, quòd nihil euehere illum, ad Deitatem, poſſet. Non video tamen quid obſtet,quominus,ea ratione, qua appeti impoſsibilia poſsunt,potuerit Lucifer,ſine mentis errore, ac inſano iudicio, æqualitatem Dei concupiſcere, quodam nimirùm ſimplici affectu (ſimplicem affectum dico

Ariſt. 3. Eth. c. 2.

cui

qui nulla suppetunt media ad assequendum finem, licet absoluta libertate non careat, quæ ad tantum scelus sufficit quantum est, creaturam, per summam superbiam, ad Creatoris dignitatem aspirare). Scilicet haud necessarium ad id fuit, mentem eius Angeli, falsum ferre iudicium, quòd impossibile fieri posset, aut quod bonum sibi esset, Deitatem cōsequi: nam, vt voluntas aliquid prosequatur, sat est, vt intellectui occurrat sub quapiam ratione boni, etiam si mens ipsa nullum ferat iudicium. Aegrotantes medici, imminentis sibi mortis certissimi, sanitatem percupiunt. In durissimis detenti vinculis, esse vellent, corporea mole, immunes, ac spiritibus persimiles. Scelesti & flagitiosi, plerunq; exoptant, Deum, peccatorum dissimulatione, deponere iustitiam, ac eum iustè scelera plectentem, sæpè numero odère. Quicunq; peccat, peccatum veluti quoddam bonum prosequitur. Neque tamen, vel gnarus artis medicus existimat, se pristinam valetudinem recuperaturum; neq; catenis vinctus, euadere se posse confidit instar spiritus; neq; flagitiosus persuadet sibi, Deum posse non esse iustum, aut esse dignum odio; neq; demum quicunq; peccat de bonitate sceleris, aut æquitate iniquitatis, falsò iudicat. Quidquid Lucifer appetijsse hucusquè dictum, si appetendi rationem inuoluamus, quæ appetitum vitiauit, an possibile erat Lucifero? Sanè naturalis felicitas, quam assequi, suâ facultate, vis creata potest, esse nequit vltimus intellectualis creaturæ finis: atq; ad supernaturale bonum peruenire, sine diuina ope, nullus potest D. Anselmus non repugnauit, quin potuerit Lucifer Dei æqualitatem expetere: verba enim illa à Discipulo proferuntur, quibus, Anselmus sustinens Magistri personam, respondet, nihil de vi argumenti disputando, sed de euentu disserendo, voluisse diabolum esse Deo similem secundum aliquid minus Deo. Fortè Lucifer huiusmodi Dei æqualitatem appetere non potuit, quòd si, vt Deus esse voluit, sui interitum uoluisset? Quid absurdi erit si dicam, non repugnare, ut quis, uel alicuius miseriæ declinandæ causâ, uel apparentis alicuius boni specie uehementer allectus, optet

Occurritur obiectioni.

Soluuntur argumenta in contrarium.

Ansel. sup.

alienæ naturæ sortem, & conditionem? Quid, si addam haud consequi necessariò, ut Lucifer expressè uoluerit, se non esse, quamuis uoluisset, se Deum esse. Consequeretur ad Dei æqualitatem non esse Luciferi: at, responderet Scotus, express sus consequentis appetitus, non imbibitur necessariò in appetitu antecedentis, cum intelligi antecedens sine consequenti possit.

Scot. 2. d. 6. q. 1. § tamē ad formam.

Vt ergo potuit Lucifer uelle Dei æquiparantiam, sic uoluisse mihi persuadeo, immò persuadent diuinæ paginæ; potissimum illa Esaiæ Verba, aliâs recitata de Lucifero dicente. *In cælum ascendam, super sydera Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo.* In supremo cælo Lucifer erat, quò igitur uoluit ascendere, nisi ad sublimitatem Deitatis? Super sydera cæli, hoc est, super cæteros Angelos, tanquàm princeps iam collocatus erat; quo peruenire contendebat, nisi ad supremum Diuinitatis fastigium? Similis esse uoluit Altissimo, cur aliam similitudinem à uera, & propria, quæramus? Maximè cum apud Ezechielem prophetam habeamus, Luciferum non modò se Altissimo similem prædicasse, sed Altissimum ipsum: dixit enim: *Deus ego sum.* Vbi Hieronymus scribit, typicè describi superbiā Principis aduersarum potestatum, qui non contentus eo splēdore, quo illustratus à Creatore fuerat, Creatoris dignitatē affectauit. Hinc cælestis ille bellator, qui, in Luciferū superbè audētem, insurrexit. *Michaelis* nomen accepit, quod sonat. *Quis, vt Deus?* Inijt enim pugnam, quòd Lucifer uellet parem Deo locum, & dignitatem habere.

Isa. 14.

Ezech. 28.

In locum Ezech.

Patres, superbam hanc temeritatem intellexêre, cum uerba illa Esaiæ, & Ezechielis de Lucifero acceperunt, atq; expressis sententijs docuerunt, eum omnibus uotis exoptasse, ut Deus haberetur, & esset. Hieronymus ait, Satanam ueluti furem, uoluisse diuinitatem suffarari: Tatianus, effrenata cupiditate, tentasse diuinitatis latrocinium: Cyrillus Alexandrinus, honorem, ac gloriam, summęq; soli naturę congruentem, rapere concupiuisse: D. Gregorius Naziāzenus.

Hieron. in c. 24 Iob. Tatian. or cō. Græc. Cyril Alex. l. 2. in Esa. c. 14.

[Indi-

[Indignum, inquit, atque intolerandum, dicebat Lucifer, se, cum diuinus esset, non Deum quoquè existimari.] Carmine sexto de substantijs mente præditis, tradit sperasse Deitatem, dum ita canit. P. Gregor. Naz. orat. 27. n. 8.

Quo circa primus male sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quòd frueretur honore
Sperabat regale Dei, solium què decusq; uè)
Corruit amisso vilis splendore, miserq;
Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus
Obrutus est, leuis atq; licet prostratus ad ima.

Aurelius Prudentius poeta Christianus, & doctus ait, Luciferum se ipsum Deitatis consortem, iactasse, sine principio, sine authore. Sic Prudentius. Prudent. in Amartig.

At non ex nihilo Deus, & Sapientia vera
Spiritus, & sanctus res semper viua, nec vnquam
Cœpta, sed aereos etiam molita ministros,
Eorum dè numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox nimijs, dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens, se altius effert,
Ostentatq; suos licito iactantius, ignes,
Persuasit proprijs genitum se viribus ex se.
Materiam supplisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nasciq; suum sine principe cœptum &c.

S. Auitus Alcimus, uir Sacrarum litterarum peritissimus, hæc de Lucifero scripta reliquit. Alcim. Auit. 2. de peccato Orig.

Angelus hic fuerat dudum, sed crimine postquam
Succensus proprio, tumidos exarsit in ausus
Se fecisse putans, mox tanquam conditor esset,
Ipse sui rabido concepit corde furorem,
Auctoremq; negans, diuinum consequar (inquit)
Nomen, & æternam ponam super æthera sedem
Excelso similis, summo nec viribus impar.

Anselmus qui, vt monuimus, non censet improbabile, Luciferum aliquid Deo inferius appetijsse, ita de illo ait. [Cum ergo in tanto bono abundaret, uidens diuinam essentiam, præstantiorem multò se, contra conscientiam suam, Ansel. in c. 12. Matt.


non

non ex aliqua infirmitate, cœpit Deo inuidere, & voluit se ei
Pant. Diac. de Mir. S. Michaelis apud Surium die 28. Sept. parificare.] Pantaleon Diaconus [Lucifer, inquit, præter legem naturæ, decretumq́; , & rationem diuinæ iustitiæ, imperij cupiditatis œstro percitus, rebellauit aduersus creatorē, regnum eius, & gloriam sibi conans vsurpare.] Deniq; Hugo
Hugo Vic. sum. sen. tr. 2. c. 4. Victorinus, Bedæ sententiam imitatus, manifestis suffragijs, huiusmodi fuisse Luciferi superbiam, confirmauit, in hæc
Beda. L. Quæst q. 9. verba. [Lucifer, vt dicit Isidorus, postquam creatus est, absq; aliquo interuallo, profunditatem suæ scientiæ perpendens, in
Esa. 14. suum Creatorem superbiuit, & vt dicitur in Esaia, Deo æquari voluit, dicens: In cælum conscendam, super astra Cæli exaltabo solium meum, & ero similis Altissimo. Similis esse voluit, non per imitationem, sed per æqualitatem, & non solùm æqualis, sed etiam quòd superior esse voluit, videtur auctoritas illa velle. Extollitur super omne, quod dicitur, aut
2. Thess. 2. quod colitur Deus.]

Sanè certè assidua solicitudo, quæ dæmonem nunquàm non tenuit, auertendi humani generis à Deo vero, optimo, maximo, ad exectādum Idolorum, atq; ideò sui ipsius, cultum, satis manifestat, incitari ad id ipsum, ardentissima illa siti, quâ ab initio laborauit assequendæ diuinitatis.

CAP. XXXIV.

Luciferum vna cum Deitate, parem diuinæ, potestatem, sapientiam, & bonitatem superbo animo exoptâsse. Quare eius crimen, à Patribus, libido, inanis gloria, auaritia, furtum, apostasia, *&* inobedientia *appelletur.*



EFFRENATA hæc, & turgida nimis Luciferi cupiditas, vt ad Dei æquiparantiam tendebat, sic attributa affectabat, quæ vni diuinæ naturæ conueniunt; summam, ac independentem potentiam, sapientiam infinitam, parem diuinæ boni-

bonitatem. Albertus Magnus, qui, non appetitu Deitatis, sed inordinato supernaturalis felicitatis affectu, peccasse Luciferum censuit, tria in beatitudine distinxit, perfectam potestatem, perfectam scientiam, & perfectam bonitatem, quæ vitiose appetuntur à creaturâ, cum vult, illa habere à se ipsâ, non alterius ope. Perfectam quidem beatitudinis scientiam, ait, ab Adamo, hoc modo, exoptatam, cum vetitum pomum degustando, aures præbuit diaboli verbis, *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*. Ab Antichristo, ait, summam bonitatem expetendam, dicente Paulo. *Extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*: volet enim Antichristus à se habere bonitatem, & statim, non autem eam per meritum expectare. A dæmone verò, inquit, peruersè, ac superbè concupitam fuisse beatitudinem secundum perfectionem potestatis, non considerata scientia, & bonitate; quòd statim à se ipso consequi illam voluerit. At ego hæc omnia, in tanta perfectione, quantâ Deus illa possidet, seu quantâ sunt Deus ipse, à dæmone expetita esse non dubito, superbo illo Deitatis affectu, quæ omnipotens potestas, ineffabilis scientia, & immensa bonitas est. Eam quidem potestatem appetijt, qua, vt ex Alcuino dictum, esset

Albe. Magn. de 4. coæu. q. 10. a. 4.

Genes. 1.

2. Thes. 2.

Alcuin. L. 1. de pec. orig.

Excelso similis, summo nec viribus impar.

Voluit enim reliquis creaturis, Angelis maximè, dominari, ac præesse, tanquàm supremus quidam Dominus nulli adstrictus legi, cui propterea liberum esset, de rebus, instar Dei ipsius, disponere, nulla habita eius moderaminis ratione, quo Deus præscripsit modum, quo superiores inferioribus imperarent. Huc respexit Augustinus, cum inquit, superbum Angelum, quodam quasi tyrannico fastu, gaudentem subditis, e cælesti paradiso pulsum. Id proculdubio est, fastigium illud singularitatis, ad quod, D. Gregorio teste, per iniquum desiderium conatus est ascendere. Id ius illud peruersę libertatis, quod appetijt, ex eodē Gregorio, vt præesset cęteris, & nulli subesset, nec Deo ipsi, cuius celsitudini inhiabat. Eādē amenti cupiditate, Dei scientiæ amplitudinem desiderauit, quod videtur Chrysostomus docuisse, cum inquit, diabolum è cælis

Augu. l. 14. de C. D. c. 11.

Greg. 34. Mor. c. 4.

L. 34. Mor. c. 17.

Chrys. hom. 17. in Genes.

è cælis deorſum depulſum eſſe, quia pluſquàm ſuæ dignitatis erat, ſapere volebat. Idem fortè à Hieronymo inſinuatum, cum de Lucifero ita ſcribit. [Idcirco corrupta eſt doctrina tua cum decore tuo, ſiue perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, vt dum plus vis eſſe, quàm conditus es, & magis ſapere, quàm à Deo acceperas, etiam id perderes, quod habebas, & pro pulchritudine, atq; doctrina, deformitas te, atq; ſtultitia poſſideret.] Quid verò diuini haberent ſumma poteſtas, & ſcientia, ſine ſumma bonitate? & hanc igitur ſuperbè voluit, quoniam à ſe voluit, quoniam æqualem diuinæ voluit.

Hieron. L. 9. in Ezech. c.

Petrus Abbas Cellenſis Monaſterij, ex cuius Epiſtola ad Magiſtrum Ioannem Saliſberienſem colligitur, claruiſſe circa annum nati Redemptoris milleſimum centeſimum octuageſimmum primum, in libro quē *de Panibus* inſcribit, egregiè confirmauit, tantùm auſiſſe Luciferum, dum ait, aſſequi eum voluiſſe, Patris omnipotentiam, Filij ſapientiam, Spiritus ſancti bonitatem. [Si quomodo ſic ſedeant tres (inquit, vbi de menſa Trinitatis loquitur) ſine graduum diſtinctione, & ſine honoris variatione, ſine loci diſtenſione, vel dimenſione; nullo modo apprehendas, noli mirari, quia nec vertex Carmeli (ideſt ſcientia Angeli) hoc comprehendit. *Deum enim, nemo vidit vnquàm*. Idcirco abſtinet, & ſuperponit digitum ori ſuo, neq; manum conferens menſæ, neq; os aperiens negatæ Diuinitati, vt velit eam deglutire. Vidit namq; conſortem naturæ ſuæ Luciferum, aliquando gulam deſiderij ad hanc menſam extendiſſe, & non, exinde diuinitatem, ſed mortem deguſtaſſe. Vidit, manum in lateribus Aquilonis porrexiſſe, & ſtatim glacie Aquilonari, riguiſſe, ſeu Gehennalibus flammis exaruiſſe. Fortè omnipotentiam Patris, fortè ſapientiam Filij, fortè bonitatem Spiritus ſancti, fera illa beſtia voluit deuorare; hæc enim ſunt fercula menſæ Dei, quæ ſoli Regi ſeculorum, immortali, inuiſibili debentur in ſeculorum.] Hæc Petrus Cellenſis.

Petr. Celleſ. Abb. lib. de panib. c. 1.

De ſcientia naturali id intelligendū, aut de illa cognitione, qua clarior haberi non poteſt, & dicitur cōprehenſibilis. Certum enim eſt, Beatos clarè Trinitatem cognoſcere.

Tale cum fuerit Luciferi facinus, multis illud nominibus, aliqui Patres appellauēre, haud contendentes diſtincti generis fuiſſe, ſed varijs vocibus idem ſcelus, explicantes,

quo

quò magis eius deformitatem patefacerent. Iam dictum, *incontinentiam*, & *Libidinem*, à Cyrillo Alexandrino, & Gelasio Papa I. appellatum, quòd inordinata cupiditate, ac stulto diuinitatis desiderio, allectus, Dei ipsius bona concupiuerit. Ignatius, & Tatianus, *inanem gloriam* vocant, quòd parem Deo honorem sibi arrogare præsumpserit. *Auaritiam*, idem Ignatius, quia nimiæ potestatis, & dignitatis amore, deliquit, *Furtum*, Hieronymus, quòd diuinitatem, quadam animi præsumptione, tentauerit inuadere. *Apostasiam*, Augustinus, quòd à Deo per superbiam defecerit. *Inobedientiam*, Beda, quòd diuinæ regulę oblitus, voluerit, limites creaturæ, inordinata cupiditate excedere. Cap. 27. Ignat Epist. ad Philip. Tatian. orat. con Græc. Hier. in c. 24. Iob. August Q. 11. vet & noui test. Beda in c. 8. Ioan.

Hæc sufficiant de crimine Luciferi, quæ à nobis, vt probabilia dicta sunt, non vt certa: nihil enim certi in Scriptura, aut inter Patres definitũ, cum quisq; pro suâ sententiâ Scripturam, & Patres, non temerè adhibeat.

CAP. XXXV.

Cuius Angelorum ordinis Lucifer fuerit. Asserentes non fuisse supremi, sed inferioris, cui terræ regimen commissum erat.

PATEFACTO, primi apostatę Angeli scelere; Cuiusnam ordinis Apostata ille fuerit, distinctè explicandum. Luciferum, eorum Angelorum, qui deliquerunt, Principem fuisse, à nemine uocatur in dubium. An uerò inter omnes Angelicos spiritus, primum obtinuerit locum, diuersa sensêre antiqui Patres.

Duos Angelorum ordines distinxêre quidam, alterum supercœlestium, alterum eorum, quibus curandę terræ prouincia à Deo demandata fuerat; Atq; censuerunt, Luciferũ ex classe eorum fuisse, qui terrestri ordini præerant. Huius opinionis D. Augustinus meminit, cum ita scribit. [Superior Aug. l. 11. de G. ad L. c. 10.

 pars

pars aeris, propter puram tranquillitatem, cœlo, cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius uocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo, nam nonnulli nostri non eos putant cælestes, vel supercælestes Angelos fuisse, non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem. [Papias, & Epiphanius, qui, ut Capite uigesimosexto retulimus, dixerunt, Luciferum, prauum effectum, circa creditorum sibi administrationem, huius sententiæ fuêre. Damascenus eam apertè docuit in hæc verba. [Ex ijs Angelicis virtutibus, ea, quæ præerat terrestri ordini, & cui à Deo terræ custodia commissa erat, non naturâ mala facta est, sed bona existens, & à bono facta, & nullo pacto in se ipsa à conditore, malitiæ vestigium tenens: non ferens illuminationem, & honorem, quem ipsi conditor indulserat, libera voluntatis potestate, demutata est ex eo statu, qui secundum naturam, in eum qui contra, & præter naturam est.] Michael Glycas sententiam, & verba Damasceni imitatur. Indicant horum Patrum testimonia ex infimis ordinibus Luciferum fuisse; licet namq; supremi quoq; Cherubin, & Seraphin in ministerium terrenorum, cum Deo placet, mittantur, attestante Paulo, omnes esse administratorios spiritus: communiter tamen, huiusce corporeę machinę cura, inferioribus Angelis committitur.

Papias ex Andr Cæs in Apocal. ser. 12
Epiph L. 2. hæres. 64.
Damasc. l. 2 fid. Orth c. 4.
Glycas p. 1. annal. c de diabolo.
Ad Heb 1.
Ad Heb. 2.

Suadet etiam quædam coniectura, Luciferum non fuisse inter omnes pręcipuum, quòd non videatur verisimile Deum optimum maximum, cui, existimandum est, supremum Angelorum dilectissimum fuisse, & amatissimum, permisisse, vt in peccatum turpiter laberetur, fieretq; perpetuò indignus ea fœlicitate, ad quam eum condiderat. Immò cum nobilissimus Angelorum fuerit, cæteris, naturæ similitudine, & acceptis muneribus, proximior Deo, in quem cadere nullo modo culpa potest, difficilè intelligitur, vt peccarit primus, ac tanta facilitate à creatore defecerit. Ezechiel propheta, in superiori quodam Angelorum ordine, non tamen supremo, Luciferum collocat, cum eum appellat

Coniecturę probantes Luciferum non fuisse primum inter omnes Angelos.
Ezech. 28.

Cherub:

Cherub: Cherubin enim sunt inferiores Seraphin. Tertullianus, & Cyrillus Hierosolymitanus, eum vocant Archangelum, alij, simplici voce, Angelum. Tertull.l.2. Marc.c.10. Cyril. Hier. Cath.2.

CAP. XXXVI.

Primum desertorem Spiritum fuisse omnium Angelorum Principem, ex Scriptura, & Patribus probatum. Cur aliquando Cherub, *aliquando* Archangelus, *aliquando* Angelus *dicatur.*



LVCIFERVM ex supremo Angelorum ordine fuisse, immò in eo ordine supremum, licet expresse Scriptura non definiat: id tamen ex eâ, summa probabilitate, & euidentibus ferè coniecturis, Patres collegêre; primò verbis Iob attendentes, vbi de Behemoth, ita habet. *Ipse est principium viarum Dei.* Behemoth proculdubio dæmonem significat, immanissimam feram, in hominum exitium intentam, qui dicitur *Principium viarum Dei,* non quòd temporis antiquitate, reliquos Angelos, aut res corporeas antecedat, Deus enim ab initio, vtramque simul condidit creaturam, corporalem, & spiritualem: verùm quòd, dignitate, ac naturæ præstantiâ, inter vniuersos Angelos, excelluerit. D. Hieronymus ad eum locum. [Hoc in loco, ait, hic esse mihi videtur sensus, quòd ad vias Dei ambulandas, & per obedientiã præcepta dominica obseruanda, Lucifer inter cæteras creaturas primus (idest præcipuus) à Deo sit conditus, & indè dictum sit; Ipse principium est viarum Domini. Nam in Ezechiele Propheta in capite lapidum ignitorum refertur, quòd primus fuerit omnium Angelorum, & corona in manu Domini.] D. Gregorius. [Principium, inquit, viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirùm, cum cuncta creans Deus ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis emi- Iob.40. Hier.in c.40. Iob. Ezech.28. D.Greg.l.32. Mor.c.18.

Ezech. 28. nentiorem fecit.] Ezechiel propheta Luciferum ita describit. *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & perfectus decore.* Et paulò post. *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* Non alia de causa antonomasticè *Signaculum similitudinis* appellatur, nisi quòd excellentius, quàm in alia creatura, eluceat in eo expressa Dei similitudo. Deãbulasse in medio lapidum ignitorum, innuit digniorem locum habuisse inter eos spiritus, quos Deus facit ignem vrentem. Tertullianus hæc de Lucifero accipit, omnium Angelorum

Tertull. L. 4. contra Mar. c. 10. eminentissimo. [Tu inquit resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis, & similitudinis resignaueris, plenus sapientia, corona decoris (hoc est vt eminẽtissimo Angelorum, vt Archangelo, vt sapientissimo omnium) In delicijs paradisi natus es.] Gregorius præcipuè Ezechielis authoritate, sæpè inculcat, Luciferum, charitate, atquè scientiã, vniuersos Angelos transcendisse. Alij Patres, de conditione Luciferi ante peccatum cogitantes, eum semper, insigni quadam singularis excellentiæ notâ, illustrant

Dyon. de diuin. nom. c. 2. Method. de rebus, quæ ab initio mundi contigerunt initio. Chrys. hom. de lap. primi hom. Hier. in Psal. 23. Comẽt. Mag. Sẽt ad 2. lib. d. 6. Interpret D. Th. 1. p. q. 63. a. 7. Palatius. 2. d. 6. disp. 1. Bonauent. 2. d. 6. q. 1. Palud. 2. d. 6.

Dionysius eum appellat antiquissimorum Angelorum primatem, Methodius Cyrus Episcopus Patharensis, speciosissimum, & inter omnes Angelos excelsiorem, Chrysostomus, ait, inter Angelos principatum obtinuisse, Hieronymus habuisse sub sua dominatione nouem ordines Angelorum. Apud Scolasticos id receptissimum, vt manifestum fiet legenti commentatores Petri Lombardi, & D. Thomæ, binorum Theologicæ facultatis, luminum. Singularis fere videtur Michael Palatius, qui sensit, Luciferum fuisse quidem supremum infimæ Hierarchiæ, at nequaquàm supremæ. Habet verò commune decretum sua argumenta. Non est verisimile, ait Bonauentura, voluisse Luciferum, per superbiã cunctis præesse, fieriq; similis Altissimo, ni vidisset, se inter omnes præcellere, dignitate naturæ. Si enim ex inferioribus fuisset, sufficere sibi putasset, supremo Angelo coequari. Petrus à Palude huic coniecturæ, alias adiũxit. [Luciferum, ait, summum angelorum fuisse perpenditur ex motiuo peccandi, quoniam vniuersalis superioritas, mouit eum ad appetẽdum

vniuer-

vniuersale omnium creaturarum dominium liberum, ac regimen per se vsurpandum. Item ex termino, quia ad quandam Dei paritatem conscendere voluit, quod non vsurpasset, si aliquem sê superiorem inter Deum, & se vidisset. Item ex consortio, quia de singulis ordinibus, ei tanquam principi, magna multitudo adhæsit.] Adde ex nomine: est enim dictus Lucifer, quòd eximiam lucem secum ferret; atq; vt sydus, à quo illi nomen datum, reliquas stellas, luminis claritate, antecedit, sic ille cæteris Angelis, naturæ excellentiâ, præstaret. [Vt Lucifer, inquit, Honorius Augustodunensis, micat inter astra, sic primus Angelus (idest desertor) fulsit inter Angelorum agmina.] Lucifer ergo eminentissimus inter cęlestes Angelos fuit: atque genus illud Angelorum terrestris ordinis, quibus præfuisse dicitur Apostata ille, sine ratione excogitatum, ac potius à Platonicâ doctrinâ acceptum, quam à Scriptura. Hinc Augustinus. [Asserant, inquit, hæc duo genera bonorum Angelorum, qui potuerint, vnum supercælestium, in quibus nunquàm fuit, qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum in quibus fuit: mihi autem fateor, vnde hoc secundum scripturas asserant, non interim occurrit.]

Hor. August. ser. de S. Michaelo.

Aug. 11. de G. ad L. c. 19.

C. 26. l. 11. de G. ad L.

Quanquàm autem fuerit inter omnes eminentissimus, Deo in primis charus, ac multis ab eo exornatus muneribus: quòd tamen liberæ voluntatis sit conditus, vt in quam vellet partem flectere se posset, siue boni, siue mali, Deus, qui suauiter omnia disponit, atq; quodammodo se accommodat creaturarũ agendi normæ, iustitè non impediuit, quin liberum eius creaturæ arbitrium, quod vellet operaretur: sicuti etsi Angelus ille beatitati fabricatus esset, si stetisset in veritate: quòd tamen idem Deus iustissimus sit, voluit iustitiæ suæ ordinem seruare, plectendo eius peccatum, æternis pœnis, quas illi parat, si non stetisset; exemplum proponens imbecillis mortalibus, quantùm illis laborandum esset, ne consensum pręberent iniquitati, quandoquidem permiserit, lectissimam creaturam labi, vbi proprio impellente consilio, labi voluit, ac eam a se reiecerit, & meritis affecerit supplicijs,

Soluuntur argumenta aduersa.

vbi

vbi lapsa est. Lapsu effectum, vt non appelletur Seraphin à supremo ordine, in quo fuit, amisit enim charitatem, & Dei amorẽ, sed Cherubin, quòd retinuerit scientiã, quę stare cũ peccato, & nequitiâ potest. [Cherub, ait D. Thomas interpretatur plenitudo scientię, Seraphin interpretantur ardentes, siue intẽdẽtes, Et sic patet quòd Cherubin denominatur à scientia, quæ potest esse cum mortali peccato: Seraphin verò denominatur ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali esse non potest. Et ideo primus Angelus peccans non est denominatus Seraphin, sed Cherubin.] *Archangelus* verò appellatus est, quasi omnium Angelorum princeps, nõ quòd Angelis tantum, idest, infimo ordine superior esset. Vnde Tertulliano Archangeli nomen sonauit omnium Angelorum eminentissimum, & sapientissimum. Dictus est, deniq; *Angelus*, non ab ordine, sed à naturâ.

D.Th p.p.q. 63.a.7.ad 1.

Tertull. sup.

CAP. XXXVII.

De peccato inferiorum dæmonum. Luciferi suasione peccasse. Quid suaserit, quomodo, & quando. Atq; an prius Lucifer à Deo defecerit, quàm illi deliquerint.



ECIT Luciferi inter cęteros principatus plenus arrogantiâ diuinæ celsitud nis, vt non modò desci sceret ipse à Deo, sed reliquos etiam quantum in se esset, ad turpẽ defectionem impelleret, ac duceret in votum suum. Neq; res irrita omninò successit. Licet enim Michael, coacto ingenti probatorum spirituum agmine, qui infame duxerunt, Dei castra desere, se opposuerit Desertori: permulti tamen, & quidem ex singulis ordinibus aliqui, supero Capiti adhæserunt, sponte, ac propriæ voluntatis consilio, quamuis nonnihil eius exemplo, & hortatu excitati. Dubium id Alberto Ma-

Magno, Alphonso à Castro, & Gulielmo Parisiensi, qui putant, nullo modo Luciferi suasione, sed propriæ tantum voluntatis impetu, reliquam dæmonum turbam peccasse. Quid ait Parisiensis, Superbissimus eis suasit? An vt sibi adhærerent, pręstarétq; honorem, tanquàm diuino numini & supremo principi? Inuerisimile est, huiusmodi incitamento, inferiores Angelos Dei iugum deposuisse: norant enim, vt potè naturâ sapientissimi, Luciferum esse creaturam, simul cũ illis conditam, esséq; Deum quendam, infinitis partibus perfectiorem, & excellentiorem Lucifero, sine cuius perpetua ope, ne breui quidem temporis morâ, nec Lucifer nec illi ipsi vixissent. Deinde, quomodo, quibusuè promissionibus, quibus blanditijs, terroribus, aut minis, id fecit? Quid diuini patrarat, quod suadere illis posset, dignum se esse diuino honore? Addit, difficilè esse explicare, quando nam Lucifer allicere cæteros Angelos ad malum potuerit. Non enim antequam ipse peccaret, quod instigatio ad malum, nonnisi à malo veniat: nec cum primùm peccauit: ob eandem causam: multò minus postquàm peccarat, quòd turpitudo in Lucifero ex peccato nata, eos potius à crimine abduxisset.

Alb. Magn. de 4. coę. q. 10 a 2. Alph. Castr. cõtra hæres. V. peccatum. Paris 1. p. de vniuer. p. 2. c. 60.

Frequentior est, mihiq; verisimilior, magnę authoritatis doctorum, sententia; minores Angelos, propria quidem libertate, ac voluntate peccasse: at voluntatem, occultis quibusdam suggestionibus, & stimulis ad crimen leniter à Lucifero incitatam. Appetijt superbissimus ille cælestes honores, ac in cæteros imperium, Deiq; similitudinem. Hæc cum haud sperare posset, ni sibi inferiores Angeli parerent, ac veluti supremo regi subijcerentur, blandis suasionibus, suauissimi cuiusdam Satanici imperij statum, si Dei iugum excuterent, sibiq; assentirentur, est pollicitus, ac gloriosius esse, insinuauit, substãtias adeo insignes, sê sê, quadam veluti Reipublicę formâ, omni tyrannide libera, æuum traducere. Huius dominatus, se indulgentissimum caput spondebat. Intumuêre illi, atq; oculos in propriam naturam conuertentes, præstantem, & insignem, ad maiora quam decebat, aspirarũt, aures pollicitationibus illis præbẽtes; ac, allecti maximè

D. Thoma omnesquè eius interpretes 1. p. q. 63 a. 8. Bon. in 2. d. 5 a. 2. q. 2. Aegid. d. 6. q. 1 a. 3. & alij multi.

pulchri-

pulchritudine,ac dignitate suadentis eiusdem naturæ,& ordinis,superbo, peruersæ cuiusdam libertatis, ac sublimioris vitę status, prætextu, rebellibus non absimiles, elegêre potiùs sub turpi capite militare, quàm Regi regum subijci. Norant quidem Deum esse infinitum bonum, ac longè nobiliorem Lucifero: at, vt Lucifer ipse, bonum illud pro sua libertate deseruit; id facere & illi pro sua libertate potuerunt. Hinc Draco extẽdisse caudã dicitur, ac secum tertiam stellarum partem traxisse. Hinc iustè nunc experiuntur, quale sit tyrannicum Satanæ imperium. Habet enim hoc ordo diuinæ iustitiæ, vt ait D. Thomas, vt cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in pœna secundum illud 2. Pet. 2. *A quo quis superatus est, huius et seruus est.*] Hinc merito ex Angelis Dei, facti sunt Angeli diaboli, quòd illi adhæserint, quòd eius exemplo deliquerint. Patres sæpissimè aiunt, primi dęmonis hortatu, inferiores lapsos esse. Ita Ambrosius, & Hieronymus. Eusebius Cæsariensis apertè inquit, primum dæmonem, alijs defectionis causam fuisse, Damascenus innumerabilem Angelorum turbam, se comitem Lucifero adiunxisse, Pantaleon Diaconus, Luciferum secum attraxisse infinitam rebellium multitudinem, quæ suæ stultitiæ, & malitiæ eum accepit adiutorem. Idem alij.

Occurritur coniecturis contrarium suadentibus.
Apoc. 12.
S. Th 1. p. q. 63. a. 7.
Matt 25.
Euseb. Cæs. l. 7. c. 6. de Præp. Euan.
Damasc. l. 2. fid. Orth c 4.
Pãtal. Diac. de Michaele Arch. miraculis.

Constat, opinor, quibus pollicitationibus, Lucifer reliquis Angelis peccatum suaserit. Quo modo suaserit, apertum est; nempe id factum, non locutione corporea, exteriori vè signo, sed conceptæ malitiæ per mentis locutionem, insinuatione, ac manifestatione, quæ ad omnes angelos dirigebatur, quòd optaret omnes in suam trahere sententiam.

Quando nam eos ad peccatum allexit? Antequàm ipse peccaret, non allexit, quoniam ante peccatum, non fuit suasor peccati. Neq; post peccatum id fecit, quoniam eodem tempore omnes peccarunt, vt iam dicemus. Eodem ergo momento, quo ad Dei solium aspirauit, ac concupiuit cęteris superbè dominari, sibiq; cęlestes honores deferri, id alijs patefecit, & suasit, quòd facere potuit, cum hæc necessario distin-

distincta temporis spacia non requirant.

An verò eodem prorsus temporis momento, quo Lucifer peccauit, suasitq; Angelis inferioribus, vt adhærerét sibi, peccarint, & ipsi: an eius peccatum, & adhortatio ad malum, horum nequitiam præcesserit. D. Bonauentura in eam sententiam inclinat, quæ asserit, priùs aliquâ temporis duratione, primum dæmonem peccasse, ac insinuasse suæ voluntatis vota reliquis Angelis, quàm illi assensum peccando præbuerint. [Tertia positio est, ait, quòd fuit ordo inter peccatum Luciferi, & aliorum dæmonum, & quantum ad gradum, & quantum ad occasionem, & quantum ad durationem. Quãtùm ad gradum, quia illud Luciferi fuit maius. Quantum ad occasionem, quia alijs præbuit exemplum. Quantum ad durationem, quia sicut in Lucifero necesse fuit, tempus ante esse, quàm pecaret, quoniam non potuit in eodem instanti habere cognitionem, quæ exigitur ad peccatum prærordinata affectione; sic in minoribus angelis dicunt fuisse in peccando, cum peccauerunt aspiciendo, quod Angelus volebat, & exinde aspiciendo commodum suum, & hæc positio videtur intelligibilior.] Bonauent. 2. d. 5. a. 2. q. 2.

Videtur verisimilius Luciferum, eo temporis momento, quo, per superbiæ scelus, Dei æqualitatem appetijt, ac suasit sententiã suam, malos eodem, quo suasit tempore, illi adhæsisse. Æqua enim fuit Angelorum omnium via, æqua in veritate mora, eodemq; puncto dæmones è cælo præcipitati: igitur eodẽ puncto dedêre causam præcipitio. Atq; sicuti, non assentior necessarium fuisse, vt prius tempore, Lucifer existeret, aut cognosceret, quàm peccaret: (cũ enim primo instãti, quo fuit, libertate arbitrij esset perfectè præditus, nobilium Theologorum decreto, probè, vel improbè agere pro sua libertate poterat) sic minimè necessariũ duco, ante, Luciferũ peccasse, & alijs suasisse peccatum, quàm illi assentirentur Lucifero. Eodem puncto, quo Lucifer suam sententiam aperuit, intellexêre profectò vniuersi Angeli eius vota: cur assentiri, qui vellent, non potuerunt, cum morâ temporis non indigeant ad ratiocinandum, eligendum, vel cõsetiendum? Vdalr. l. 2. Sũ. ex Dion. Carth. 2. d. 5. q. 1.

Mmm Faten-

Fatendum tamen, mentis aciem concipere, prius Satanam suasisse rebellibus Angelis peccatum, quàm illi, peccato, assensum præbuerint: id autem est, vt aiunt Scholastici, esse prius naturâ, non tempore; Hac ratione dicimus, lucis ingressum præcedere, vt causam, recessum tenebrarum, cum, eodẽ pariter instanti, quo lumen aduenit, tenebrę pellantur.

CAP. XXXVIII.

Crimen inferiorum dæmonum fuisse effrenatæ viuendi licentiæ desiderium, atque superbam cupiditatem nobilioris status, quàm ferret Diuinum decretum. De veteri errore dicentium, dæmones è cælo excidisse, quòd in fœminas exarsissent.



EIVSDEM verò generis fuit inferiorum dæmonum, ac Luciferi crimen, nempè superbiæ, quemadmodum sacri Doctores docent. Superbiæ autem causam nõ dedit æqualitatis Dei cupiditas; non enim tantùm ausisse putandum est, quantùm Lucifer ipse; neq; exoptare Lucifero summum imperium, & absolutum dominatum; appetierunt enim id, proprij cuiuspiam boni causâ. Fuit superbiæ caput, effrenatæ cuiusdam viuendi rationis libido, & eminentioris gradus, quàm eorum conditioni, Dei ordinatione seruata, conueniret, peruersa cupiditas. Hæc, cum à summo creatore ęquo, & bono, non expectarent; voluerunt, summam rerũ, & totius regiminis curã, penes Luciferum esse, à quo sperabant vitę licentiam, liberam, & immunem omni prorsus lege, quæ reprimere superbos animi impetus posset. D. Bonauentura mihi fidem conciliat, vbi explicato Luciferi peccato, inquit. [Dæmones ei subiecti, non sunt ausi tantum appetere: sed considerantes naturalium strenuitatem, voluerunt sub vmbra illius requiescere: ita quòd non ministrarent, sed quadã

Bon 2. d. 5. a 2. q. 1.

sub

sub illa potirentur voluntaria libertate, quam videbant, se non posse habere sub diuino dominio. Cognouerunt autem Angeli se esse factos ad participandum quietis beatitudinem & acquirendum per merita, & ministeria: in hoc ergo superbierunt, quia sine meritis voluerunt beati esse, & sine ministerio quiescere, & sine limite propriam voluntatem implere. Et hoc totum est superbire, quamuis non sit tantæ superbiæ, quantę fuit appetere omnibus præcellere, & nulli subesse.] Eò quidem superbiæ non venerunt inferiores dæmones, vt nullum prorsus sibi superiorem vellent; enormis tamen fuit superbia, cum minimè voluerint, eius dominio subesse, qui frenat superbiam, ac concupiuerint, cũ habere principẽ, qui eorũ votis ac superbis affectionibus, nullo modo resisteret.

Huiusmodi fuisse Satanicorum militum scelus, etsi haud sit vndequaq; exploratum, maximè tamen probabile: sicuti improbabile prorsus, ne dicam erroneum, quod olim à multis Patribus assertum reperio. Angelos malos extra cælestem aulam degere, quod fœdà cum venustissimis mulieribus consuetudine, se se spurcarint. Id opinati Ioseph Hebræus, Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, qui iuxta hanc opinionem, aliquando scripsit, Angelos nequam in pœnam mortis deputatos, quòd ad filias hominum è cælo ruissent: aliquando, à Deo, & cælo excidisse ob concupiscentiam fœminarum. Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Methodius Martyr, Lactantius Firmianus, & alij [a] alibi relati, idem docuêre. Verè hi Patres non explicant, sentirent ne, omnes dæmones, huiusmodi flagitio, è cælo ruisse: an verò aliquos, cum Lucifero, antequàm homo conderetur, lapsos esse, tum alios, quo tẽpore legimus in Scripturâ, filios Dei ad filias hominum accessisse, atq; eas sibi accepisse in vxores. Lactantius certè Firmianus non alios adiunxit socios fallacissimo illi spiritui, qui primò à Deo fuerat conditus, ab ijs, quos ipse in turpem mulierum consuetudinem blandè allexerat. Id mihi videor apertè colligere ex Lactantij sententiâ, quam subscribo. [Cum numerus hominum, ait, cœpisset increscere, prouidens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio

Ioseph Heb. l. 1 antiq. Iud.
Iust. Martyr. Apol. ad Senat. Rom. & Apol. ad Ant. Pium.
Iræn. l. 4. c. 70.
Tertull. de Hab. Mulieb. c. 2. & de veland. Virg. c. 7.
Clem. Alex. l. 3. & 5. Strom.
Cyprian. l. de Disc. & Hab. Virg.
Method. ser. de Resur.
Lact. Firm. l. 2. Diuin. inst. c. 51.
a Cap. 13 & 26. Genes. 6.

terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet, vel diſpergeret homines, quos in exordio fecerat, miſit Angelos ad tutelam, cultumq; generis humani, quibus, quia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia; ne terræ contagione maculati ſubſtantiæ cæleſtis amitterent dignitatem. Scilicet id eos facere prohibuit, quod ſciebat eſſe facturos, vt veniam ſperare non poſſent. Itaq; illos cum hominibus commorantes, dominator illæ terræ fallacisſimus, conſuetudine ipſa paulatim ad vitia pellexit, & mulierum congresſibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata, quibus ſe immerſerunt non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex Angelis Dei, ſuos fecit ſatellites, ac miniſtros. Qui autem ſunt ex his procreati, quia neq; Angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quandam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut in cælum parentes eorũ.] Hæc Lactantius, quibus non abſimilia ſcripſit Seuerus Sulpitius. Hauſerunt, opinor, hanc opinionem Patres à quorundam hebræorum interpretatione eius loci. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Acceperunt enim multi Hebræorum *filios Dei* pro *Angelis Dei*, quibus fauet vetus lectio, quæ habet. *Videntes Angeli Dei.* A qua lectione non recedunt D. Ambroſ. & Auguſtinus. Immò, & vulgata, quam hoc tempore ſequitur Catholica Eccleſia idem inſinuat: Siquidem in ſacris Paginis multoties nomine, *Filiorum Dei*, Angeli exprimuntur, vt patet D. Hieronymi ſententiâ, ex eo Iob. *Cum quadam die veniſſent filij Dei*, & alibi, *Cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.*

Seuer. Sulpitius l. 1. Hiſt.

Geneſ. 6. v. 2.

Ambroſ. Auguſt l. Q. ſuper Gen. 3. & de C D. l. 24. c. 15.

Iob c. 1. & 38.

Statuta ſæpè in hoc libro decreta, hunc errorem manifeſtè refellunt, quem fortè notauit Philaſtrius vetuſtisſimus ſcriptor, qui tempore S. Ambroſij vixit, fuitquè Brixiæ Epiſcopus, in libro de hæreſibus, dum inter hæreticos recenſet illos, qui adſerũt, Angelos miſcuiſſe ſe cum fœminis ante diluuium, & inde natos eſſe gigantes. Antonius Rhaudenſis, multis, erroris abſurditatem detegit, agitq; egregiè contra Lactantij commentum, eo Dialogo, in quo eius errata

Philaſt. de Hæreſ. de Gigantibus tempore Noë.

collegit, & refutauit (extat hic Dialogus in AMBROSIANA BIBLIOTHECA, eleganti manu exaratus, centum ab hinc septuaginta quinquè annis). Potissima argumenta, aliàs fusius explicata, hæc sunt. Angeli prorsus incorporei sunt: lapsi sunt primo die conditi orbis: omnes eodem puncto peccarunt: ergo nec corporum affectionibus tenentur, nec sunt generatione, ac semine fœcundi, neq; vsquè ad tempora Noè, Deo adhæserunt, ac in veritate steterunt. Itaq; *Filij Dei*, eo Genesis loco, haud sunt Angeli Dei, puri spiritus, sed iusti homines, nimirum posteri Seth qui Dei filij dicti sunt, tum quòd Enos filius Seth cœperit inuocare nomen Domini, vt sacra historia tradit, tum quòd iusti essent in conspectu Dei; Sic & à Christo, pacifici, vocati sunt Filij Dei. Quod si vetus lectio placeret, adhuc *Angeli Dei* significarēt probos homines. [Angelos autē fuisse etiā Dei homines nuncupatos, inquit Augustinus ad rem nostrā, scriptura sancta locupletissimè testis est. Nam & de Ioanne scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Et Malachias propheta, propria quadam, idest propriè sibi impertita gratia, dictus est Angelus] Quod ergo, qui à Seth originem duxerūt, fœminas ex progenie inuidi Cain adamarint, & acceperint in vxores, (quæ nō *filiæ Dei*, sed *filiæ hominum* dicebantur, quoniam vestigia parentum secutæ, humanis, terrenisq; rebus, addictę essent) ait Scriptura, *Videntes filij Dei filias hominum &c.* Sic intelligunt sacrę paginę verba multi Patres, Augustinus, D. Ioan. Chrysostomus, Athanasius, Theodoretus, Gennadius, Cassianus, & alij. Scriptura ipsa, eodem loco, explicat quibus ea turpitudo tribuēda sit, Angelis ne, an hominibus: vbi enim dixit, ex eo cōcubitu genitos esse gigātes, statim subdit. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; Pœnituit eum, quod fecisset hominem &c.* Quibus clarè significat, de sceleribus hominum, non Angelorum, ibi sermonem esse.

Genes. 4.
Augus. 15. de C. D. c. 23.
Marc. 1.
Malach. 3.
Aug. s.
Chrys. hom. 22. in Gen.
Athanas. in l. qu. ad Antioch q. 19.
Theodoret. in Gen. q. 47.
Gennad. in eum locum.
Cassian. Collat. 8. c. 21.
Gen. 2.

CAP.

CAP. XXXIX.

Certo tempore, scelus Dæmonum durasse, antequàm æterna damnatione punirentur. Potuisse, eo spacio, si vellent, Dei gratiam recuperare. Cur, ne vnus quidem eam recuperarit.



LICET verò à nobis statutum sit, eodem prorsus momento, quò Lucifer peccauit, reliquos dæmones eius exemplo, lapsos esse, quòd Angelica natura ad functiones intellectus, & voluntatis, non indigeat temporis interuallo: haud tamen deducendum est, malorum spirituum scelus, instanti tantùm, hoc est indiuisibili nostri temporis morâ, durasse, antequàm viæ periodus clauderetur, ac æternam damnationem consequerentur: vt enim certo tempore, quàmquàm breui in veritate steterunt ante lapsum, sic per aliquod spacium, in peccato perstitisse, ante pœnam, probabilissimum idq; docent communiter[a] Doctores qui de hisce quæstionibus subtiliùs agunt. [b] Aliqui putant, hac temporis morâ, dæmones, varijs actibus prauis, ac distinctis peccatis, ad idem superbiæ genus pertinentibus, prout Lucifer illis varia proponebat, & proprius elati animi impetus suggerebat, præscriptæ viæ tempus terminasse. Conformius est Patrum sententijs, qui vno ore fatentur, vnico peccato Angelos è cælo præcipitatos, quantulocunq; temporis spacio in peccato extiterint mali spiritus, antequàm peccati pœnas subirent, eodē semper tenore, & eadem animi elatione, obstinatè, & peruicaciter, id ipsum voluisse, quod, initio peccati, superbè appetierant, ita vt concepta principio superbia, non interrupta recenti cupiditate, vsq; in finem viæ perseuerarit: non enim illi, more nostro, paulatim, & veluti consultationibus, modò hoc, modò illud exoptabant: verùm, vt intelligere vnico intuitu potuerunt ea, quæ concupiuerunt, sic concupiscere

ca,

a Scot. 2. d. 6. q. 2. Biel Ibid. q. vnica a. 2. Molin. 1. p. q. 6. a 6. Salmeron in c. 2. 2. Pet. T. 16 & alij.

b Molin. sup. Ioan. Laurinus in locum cit. B. Petri. v. 4.

ea, vnico voluntatis actu, potuerunt, ac, re, concupiuisse existimandum, quòd ea natura, vt velox ad cogitandum, sic ad perficiendum sit pernix.

Grauis hinc disceptatio inter Doctores oritur: an eo tempore, quo, pertinaces spiritus, ante irrogatum supplicium, in peccato steterunt adhuc viatores, potuerint illud, salutari pœnitentiâ, detestari: an verò Deus, eo momento, quo primùm in superbiam prolapsi sunt, sic illos suæ gratiæ muneribus priuarit, vt rursus redire cum authore suo in gratiam non possent, ac perpetuas pœnas euitare. Equidem reperio apud sanctissimos, ac doctissimos Patres, Angelicam substantiam [c] inadeptiuam esse pœnitentiæ, [d] veniam malignitatis excludere, [e] atque hoc illi esse lapsum, quòd hominibus est mors, proptereaq; nullum ei fuisse pœnitentiæ locum, post peccatum, sicut neq; homini, post mortem; ex quibus collegêre [f] aliqui, dæmonibus, amissâ gratiâ, eo etiam tempore, quo in via fuerunt, denegatam à Deo fuisse omnem opem, quâ gratiam recuperare, ac declinare æternam damnationem possent. Idq; decretum, aiunt, à Beato Petro cum inquit. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit &c.*

An dæmones aliquãdo potuerint suum scelus detestari.

c Damasc. 2. fid. orth c. 4.
d Cassian. Coll 4. c. 14.
e Damascen. sup.
f Gab. Vasq. 1. p. disp. 239 c. 7. Molina sup. concl. 5.
2. Petr. 2.

Sentiunt [g] graues auctores, dæmones antequam se ipsos æternæ morti damnarent, eo tempore, quod eorum peregrinationi, seu viæ, destinatum fuerat, non fuisse adeò diuinis auxilijs destitutos, quin semper habuerint à Dei munificentia, cui proprium, misereri semper, & parcere, tantum gratię, quantũ sufficeret, vt possent, iniquitatẽ deponere, pœnitentiam agere, ac sempiternum ignem effugere. Mihi hoc decretum maximè probatur, quòd maximè congruum sit immensæ Dei benignitati, & bonitati, quę proculdubio voluit omnes Angelos saluos facere, antequàm ęternam damnationem subirent. Nimis seuerè actũm cum apostaticis spiritibus videretur, si vix conceptâ malitiâ, damnati essent: nec iure, diceretur, *humanum esse peccare, diabolicum perseuerare*, nisi postquã dęmones peccarunt, flectere se in bonũ aliquando potuissent. Sanè mens nostra concipit, breuissimo illo spacio, quod vix cœptum, deficit, instansquè dicitur, dæmones.

g Citati litt. a. excepto Molina.

Hoc argumẽto Io. Laur. in c.2.2. Pet. V.4. probabilem putat hanc opinionem.

dæmones in superbiam elatos, verùm adeo exiguâ morâ, illud crimen durasse, quòd sempiterno tempore plectendum erat, minimè consonum reputat. Igitur si status viatoris durauit, cur negata, sit gratia viatorum? Via Angelorum, hominũ vitę, non absurdè ęquiparatur. Homines quandiu hac luce fruuntur, quibuslibet sint onusti flagitijs, vt sanior opinio fert, nunquàm ita à Deo deseruntur, quin eam suę gratię opem habeant, quâ resipiscere possint: An Angelici spiritus tantis à diuina manu, naturę, & gratię muneribus affecti, in via, seu, vt ita dicam, in arena, existentibus, omne assequendi pręmij, & agendę pœnitentię remedium subtractum erit? Bellum, quod Michael, & asseclę cum prauis Angelis inierunt, quodam temporis interuallo, est peractum. Quid hoc tempore factum putas? Fortè contendebant rebellium agmen à cęli mœnijs arcere, neq; tamen poterant, vim illis facientibus malis? At, an verisimile dęmones, amisso diuinæ gratię robore, resistere potuisse Dei Angelis, munitis gratię pręsidijs? Scilicet contentione illa Michael, & socij, vt piè

Salmer. sup.

deducit Alphonsus Salmeron vir doctissimus, persuadebat Desertoribus, vt resipiscerent, conceptũ errorem detestarẽtur, atq; diuinę voluntati collũ submitterent: quibus adhortationibus obstinatè reluctãtibus malis, celerimè instar fulguris è Paradiso pulsi sunt. [Æquitati nititur ait Salmeron, vt si

Heb. 1.

Angeli boni in ministerium propter eos, qui hęreditatem capient salutis, ad nos mittantur: idem libentissimè officium, erga suos fratres, & conseruos pręstitisse: nam illis viciniores erant, & naturâ, & gratiâ. Quod si gaudium est Angelis, super vno peccatore pęnitentiam agente, ad quam illi hortantur, quanto magis de Angelo peccatore resipiscente exultassent?] Verè à Patribus non habeo firmum testimonium, quo id confirmem. Referuntur à Salmerone citato, Gregorius Nyssenus, seu Nemesius, Basilius, & Hieronymus: at nihil ego tale ab eis didici; fauere videtur Cyrillus Ierosolymitanus vbi innuit, Deũ aliquam rationẽ habuisse creaturę Angelicę, quę lapsa est, quòd ille solus sit impeccabilis, indicatq; propterea, diuinę indulgentię munera sensisse, quod ęgrè

Memes.l.1. Phil c. 3. Basil in c. 14. Es. Hier. in c. 1. Epis. ad Ephes. Cyril Ierosol. Cath. 2. Illum.

ftaret,

ſtaret, ni per aliquod tempus eam ad pœnitentiam expectaſſet. [Dicimus ſanè nos, inquit Cyrillus, ex parte quadam de illius erga homines benignitate, ſed neſcimus quanta ille, & Angelis condonauerit: quandoquidem ipſe tantùm vnus eſt, qui peccare non poſſit, qui purgat peccata noſtra Ieſus.] Affirmare tamen poſſum, eoſdem Patres, non adeò euidenter aduerſari, quin explicari multorum dicta aliqua ratione, poſſint. Nimirùm cum dicebant, Angelicam naturam patrati ſceleris pœnitentiam agere non poſſe, non obtinere locum pœnitudinis, atq; poſt caſum effectam mortuis ſimilem, qui iam tempus non habent operandi bonum; fortè mente agitabant errorem Origenis, & aliorum, qui, vt D. Hieronymus ſcribit, diabolo, & dæmonibus pœnitentiam, pollicebantur; contra huiuſmodi dogma, Patres ſine vlla exceptione pronunciabant, ſpiritalem creaturam, vbi peccauit, indulgentiam, aut veniam peccati excludere, eius temporis rationem habentes, quod peccatum, ac terminum viæ ſubſecutum eſt, non autem eius, quo in peccato, & via, perſtiterunt, ac propriè æternam damnationem promeriti ſunt. Vel certè, quòd exiguum valdè illud ſpacium fuerit, quo reſipiſcere potuerunt, nullum habuiſſe pœnitentiæ locum affirmabant: quamobrē multis coniecturis cauſam aſsignant, quare Deus hominibus longum pœnitentiæ tempus conceſſerit, non autem Angelis, vt ſequenti libro exponemus. Aut ſcripxêre nō fuiſſe Angelis malis locum agendæ penitentiæ, quòd licet abſolutè mutare conſilium potuerint, atq; eam Dei opem habuerint, quâ id præſtaſſent, ſi voluiſſent: in ſua tamen ſententia obſtinatè perſtiterunt, iuxta eius naturæ conſuetudinem, quæ conceptum ſemel propoſitum tenaciter ſeruat, ac difficillimè ab eo dimouetur: ſic vſitato loquendi more dicimus, homines, qui vitijs callum obduxerunt, atq; frequenti peccandi conſuetudine prauum habitum contraxêre, non poſſe benè agere; cum certum ſit, non deeſſe illis naturalem facultatem, quâ poſſint, & Dei auxilium, quod ſufficit, vt poſſint. Deniquè ad ea attendentes, quæ facta ſunt, non ad ea, quæ fieri potuerunt, aliqui aiebant, dæmones incapa-

Quo ſenſu aliqui Patres dixerint, Dæmonibus nullum fuiſſe pœnitentiæ locum.

Hieron. l. 8. in Eſ. c. 25.

ces, seu inadeptiuos fuisse pœnitentiæ, quòd neminem prorsus pœnituerit sceleris.

2. Pet. 2. Ex D. Petri sententia *Angelis peccantibus non pepercit*, an concludit, Deum non habuisse animum paratum, vt parceret? Minimè verò. Sed non pepercisse, quòd haud egerint pœnitentiam, constituto sibi tempore, quo præmij, aut pœnæ, bonè, malèue gestis, fieri digni poterant. Neq; hominibus, qui æterno supplicio sunt damnati, Deus pepercit, habuerunt tamen in hac vita à Deo eam gratiam, cui si respondere voluissent, Deus illis pepercisset. Ex eodem Beati Petri loco, atq; ibi allatis exemplis deduci potest, non fuisse negatum Angelis, antequam è cælo pellerentur, aliquem pœnitentiæ locum. Si namq; diuina bonitas, Mundum ante vniuersale diluuium, centum viginti annis expectauit ad pœnitentiam, & multum temporis ad resipiscentiam concessit ciuitatibus Sodomorum, & Gomorrhæorum: cur idem clementissimus Deus, tantillum qui, ac tantum gratiæ non concesserit malis spiritibus, quo si libuisset, extrahere se à cœno peccati possent?

Sed audio quid opponat insignis aduersæ opinionis assertor. Non potuisse dæmones à peccato resurgere, nisi Deus illis parasset Redemptorem: sicut homines resurgere a peccato non possunt, nisi vi supernaturalis auxilij, intuitu Redemptoris, concessi. Deum autem non statuisse Angelis redemptorem, indubitatum. Non est difficile paucis respondere. Angelis, vt a probatissimi Doctores tradunt, non est concessa gratia, quâ præseruare se à peccato possent, ex meritis Christi, aut intuitu alicuius Redemptoris, ergo potuit illis concedi gratia, quâ resipiscere potuissent, si peccassent, etsi illis non fuisset destinatus redemptor.

a Vege Bartholomæum Medinam in 3. p. q. 7. a. 5. vbi egregiè de hac quæstione.

Postrema huiusce capitis pars explicanda. Quid causæ sit, cur, cum infiniti propemodum dæmones Lucifero adhæserint, si tempus resipiscentiæ habuerunt, ne vnus quidē inter tantos, ad cor redierit, veniamq; petierit, ac impetrarit. In primis, aio, imperscrutabilia esse Dei iudicia. Deinde, nullum resipuisse, quoniam nullus prorsus voluit resipiscere,

piſcere, non quòd eis id auxilij defuerit, quod ſolet Dei liberalitas ijs omnibus concedere, qui adhuc ad metam non peruenerunt: verùm quòd, obſtinatiſsima voluntate, quamuis libera, ſemel amato malo, tenaciſſimè adhæſerint: non enim diuina gratia, nolentes, eiquè reſiſtentes, vi ad pœnitentiam peccatorum impellit.

CAP. XXXX.

Cur Moſes in ſacra Geneſi nihil apertè dixerit de crimine Dæmonum, cum Adæ peccatum abundè deſcripſerit.



PERIAMVS, loco coronidis huiuſce libri, cauſam, quamobrem, ſcelus malorum Angelorum, cum manifeſtiſſimum eſſet Moſi, & initio conditi orbis patratum, ſilentio prætermittatur in diuina hiſtoria; atq; crimen primorum Parentum, in quod inciderunt inſtigante dæmone, diſtinctè explicetur, & enarretur. Eandem cauſam omnes Doctores aſſignant breuem, ac facilem. Diuino conſilio, id factum, quòd Deus iuſtè determinaſſet, dæmonum culpam non ſanare, eosq; minimè reſtituere in priſtinum ſtatum: cum tamen Adę peccatum curare decreuiſſet. [Angelicum vulnus, ait author librorum de Mirabilibus ſacræ ſcripturæ, verus medicus qualiter factum ſit indicare noluit, dum illud poſtea curare non deſtinauit. Et qualiter ſit eiectus per ſententiam vindictæ reticuit, quem per pœnitentiam, nullo modo reuocauit. Peccatum verò hominis, quo modo factum fuerit profertur: ipſum namq; quandoq; promereri veniam non deſperatur. Et qualiter eiectus ſit homo indicare Deus maluit, quem ad ſtatum priſtinum, in nouiſſimo iterum reuocauit. Et quo modo animaduerſionis ſententiam accepit, non occultauit, à quo aliquādo per clementiæ ſuæ veniā, ſatisfactionem accipere non recuſauit.] Idem Albinus Flaccus.


De Mir. Sac. ſcript. l. 1 c. 2. T. 3. operum D. Aug.

Alb.Flac. l. q.in Gen.Inter. 3.

[Quare, inquit, Angelicum peccatum in Genesi absconditum est, & hominum patefactum. Resp. quia Angelicum vulnus Deus non prædestinauit curare, hominis verò sanare prædestinauit.] Itaq; ne rudes eo tempore homines, post aliquod crimen, de obtinenda venia desperassent, si animaduertissent, peccatũ Angelorũ non esse remissum, nec in omnes æternitates remittendum: decreuit Deus, ne apertiùs illud crimen recenseretur, quod exiguâ morâ patratum, veniam non inuenit, ac æterno supplicio est punitum: noluit verò Adæ peccatum reticeri, quòd licet pestilentis morbi causa fuerit, illicò tamen sempiternâ pœnâ, plectendum, non esset, sed aptissimâ medicinâ curandum, diuinâ misericordiâ: Ex quo mortales capere documentum poterant, illis, vbi lapsi essent, ad diuinum numen confugiendum, quòd mortalibus nunquàm occludit veniæ fores.



DE



DE DÆMONIBVS A PATRATO CRIMINE AD MVNDI FINEM.
LIBER QVINTVS.

CAP. I.

De bello Michaelis cum Lucifero. Ortum habuisse à peccato. Mente, & voluntate peractum. Cur pugna cælestis militiæ tribuatur Michaeli.

POSTREMVS nostri operis liber, eorum tractationi destinatus est, quæ ad malos spiritus pertinent, ab eo tempore, quo in admisso scelere obstinatè persistentes, è cælo præcipites ruerunt, ad mundi vsq; finem. Haud instituti nostri est exequi singula, quę disputari in hanc rē possent. Eorum potestas in elementa, in hominem, in bruta, in vniuersam hanc mundi machinam: admiranda, fœda, horrenda auditu, quę Magis, ac Strigibus,

gibus inseruientes operantur: Oraculorum, seu Idolorum responsa: sensuum ludificationes: simulata miracula: mortalitatis à Deo auocandæ studia: fallendi artes, & alia huiusmodi, haud sunt huius Libri. Agendum, iuxta propositam nobis seriem, quò Apostatæ isti, sceleris causa pulsi fuerint, quæ sit eorum ibi consistendi ratio, quæ conditio, ac potissimùm, quantis premantur calamitatibus, & pœnis.

Bellũ Angelicũ primo loco occurrit; cœptũ quidẽ antequàm rebelles à cælo excluderentur, atque æterno igni, latâ sententiâ, adiudicarentur: at terminatum, eorum è beata patria præcipitio, ac sententię executione. Gestum id certamen inter Michaelem præcipuè, & Luciferum, reliquis tamen Angelis bonis, & malis, sui ducis partes tuentibus, atque pro viribus pariter decertantibus. Commotum autem est, cum

Cap. 39. primùm mali in superbiam elati: illicò enim, vt superiori libro indicatum, Michael, & alij Deo adhærentes, omni conatu contenderunt desertores ad Dei castra reuocare, atq; omni studio suaserunt, ne pertinaces in proposito permanerent: quibus monitis, cum pertinacissimè mali reluctarentur, nihil se se à concepta sententia dimouentes, verè altercatio quædam inter eos erat. Ad hoc bellum, Patrum sententiâ,

Apoc. 12. v. 7. 8. respexit Ioannes in Apocalypsi, cum ait. *Et factum est prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neq; locus inuentus est eorum amplius in cælo.* Nullus, opinor, adeo hebes erit, qui putet, inter hosce spiritus certatum bellicis instrumentis, quibus homines vestiti carne vtuntur. Haud semper corporum viribus, aut armis dimicatur. Caro concupiscit aduersus spiritum: lex sensus, legi mentis, seu rationis, repugnat: intellectus cum intellectu decertat opinionum diuersitate: contentiones oriuntur inter intellectum, & voluntatem, cum aliud mens appetendum iudicat, aliud voluntas appetit: altercatur voluntas cum voluntate, cũ aliqui, diuersa affectantes, ac tẽdẽtes ad uarios fines, inter se litibus, & iurgijs contendunt, ut alter alterius impedimentum remoueat, ac quisq; propositum sibi finem consectetur.

Quo

Quo igitur pugnæ genere certare inter se spiritus possunt,eo certarunt boni Angeli,& dæmones;nempe intellectu, & uoluntate. Mentis quidē acie,opposita sibi boni,& mali proponebāt.Lucifer sibi ipsi obiecit,gloriosum esse, Altissimo æquiparari: ipsius asseclæ libertatem quandam, & ampliorem excellentiam sub Luciferi dominatu. Michael,& socij reclamabant,turpe esse creaturam ad creatoris dignitatem aspirare,nō subesse Deo, accepta ei nō referre,quæcunquè bona sperari possunt,& obtineri. Satanicum agmen,inani illa cupiditate inflatum , & cæcum, à Deo desciuit, atquè deposito Dei amore,in odium Factoris,& Benefactoris sui exarsit . Sanctorum Angelorum voluntas, semper ardenti in Deum charitate repleta,illi, summâ constantiâ, adhæsit, superbum dæmonum ausum abominationi habuit:ac summopere concupiuit, & contendit, vt desertores ipsos ad Deum reduceret. Sic pugna inter probos, & improbos orta, cui propriè,ac meritò,belli nomen datum. Inter Sanctos Angelos aliquando videntur suboriri contentiones,at longè diuersæ sunt ab hoc belli genere; neq; iustè bella,lites, & dissidia appellari possunt: concordi enim voluntate beati cum sint, omnia sua studia in Deum dirigunt. Angelus Iudæorum gentis,haud pugnauit propriè cum Angelo Regni Persarum quamuis dicat. *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus.* Diuersa vterq; Angelus merita referebat, ac varias causas proponebat, quamobrem Iudæi sub regno Persarum,eorumquè ditione esse deberent, aut certè ab eorum dominio liberari. Aiebat Præses Iudeæ gentis, æquum esse, vt ab ea seruitute librarentur, quòd iniustissimè ibi à Persis detinerentur. Aiebat Persarum Angelus,multùm commodi,& vtilitatis,ad maiorem Dei gloriam,ex ea Iudæorum seruitute oriri, quòd propagaretur diuinus cultus, ac per Iudæos, Dei nomen Persis innotesceret, ob idq; contendebat, non esse ex eo Regno extrahendos. Quoniam verò super hac re diuinæ voluntatis mandata expectabant, dictum est,tanto tempore,Angelum regni Persarum alteri restitisse, quanto Deus distulit, liberationem Iudæorum suo Custodi reuelare. Daniel. 10.

reuelare. Quare verè non pugnabant, cum parati essent ad concordiā reduci per ostensionem illuminationis desuper venientis, quâ vbi illustrantur, & in ipsa cognoscunt, quid iustum sit concordant omnes, diuinæquè voluntati parent. Huiusmodi voluntatum consensione haud pugnatum est inter Michaelem, & Draconem: ille nunquàm non est obsequutus diuinæ voluntati, nec vnquàm ab ea recedere destinauit: hic ex quo peccare cœpit, semper Dei placitis restitit, ac eius decretorum infensissimus hostis fuit, & erit.

Alb. Mag. de 4 Coæ. q. 8 a. 12.

Huiusce belli Princem, diuinę paginę, & sacri doctores, Michaelē perhibent, quod illi nomē ab hac pugna datū: decertauit. n. contra Luciferū, qui esse volebat, vt Deus, Hinc Michael sonat. *Quis vt Deus?* Michaeli etiā militantis Ecclesiæ cura committenda erat, propertereaq; conueniebat, vt aduersus eos bellum inchoaret, qui tantis insidijs, & machinis contra Dei Ecclesiam eiusq; ministros pugnaturi erant. Verisimillimum puto fuisse ex ordine Seraphin. Non definio, an inter eos, qui steterunt, naturæ dignitate, & gratiæ donis, fuerit præcipuus. Præclarissimis facinoribus nobilissimi Angeli destinantur. Gabriel, qui immaculatæ Virgini nuntiauit, æterni Patris Verbum ita assumpturum in eius vtero humanam carnem, in salutem humani generis, vt verè Mater Dei dicenda esset, communi sententiā, ex ordine Seraphin fuit. Cura Principum vtriusq; ordinis, Principatibus committitur. Magnum sanè opus, debellare omnium Angelorum, naturæ vigore valentissimum. Magnum opus à Dei regia eum pellerere, qui Dei solium affectabat; Ergo tanto muneri nonnullus ex supremis Angelis præficiendus erat, atq; ex Seraphin ęquius, vt magno in Deum odio, insignis in Deum charitas resisteret.

CAP.

CAP. II.

De duratione & exitu belli bonorum Angelorum cum improbis. Ethnicos scriptores nescioquid de hac pugna, & dæmonum præcipitio cognouisse.

MAGNVM hoc bellum durauit illud quidem, certâ temporis morâ, cum de expectenda Luciferi, & sociorum resipiscentia agebatur, ac contendebant boni, à proposito rebelles dimouere. Vbi tamen viæ tempus auolauit, atq; ad metam scelus peruenit, estquè completa dæmonum iniquitas: haud opus fuit morâ Dei militibus, ad obtinendam de suis hostibus gloriosè victoriam: nam, vt ait Gregorius, Angelicorum militum, contra aereas potestates, certamina, non cum labore, sed cum imperio aguntur. Pugnarunt sancti Angeli cum improbis, eos debellando, ac fugando: ac improbi, nec bonorum triumphum, nec propriam ruinam, retardare vel tantillùm potuerunt: dimicabant enim mundi spiritus eius præsidio, & iussu, cui nulla potestas valet resistere. Reluctabatur quidem superborum voluntas, qua de causa, vera pugna intercessit, at sine vllo prorsus euentu, sine vlla victoriæ bonorum retardatione. Hinc Satan, & Angeli eius dicuntur è cęlo cecidisse instar fulguris. Hinc qui pugnabat draco, & Angeli eius, *Non valuerunt, nequè locus inuentus est eorum amplius in cælo.* Hic belli exitus, ęternum à beata patria exilium, de quo hæc Ioannes. *Et proiectus est Draco, ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt.* Prætermittere non debeo, insigne adeò ac memorandum fuisse id bellum, adeòq; celebrem dęmonum, è cęlo ruinam, vt eius fama ad prophanos Ethnicorum scriptores peruenerit. Iustinus Martyr testis est, Homerũ in-

Greg Magn. in c. 10 Dan.

Lucæ 10.

Apoc. 12.

Iustinus in Admonit. tellexisse Satanæ è cęlo pręcipitium, cum de Ate à Ioue è cęlo deturbata scripsit. [Similiter quoque, ait Iustinus, de humani generis hoste de cęlis proiecto, quem diuinę Scripturę diabolum nuncupant (id enim nomenclaturæ à prima in hominem calumnia sortitus est) si quis exactè cõsiderauerit, inueniet, à Poeta mentionem factam, non quòd eum proprio diaboli signarit nomine, sed ex pessima illius operatione cognomen indiderit: quippe, qui Ἄτην hoc est damnum appellauerit, idquè de cælo ab ipsorum Deo detrusum asseruit. Et tanquàm exactè memor verborum, quę de illo protulit Esaias Propheta, in sua poesi scriptum reliquit.

Actutum comptis damnum cepisse capillis
Dicitur iratus, stabilem iuratus Auernum
Nunquam stelligeros rediturum rursus in axes,
Sic factus celso damnum detrusit Olympo.


Cæl. Rodig. lec. antiq. l. 1. c. 7. Aud etiam Cœlium Rodiginum multæ eruditionis virum, qui ex sapientioribus, vetustioribusq; id obseruauit [. Nos in litteris antiquioribus, inquit, à Pherecyde traditum obseruauimus, dæmones olim cælo lapsos, quod nostra continet doctrina, Ophioneumq; nominatum, hoc est dæmonicum serpentem, qui antesignanus fuerit agminis ab diuinæ mentis placito deficientis. In mysterijs exploratum illud quoquè: Iouem, quandoq; dæmonas inferiores ad inferna deturbasse. Adde quòd, & Pythagorica doctrina hoc ipsum ferè opertiùs referre animaduertitur, dum fractis alis, animam labi è cęlo fingunt, inq; nouem distribuunt gradus, tanquam nouenarium Angelorum chorum. Quin & in sermone, qui est de fœnore Plutarchus, Empedoclem huiusmodi dæmonum è cælo lapsum nouisse, significat, vbi ait, Semel fœnore illaqueatum euadere non posse, verum oberrare, perinde ac dæmonas à Deo fugati, èq; cęlo dati in præceps, apud Empedoclem. Quos æter ad maris ima deturbarat, illo ad terram reiectante, hacq; rursus extimulante in altum, qui illinc mox alio contruderentur.] Idem Eugubinus obseruat.

Eugub. 18 de Per. Obil. c. 38.

CAP.

CAP. III.

Magnam Dæmonum turbam, è cælo à Michaele præcipitatam. Incertum eße numerum, quamuis Gulielmus Parisiensis, eum distinctè definierit. Quòd plures fuerint boni Angeli, qui steterunt, quàm mali, qui corruerunt.



I quis verò à me peteret, quot, è cælo, dæmones, bonorum spirituum pugnâ pulsi fuerint. Ingentem turbam corruisse constanter affirmo: cum enim defectionis caput fuerit præstantissimum, & nobilissimum, permultos se illi vltrò dedisse, non absurdè cogitandum. Nazianzenus ingens fuisse Luciferi agmen, hisce carminibus tradit. Naz. car. 6. de substan. mente præd.

Lucifer haud solus cecidit, verum agmine septus
Ingenti sceleris, cui dux fuit, atq; magister.
Nam velut auertit commissum proditor agmen
Regis ab imperio: multas sic ille cohortes
Regis ab obsequio magni, cætuq; piorum
Abductos ad se allexit: nam scilicet ipse
Imperium in multos prauos cupiebat habere.

Sanè in maximo numero dæmones in hoc aere versantur, D. Paulus memorat Principes, & Potestates, mundi rectores tenebrarum harum, spiritalia nequitię in cælestibus: sub Principibus, autē, & Potestatibus quāplurimi militāt. Patres [a] sępe aiunt, ingentem malorum spirituum turbam, istum aerem peruolare, magnam hostium cateruam non procul à nobis discurrere, in tantâ copiâ, vt, diuino priuilegio, [b] ab aliquibus visi, comparati sint, innumerę atomorum multitudini. Quot præterea in tartareo carcere, cum Lucifero detinentur. Hæc multitudo quanta numero sit, vt Scriptura, & Patres, nihil tradunt, sic vanum, & inane futurum duco quidquid re-

Ad Ephes. 6
a D. Anton. ex Athan. in eius vita.
b Lege Diō. Cart. in cap. 14 Dion. Ar. de cæl. Hier. a. 63.

ſpondeatur. Gulielmus tamen Pariſienſis, qui ait, tot malorum ſpirituum cecidiſſe, quot ad vnum ordinem conficiendum ſufficerent, diſtinctè numerum aſſignauit. [Theologi Chriſtianorum, ait Pariſienſis, ponunt decimum ordinem ſolum cecidiſſe, ſic intelligentes, non ſecundum planum litteræ, quia decimus ordo nunquàm fuit: ſed ſecundum æqualitatem, quod eſt dicere, quia tot ceciderunt, quot vnus ordo continet, ceciderunt inquam ſecundum eos, ita quòd ex vnoquoque ordinum aliqui, ita quòd ex omnibus ſimul aggregatis, ſumma vnius complectitur.] Cùm ergo iuxta huiuſce authoris mentem, tot legiones ſint in vnoquoq; ordine ſubſtantiarum abſtractarum, quot ſunt in vna legione Angeli, legionis autem numerus ſit ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex: apparet euidenter, ſi dicamus ad numerum integri ordinis Angelorum, aſcendere multitudinem dæmonum peccantium: cecidiſſe ſex mille, & ſexcentas ſexaginta ſex legiones malorũ Angelorum, quæ conſtituunt numerum 44435556. dęmonũ. Incerta prorſus res, quã, vti dictũ, ſacræ litteræ, & veteres religionis noſtrę magiſtri reticuerunt, contenti ſcire, *Quod nouit Deus, qui ſunt eius*. Meâ ſententiâ, longè maior eſt dæmonum numerus, vt ea inſinuant, quæ initio capitis diximus. Adijcio ſemper vnicuique hominum dæmonẽ aſſiſtere, immò nonnunquàm vni, infinitã illorum multitudinem. Si moris eſſet, frequenter exempla adhibere, multis id oſtenderem. Sanè quindecim millia dæmonum adfuerunt morti cuiuſdam Cunonis vitæ probitate inſignis, vt teſtis eſt Cæſarius Heiſterbachenſis: Dęmon ipſe, vt ſcribit idem Cæſarius, retulit Vualtero cuidam, in pergrandi sylua non extitiſſe tot arborum folia, quot dæmones aderant morienti cuidam Abatiſſæ, quæ ſanctiſſimè vixerat. His, vt temerè fidem non abrogo, ſic non imprudenter mihi videor conijcere, infinitum propè malorum ſpirituum numerum, in vaſta hac totius mundi vniuerſitate, ad decipiendos mortales, commorari, ac longè excedere definitam à Pariſienſi ſummam.

Gul. Pariſ 3. p. de Vniu. c. 8.

Pariſ p. 2. Secunda p. de Vniu. c. 95. Pariſ. l. c. 94.

2. Timot. 2.

Cęſar Heiſt. l. 11 Mir. c. 17. l. 12. c. 5.

Statuere tamen certò poſſum, licet numeroſum adeo

fuerit

fuerit dæmonum agmen, quod deturbatum est è sancta Ciuitate: plures tamen fuisse bonos, qui steterunt, quam improbos, qui collapsi. Id Theologi vno ore fatētur, D. Ioannis autoritate freti, vbi de Lucifero sub nomine Draconis, qui cum Michaele pugnauit, ita scribit. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Stellæ cæli, omnium ferè Patrum sententiâ, sunt mali Angeli, qui partes Luciferi secuti sunt. Hugo Victorinus confirmauit commune theologorū decretum, allegorica interpretatione quorundā verborum, Elisei prophetæ. [Omninò, ait, probabile videtur, plures remansisse, quam cecidisse. Propheta enim cum demonstraret currus igneos, consolans ait; Plures sunt, qui nobiscum sunt, quàm cum alijs. Hinc conijcimus plures esse electos Angelos, quàm reprobos] Cyrillus idem docuit, cum ait. [Quid est quæsò, quod te vehementer facit tristari, quia fortassis aliqui ob insolentiam, vitam beatam amiserint? At sunt plures, qui meliorem apud Deum obtinent statum, eiusq; mansuetudine repleti, longis, assiduisquè laudibus eum efferūt.] Augustinus etiam definit bonorum Angelorum longè maiorem numerum in cęlestibus, suę naturæ ordinem seruasse. D. Thomas dat rationem. [Dicendum ait, quod plures Angeli permanserunt, quàm peccauerunt, quia peccatum est contra naturalem inclinationem. Ea verò, quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt. Natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel vt in pluribus.] Homines quidem, qui nihil agnoscunt, nisi illud sensu perceperint, facilius malum, quàm bonum consectantur, quòd sensibilibus adhæreant, quæ notiora, & plerunquè pugnantia cum ratione. Angeli, haud sensibilium escâ falluntur, cum nihil corpori affine habeant, sed sola mēte sine sensuū ope intelligant. Probabilis coniectura: at minimè certa, vbi de creaturis libertate arbitrij præditis, ac in malum flexibilibus sermo est, quę si voluissent labi omnes potuissent.

Plures angeli in cælo steterunt, quā dæmones corruerunt.
Apocal. 12.
Hugo Vict. de Sacram. L. 1. p. 5. c. 31.
4. Reg 6.
Cyril. in Gē. L. 1.
August. 11. de C. D. c. 23.
D. Th. 1. p. q. 63. a. 9. corp.

CAP.

CAP. IV.

An Angeli nequam, qui Michaele pugnante, ceciderunt, ex certo ordine lapsi sint: an ex omnibus ordinibus, aliqui ceciderint.

De hac sententia actũ lib. 4. cap. 35.

QVI vniuersam Angelorum multitudinem in duas distribuunt classes, eorum, qui in cælesti domicilio conditi sunt, & illorum, qui in regione aeris: ex postremis tantùm voluerunt cecidisse malos spiritus. Aliter nobis sentiendum, qui hanc ordinum distinctionem non admisimus, decernentes, omnes Angelos creatos esse in Empyreo, atq; Luciferum inter cælestes spiritus, supremum fuisse. [Cum enim (vt inquit Bonauentura) de supremo ordine aliqui auulsi sint, vt Lucifer, credendum est, quod omnes senserunt aliquam ruinam.] Ita credunt omnes Theologi: ita docuerunt antiqui Patres, cum aiunt ad Angelicam ruinam reparandam, electos homines ad singulos Angelorum choros assumi. Vno vtor D. Gregorij testimonio, vbi hanc singulorum ordinum per peccatum dęmonum imminutionem, ac reparationem, substitutione bonorum hominum, suauissimè in hunc modum descripsit. [Fortissimi Angelorum chori, inquit, qui quamuis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis Angelis diabolo, remanserunt, prępurupti, & imminuti possunt dici quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per ęqualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prępurupti, & imminuti. Hanc prępurptionem restituere mediator venit, vt redempto humano genere, illa Angelica damna sarciret, & mensuram cęlestis patrię, locupletius fortasse cumularet. Propter prępurptionem de Patre dicitur; Proposuit in eo in despensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quę in cęlis, & quę in terra sunt in ipso. In ipso quippe restaurantur ea, quę in terra sunt,

D.Th p. p. q. 63. a. 9. ad 3. Bon. 2. d. 6. q. 2. a. 1.

Greg. in Iob. l. 31. c. 19.

Ad Ephes 1.

ſunt, dum peccatores ad iuſtitiam conuertuntur. In ipſo reſtaurantur ea, quę in cęlis ſunt, dum illuc homines humiliati redeunt, vnde apoſtatę Angeli ſuperbiendo ceciderũt.] In omnibus ergo Angelorum ordinibus eſt aliquid imminutum, ſeu reparandum, locus ſcilicet eorum, qui ceciderunt ob peccatum. Hîc libertas arbitrij egregiè prodit: quę ſecundum quemlibet gradum creaturæ in malum flecti poteſt: hîc creaturę imbecillitas apertè dignoſcitur, cum in quolibet Angelorum ordine aliqui peccarint.

Haud tamen, quamuis ex omnibus Angelorum ordinibus aliqui ceciderint, omnibus Angelicorum ordinum nomenclaturis, appellantur dęmones. Scriptura, nomina Seraphin, & Tronorũ aduerſis poteſtatibus nõ cõcedit. Luciferum appellat Cherub. A Patribus Archangelus ſępè vocatur. Malę Virtutes, Poteſtates, & Principatus tenebrarum atq; Angeli diaboli, in ſacris oraculis occurrunt: nullibi ſatanici Seraphin, aut Throni tartarei, mali ſpiritus nuncupati. Accepi à D. Bonauentura hanc rationem. Dęmones non appellantur vocibus Seraphin, aut Thronorum, quòd ſua vi aliquid ſignificent bonorum peculiare; Seraphin enim dicitur charitatis incendium: Throni verò ſignificant ſeſſionis quietem per gratioſam inhabitationem ad iudicandum, quę in dęmonibus non repeniuntur. Cœtera verò nomina tribui dęmonibus poſſunt, quod bonis malisq; ſit communia, qualia ſunt, quę indicant ſcientiam, poteſtatem, dominium, & huiuſmodi.

Ezechiel. 28.
1. ad Theſ. c. 2
Luce 22.
Ad Epheſ. 6.
Matt. 25.

Pon. 2. d. 6. q. 2. a 1.
Idem D. Th. 1. p. q 63. a. 9. ad 3.

CAP.

CAP. V.

Daemonum numerum, ex quo ceciderunt, nunquàm augeri potuisse recenti bonorum Angelorum lapsu, aut imminui, malorum resipiscentiâ. Origenis, & Nicetæ error notatus.

EX quauis autem Angelorum classe mali spiritus ceciderint, quotquot numero fuerint à Michaele è cælo deturbati, augeri, aut imminui eorũ numerus nullo modo potuit, alicuius Angeli lapsu cuiuslibet ille sit ordinis, vel dæmonis resipiscentiâ, postquàm à Dei aula improbi eiecti sunt. Turpis Origenis error si id sensit, quod illi tribuunt multi Patres, præcipuè Hieronymus: posse denuo Angelos fieri dæmones & contra: atq; homines si negligentiùs egerint in pessimos dæmones commutandos. [Origenes, inquit Hieronymus, sic permiscet omnia, vt de Archangelo possit fieri diabolus, & rursus diabolus in Angelum reuertatur.] Paulò infra inquit, ex ore eiusdem Origenis, omnes rationabiles creaturas ex hominibus posse fieri, non semel, & subitò, sed frequentius: nosq; & Angelos futuros dæmones, si egerimus negligentiùs: & rursum dæmones si voluerint capere virtutes peruenire ad Angelicam dignitatem. Hæresis omnibus notissima, & passim à Patribus, & Scholasticis refutata quã nos in fine libri vberiùs referemus, ac refellemus. Notandus hîc etiam, & euitandus error Nicetæ Serronij, qui in suis scholijs ad Gregorium Nazianzenum ait, Dei Angelos ante resurrectionem Domini non fuisse omninò in bono immobiles, ac ante illud tempus labi, & peccare potuisse, quãquàm difficulter: beneficio autem Christi resurrectionis, factos esse omninò stabiles in bono. Elicit id ex Gregorij authoritate, qui inducit Angelum in sancto paschate clamantem. *Hodie salus mundo tam visibili, quàm inuisibili*. Ad quæ verba Niceta

De sententia Origenis, in fine libri agetur fusius. Hier Ep 59. ad Auitum.

Nicetas in orat. 2. Greg. Nazian. in Pascha initio.

Niceta dum inuestigat, quæ salus allata sit mundo inuisibili (bonis nimirùm Angelis, nam Lucifer, & eius gregales, nec ad meliorem mentem redierunt, nec salutem consecuti sunt) hæc scribit. [Angeli autem, qui priùs hanc rationem habebant, vt difficulter quidem & ægrè ad malum moueri possent, post Christi resurrectionem id consecuti sunt, vt iam ne moueri quidem ad malum queant, non naturâ suâ, sed gratiâ. Atque ita illis salus esse potest ipsa status confirmatio, non iam metuentibus ne in deterius mutentur, atq; eam ob causam pereant.] Hic error, fateor, sub quadam dubitatione à Niceta proponitur: quomodocunq; tamen proponatur apertè pugnat cum veritate, Post casum nullam superfuisse malis spem salutis, erit alibi dicendi locus. Sit interim, æternis pœnis addictos fuisse post peccatum. An probi Angeli à Deo, qui pronior est ad præmia, quàm ad supplicia, non erunt consecuti perpetuam ob merita felicitatem, cum improbi ob peccata sempiternis pœnis sint affecti? Æquissimum, & Catholica veritate, certum. a Gabriel de se ipso. *Sum Gabriel, qui asto ante conspectum Dei*, idest Deum video. b Angeli Dei semper vident faciem Patris: antequàm Christus à mortuis reuiuisceret: hæc .n. dicta à Christo, antequàm Cruci affigeretur. Igitur Beati erant perfecta beatitate, quæ iacturæ angustijs caret. Igitur labi non poterãt, qui non poterãt non amare summum illud bonum, quòd possidebãt. [Angeli, inquit Hieronymus, licet nõ peccent: capaces tamen peccati sunt, vt apparuit in alijs Dngelis eiusdem naturæ peccantibus. Sed post eos nullum Angelorum peccasse credendum est: quia omne liberum suum arbitrium in solius Dei charitatẽ verterunt: sicq; immobiles facti sunt, persistentes in veritate, in qua Lucifer cum suis stare noluit. Proinde Angelorum voluntas per amorem Dei facta est inconuertibilis, quæ in Deo est per naturam.] Quid salutis accessit, *mundo inuisibili*, bonis scilicet Angelis, cum Christus, debellata morte, à mortuis resurrexit? Tantum salutis, voluptatis nimirùm, & gaudij, mundis spiritibus tunc accessit, quantũ doloris, & molestiæ, immundis. Lucifer, & socij, primo illo superbiæ crimine

a Lucæ 1.

b Matt. 18.

Hieron. in c. 25. Iob.

Explicatur Nazianz. locus.

patrato, omnem pœnam, quam essentialem Theologi vocant, consecuti sunt. Ideo hæc, Christo reuiuiscente, nihil aucta. Aucta tamen est accidentaria, quòd humanæ naturæ morbus, quo dæmones tantopere gaudebant, sit perfectè curatus, quòd hominibus apertæ sint fores ad cælum, vnde ipsi corruerant, quòd demùm ex eorum faucibus Christus prædam eripuerit. Michael pariter & Angeli eius, statim ac probationis, seu peregrinationis tempus in charitate persistentes absoluerunt, adepti sunt sempiternam gloriam, & absolutum præmium, quod essentiale dicitur: ideo ad istud præmium nulla vnquàm posteà accessio facta: quodam tamen accidentario gaudio perfusi sunt, cum intellexerunt, à Christo perfici redemptionis humani generis opus, atq; iam aduenisse diem, quo restauranda esset Angelica ruina, non equidem condonatâ lapsis spiritibus culpâ, sed hominibus in eorum locum, Redemptoris gratiâ, suffectis. Hęc fuit mundi visibilis, & inuisibilis salus, de qua &
Ad Colos. 1. Paulus, cum de Christo loquitur, inquit. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Gre-
Greg in Iob L. 31. c. 19. gorius Magnus superiori capite citatus, hanc salutem, non
Ad Ephes. 1. absimili sensu celebrat, ab eodem Paulo edoctus. [In ipso ait restaurantur ea, quæ in terra sunt, dum peccatores ad iustitiam conuertuntur. In ipso restaurantur ea, quę in cęlis sunt, dum illuc homines humiliati redeunt, vnde apostatę Ange-
Niceta sup. li superbiendo ceciderunt.] Niceta ipse non repugnat hanc fuisse Nazianzeni sententiam. [Nonnulli, inquit, hoc loco per salutem, incolumitatem, & integritatem intellexerunt: quæ quidem tunc nobis contigit, cum per peccatum oppressi, rursus per Christi resurrectionem incolumitati restituti sumus: Angelis autem, quia iuxta parabolam Euangelicam, inuenta oue, quæ aberrauerat, aut drachma, quæ amissa fuerat, quod cælestibus copijs deerat, expletum est.]

CAP. VI.

Quò dæmones à Michaele præcipitati fuerint. Doctores, qui insinuant, omnes in hunc aerem caliginosum detrusos, vsquè ad Iudicij vniuersalis diem.

REDEAMVS ad spiritus debellatos. Profligato bello, non est amplius eorum in cælo inuentus locus. Nam *proiectus est Draco ille, qui vocatur diabolus, & Satanas in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.* Si in terram missi, alia ergo sedes à cælesti digna flagitio illis data, atq; è cælo localiter detrusi. Leges in probatis auctoribus lapsum malorũ Angelorum haud pertinuisse ad locum, sed ad dedecus, ignominiam, ac pœnam: in libro Constitutionum Apostolicarum, sic extat. [Deus qui fortem è cælo in terrã instar fulguris erumpere fecisti, non eruptione ad locum pertinente, sed honoris in dedecus mutatione, idquè propter voluntariam mentis malitiam &c.] Andreas etiam Cæsareæ Capadociæ Archiepiscopus ait, Luciferi è cælo lapsum, haud fuisse localem. Verùm ista eò non spectant, vt Satanam è cæli loco pulsum inficientur: sed vt ostendant, more corporum, quæ naturali pondere deorsum ferũtur, inde non corruisse: vel de ruina à statu gratiæ in statum culpæ loquebantur, quę loci mutationem sê sê non postulat: Hoc sensu Claudianus Mamertus scribit. [Postquàm Lucifer improbè superbiâ tumuit, & inuidiæ febre tabuit, spontè illocaliter sanctitate prolapsus, eaq; localiter è cęlo non spontè deiectus, quoniam non Angelus, sed bonus esse cessauerit, innocentiam perdidit non naturam.] Res certa, atq; extra controuersiam, dæmones è cæli loco collapsos. Quâ verò custodiâ detineantur, postquàm lapsi sunt, non videtur adeò certum: non quòd

Apoc. 12.

Lib. Const. Apost. c. 7.

And. Cæs. Archiep. in Apoc.

Claud. Mamer. l. 3. de statu animç.

vllus Catholicorum doctorum dubitet, quin inferni carcer, seu gehenna ignis, omnibus dæmonibus sit destinata: verùm, quòd veteres Patres, ac Scholastici apertè insinuent, in hoc caliginoso aere, diuinâ prouidentiâ, detineri vsquè ad eum diem, quo æternus Iudex in omnes sontes sententiam ferет. Et quidē plures antiquorū Patrū videntur opinati, caliginosū hunc aerem vniuersis dæmonibus, vsq; ad mundi finē, quasi carcerem, datum: extincto orbe, omnes in profundum barathrum pellendos: Aiunt.n. generale omniū examen, tēpus illud esse, quod damnandis æterno igni dæmonibus reseruatū dicitur à B. Petro, cū inquit. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.* Quibus similia, ea B. Iudæ, *Angelos vero, qui non seruauerant suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Ex his ita arguit Augustinus. [Peccasse autem quosdam Angelos, & in huius mundi ima detrusos, qui eis velut carcer, vsq; ad futuram in die iudicij vltimam damnationem, Apostolus Petrus apertissimè ostendit dicens, quòd Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus inferni retrudens tradiderit in iudicio puniendos reseruari.] Eadem habet in Psalmos, vbi etiam explicat, quomodo dicantur rudentibus inferni traditi, si degunt in hoc aere. Verba Augustini hæc sunt. [Ad istum caliginosum aerem, tanquam ad carcerem damnatus est diabolus de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum Angelis suis. Nam & Apostolus de illo dicit. Secundum principem potestatis aeris huius, & alius Apostolus dicit. Carceribus caliginis inferni retrudens Angelos peccantes tradidit in iudicio puniendos seruari, infernum hoc appellans, quòd inferior pars mundi sit.] Ergo non alius ante iudicij diem dæmonibus carcer præter hunc aerem. Origenes, & alij idem conijciunt, quòd dæmones Christum rogarint, vt non torqueret eos ante tempus, neque in abyssum mitteret, quòd scirent, durante præsenti sæculo, illis hunc mundum destinatum esse ad habitandum; quare diabolus princeps

2. Pet. 2.

B. Iud. in sua Canon.

In Psal. 148.

Orig. Hom. 13. in c. 22. Numer.

huius ſeculi dictus. Venerabilis Beda in eandem ſententiam. [In hoc aere, inquit, poteſtates aereæ ſuperna ſede deturbatæ, cum tormento diem iudicij, duriùs tunc damnandę præſtolantur.] Ioannes Cantacuzenus, qui circa annum millesimum trecenteſimum ſexageſimum vixit, ſcriptum reliquit, diabolum nondum condemnatum eſſe in locum propriæ pœnæ, propterea quòd iudicium, quod Chriſtus iudicaturus eſt, nondum tranſactum ſit. Io. Cantaz. Apo. 2.

Vetuſtiores Scholaſtici frequentes hanc opinionem ſunt amplexi, Albertus Magnus, Vdalricus, D. Bonauentura licet nonnihil dubitans, Richardus, & alij. Referam Vdalrici verba, quæ dilucidè explicant huiuſce ſententię ſenſum. [Quoniam, inquit, dęmones ſuperbię vitio obdurati fuerunt, de cælo empyreo ſunt eiecti, rudentibus inferni detracti in tartarum, ideſt in pœnam tartari, non in ipſum locum, quia in Epiſtola Iudæ Apoſtoli legitur, Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domiciliũ, ideſt cælum Empyreum, reſeruauit Deus vinculis æternis .i. reatus inexpiabilis obligationis in iudiciũ magni Dei, ideſt vſq; ad diem iudicij, in qua die exaltabitur Deus ſolus, vt dicit Iſaias, ſub caligine, ideſt aere caliginoſo, qui à philoſophis medium aeris interſtitium nominatur. Nam vſquè ad diem iudicij non ſunt in inferno religati, quia vtitur Deus eorum malitia ad profectum iuſtorum.] Alb Mag. 2. d 6 q. 5. Bonau. 2. d. 6. a. 2. q. 1. Richar. ead. d art. 2. q. 1. Vdal. in ſumma l. 4. ex Dyon. Carth. 2. d 6. q. 3. Iudæ. 1. Vulgata habet, magni diei. Iſ. 2.

Ioannes Ferrarienſis affirmauit, decretum iſtud omnibus theologis placere, ac nonniſi Poetas, & philoſophos opinari, dæmones hoc tempore detruſos eſſe in infernum. Deniq; Aſcanius Martinengus decernit, iuxta communem, ac tutam ſententiam, Patrum ſuffragijs definitam, malos Angelos in hunc aerem, non autem infernum, durante mundo, relegatos. Io: Fer. de Cal. vita l. 3. c. 2. Aſcan. Martin. in c. 1. Gen. V. fiat lux.

CAP.

CAP. VII.

Certum esse, cõmorari in hoc mundò dæmones, in aere, terrâ, aquâ. In sphara sublunaris ignis, aut vltrà mediam aeris regionem non degere. Cur Deus, hosce spiritus æterni ignis reos, extra infernum detineat. Cur frequentes nobis visibiliter non appareant, vt ad malum, familiari consuetudine, solicitent.



AGARI dæmones per hæc nostri aeris spacia, atq; in hac superiori terra commorari, non est opus probare, cum nemo id vertat in dubiũ; omnium enim doctorũ opinio est, vt aiunt Hieronymus, & Eusebius Cęsar., atq; in Saluatoris nostri doctrina indubitatum, quòd aer iste, qui cælum, & terram medius diuidens inane appellatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus. Has, eorumquè fallaces artes proponebat Apostolus, cum monebat, nobis non esse colluctationem aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritales nequitias in cælestibus. Experimur quotidie eorum insidias, ac sæpè, externo sensu quædam videmus, quę nõnisi inquinatis hisce spiritibus tribui possunt. Gentilibus philosophis id perspectũ fuit, nõ Platonicis modò, qui dęmones naturali quodã, strictoq; nexu aeri copularũt, sed alijs etiã: de Xenocrate hæc Plutarchus [. Xenocrates etiã nefastos dies, & ferias in quibus verbera, planctus, ieiunia, mali ominis voces, aut obscœna dicta vsurpantur, nequè deorum conuenire venerationi, nequè bonorum geniorum censet; sed esse in aere quasdam naturas magnas, & validas, easdem tetricas, & morosas, quę istis delectentur rebus, ac consecutę à maleficio abstineant.]

Hier. in c. 6. Epist. ad Ephes. Euseb. Cæs. de Dæmon. Euan. l. 3. c. 5. Ad Ephes. 6.

Plut. de Iside, & osir.

Cer

Certi in hoc aere pręfixi dæmonibus termini dicuntur, è quibus egredi nullo modo liceat. Vniuersum aeris spacium tres habet regiones, (interstitia, seu zonas vocãt) supremam, mediam, & infimam. In suprema cælo proximiori, quę perpetuâ serenitate, ac tranquillitate gaudet, neq; vlla caligine, aut ventorum, nubium, tempestatumuè procellâ perturbatur, potestates tenebrarum minimè versantur. Mediam, & infimam colunt, vbi ei muneri inseruire possunt cuius gratiâ à Dei prouidentia hîc detinentur. Fermè in media degunt Alberti Magni, & Vdalrici sententiâ. Rationem Vdalricus assignat. [Non est concessus, ait, eis locus circa nos, quatenus ipsa loci discretione ostenderet Deus, verũ esse illud Apostoli, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere. Quod nõ videretur nobis verum esse, si semper apud nos existentes, continuis intercisionibus nos pulsarent. Non est concessum eis habitare propè cęlum, id est in sphæra ignis, aut ęthere, quę sunt loca luminosa; quoniam iuxta Christi sententiam, damnationi tenebrarum interiorum, debentur tenebrę exteriores; Medium ergo aeris interstitium, quòd est tenebrosum, & tempestuosum, & frigidum, competens dęmonibus obtenebratis per culpam, inquietis pertentationum inuasionem, frigidis à charitate, vsq; ad diem iudicij ipsis concessum est.] Videtur id antiquorum Patrum placitum cum aiunt [a] hunc maximè aerem, qui circa nos est inhabitari à dęmonibus. [b] illis non fuisse concessa priora aeris spacia, sed ista caliginosa: [c] carcerem in quem detrusi sunt, esse hunc aerem inferiorem, vbi nubila conglobantur, ac aues volitant, qui cęlum nubilum dicitur.

Alb. Mag. 2. d 6. a. 5. ad 2. q.

Vdal. ex Dion. Cartus. 2. d 6. q. 5.

[a] Eufeb. Cæsar. l. 4. Dæmon. Euang. c. 8.

[b] Isid. l. 8. Etym. c. de de Dijs.

[c] August. de nat. boni c. 33.

Neq; verò volunt hi authores, licet hęc dixerint, dæmones vagari tantùm per aeris spacia, nullibi pręterea morari: sed infra supremam aeris regionem, veluti carcere quodam detineri, vt neq; ad cęlum peruenire possint, nec alius volare. Trithemuis Abbas scribit, dari quoddam dęmonum genus, igneum vocat, qui circa superiorem aerem peruagantur, nec vnquàm ante iudicij diem ad inferiora demergun-

Trit Abb. lib. Quæstion. ad Maximil. Cæsar. q. 5.

tur, vt aliquod cum hominibus habeant commercium, perpetuò in sublunaribus regionibus, hoc est in igne, Lunę proximo permanentes. Merum id commentum reputo: cum enim hîc, Dei permissione, spiritales nequitię degant, vt mortalibus prębeant gloriosę coronę occasionem, vel vt plectendis malis, tanquàm diuinę iustitię ministri, deseruiant: ad quid eos ibi detinere, vbi nullum habeant cum mortalibus commercium? An culpę leuitas nobiliorem sibi carcerem poscit? at minimum dæmonum peccatum, atrocissimum crimen fuit, dignum gehennæ angustijs. Dicuntur quidem dęmones *spiritalia nequitia in cælestibus*; at cælum vt aiunt Hieronymus, & Augustinus, dicitur aer iste, vbi nubes conglobantur, iuxta illud Saluatoris, *Considerate volatilia cæli*. In terrâ permulti commorantur, multi intra terræ viscera, multi etiam in elemento aquæ. [Earum, inquit, Aeneas Gazæus, quæ sunt intelligentiâ præditę facultatum plenum est totum cælum, plenus est æther Angelorum, atq; dæmonum, plena terra, plenum mare, plena deniq; quæ sub terra sunt omnia.] Vbicunq; homines versantur, ibi existunt, & dęmones, qui eos instar apum circumstant, vt venerandus quidam senex Deo reuelante cognouit. In subterraneis cauitatibus, quò auri fames penetrat, plures adesse dæmones compertissimum, vbi maximè fodiuntur metalla, ac gemmæ eruuntur. Olaus Magnus sex horum spirituum genera habitare in mineris metallicis tradit: at ea non enumerat. Georgius Agricola de his fusè, multorumq; historiam texit. In aqua dæmones morari, ac ibi sæpè hominibus insidias parare, & Thomas Cantapratensis docet, & multis id probare [e] exemplis possem. Sunt verò ab ijs, [f] qui aliquid nosse de dęmonibus profitentur, hisce immundis spiritibus, qui per hunc orbem, aeremq; diuagantur, certa concessa nomina. Qui enim per superius aliquantulum aeris spacium discurrunt, barbaro nomine *Leliurij*, hoc est *ignei* appellantur. Qui verò vagantur per aerem contiguum, & proximum nobis *aerei* dicuntur. Qui certis quibusdam in locis huiusce terræ versantur, *Terrestres* vocantur: sicuti degentes in aqua *aquei*,

Ad Ephes. 6. Hieron. ibi August. de agone Chris. c.3. Matt. 6.

d L.6. de Vit. Pat. libel. c. n.11. ex Resueydo.

Ol. Mag. l. 5. de gent. septen c.10. Geor. Agr. de subter. animant. Catap. l.2. Apum c.57. e Lege Thomam Fazel. l 6. Dec. 2. Rer. sicul. & Franc. Coll. de animab. Pagan vbi de flumine, quod Pythagoram est allocutum. f Michael. Psel. libel. de dæmonibus.

(Can-

(Cantapratanus *Neptunos* appellat)sub terra latitantes *subterranei*,ac *Lucifugi*,nuncupātur. Quæ nomina nisi dæmonibus dētur à loco, quē habitant,insulsa sunt, & falsæ opinionis plena: quòd dęmones spiritus sint, nec vllum habeant corpus, cuius gratiâ tales illi appellationes conueniant.

Eatenus autem hîc commorantur pessimi spiritus quatenus deseruire diuinæ prouidentiæ instituto possunt, quo destinauit,eis vti in vtilitatem nostram: neque enim putandum est,sentire Catholicos doctores,extra inferni carcerem detineri Apostatas illos, tartareis pœnis immunes. Statuit Deus in hoc mundo adesse humanę mortalitatis hostes, vt homines inuigilarent, vt memores essent, opus esse diuino auxilio ad triumphum, vt eos ad virtutes capescendas excitaret,vt viam superbiæ pręcideret,vt demum latum aperiret campum ad assequēdam egregiam certaminis coronam. Segnis plerunquè est, qui nihil sibi ab inimicis timet. Nimium pręsumit, qui imbecillitatem suarum virium, & alienę opis indigentiam non sentit. Patientiæ virtutem nunquàm capiet homo, si nullus cum quo dimicet, fuerit hostis;neque exercitatus;atq; expeditus in acie miles erit,si nulla Martis horrida arma pulsent: nec demum adeò gloriosum aliquando pręmium daretur, nisi cum ijs potestatibus legitime fuisset certatum, cum quibus nobis esse colluctationem D.Paulus monuit. Quadrat hîc quod Lactātius aliud agens scribit. [Sic Deus,inquit, quum bonum constitueret, quum virtutem daret, statuit etiam diuersa cum quibus illa confligerent: Si desit hostis, & pugna nulla victoria est. Tolle certamen,ne virtus quidem quicquàm est.Quam multa sunt hominum inter se, & quàm varijs artibus constituta certamina? Nemo tamen fortior, velocior, pręstantior haberetur,si aduersarium,cum quo contenderet non haberet. Vnde autem abest victoria;abesse hinc, & gloriam simul,& pręmium necesse est. Vt igitur virtutem ipsam exercitatione assidua roboraret, eamq; faceret de malorum conflictatione perfectam: vtrumq; simul dedit, quia vtrumq; sine altero retinere vim suam non potest.] Sed quorsum,ais, hîc

Cur dæmones permittur in hoc mundo versari.

Ad Ephes 6. Lact. l. 7. de diuin.præm.

dæmones adsint, vt cum ijs decertando, uirtutibus muniti gloriosè triumphemus. Absint dęmones, sintuniuersi in gehenna: adhuc in hoc mundo non deerunt capitalissimi hostes, quibuscum nobis dimicandum. Mundus ipse hostis est salutis nostrę, qui nos à cælo reuocat: caro ipsa, perpetuâ quadam pugnâ, concupiscit aduersus spiritum. An inglorius erit, qui de his triumphet? Gloriosus, sanè. At tertius quoq; hostis, diabolus nimirū, adesse debebat, ut gloriosior esset uictoria, atq; diuinæ prouidentię ratio seruaretur. [Angeli, inquit D. Thomas, secundum suam naturam medij sunt inter Deum & homines. Habet autem hoc diuinę prouidentiæ ratio, quod inferiorum bonum per superiora procuretur: Bonum autem hominis dupliciter procuratur per diuinā prouidentiam: uno modo directè, dum scilicet aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur à malo, & hoc decenter fit per Angelos bonos: alio modo indirectè, dum scilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarij, & hanc procurationem boni humani conueniens fuit per malos Angelos fieri, ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent. Sic ergo dęmonibus duplex locus pœnalis debetur. Vnus quidem ratione culpæ, & hic est infernus, alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer.]

D.Th.1.p.q. 64.a.4.corp.

Neque hic rudis quispiam contendat, non uideri simile uero, tantam dæmonum multitudinem morari in hoc orbe, cum, si hoc esset, aut à mortalibus uiderentur, aut si corpore carent, ut sunt spiritus fallaces, ac decipiendæ mortalitatis auidissimi, frequentissimè formâ uisibili assumptâ ex elementis, aliâue materiâ, prodirent in conspectum hominum, atq; modò horribili facie homines deterrerent: modò placidò, leni, atq; suaui ore, ad flagitia allicerent, uerbis, & exemplo: modò deniq; mentitâ numinis alicuius maiestate, sibi diuinos honores procurarent.

Quare dæmones in hoc mundo non uideantur, & sæpius non appareant.

In propria natura conspici malos Angelos non posse, iam decisum, spiritus enim sunt, corporea mole immunes, neq; sub ullum corporis sensum cadunt. Fallaci prorsus experi-

experimento deceptus Trithemius Abbas, cum ait à se obseruatum: continuato constanter, & firmè oculorum obtutu versus cælum, lucescente sole, visibiles cerni Plutonicos dæmones in aere volantes ad modum densissimæ niuis ignitæ. Solares radij tunc oculorum aciem perstrinxerunt: non autem dæmones visi. Videntur si corporeum indumentum gestent: immò neq; videntur ipsi, sed corporeum indumentum, quod gestant, sicut neq; anima rationalis in corpore conspicitur, sed corpus. Non est autem dubium, quin facillimè cõponere corpoream speciem possint, ac eam intrare: sicq; versari cum hominibus, eos alloqui, terrere, ac in peccata pertrahere. Peculiari tamen quadam prouidentiâ, Dei bonitas permittere raro solet, callidum illum hac arte inuadere imbecillos mortales, ne tententur suprà quàm possint resistere, ac familiaritatis lenocinio, turpiq; exemplo, faciliùs, & frequentiùs ad peccatum incitentur. [Satis vtiliter, ait Cassianus, ab humanis aspectibus malignos spiritus prouidentia diuina abscondit, atq; subtraxit. Nam non solum terrore concursus eorum, vel horrore vultuum, in quo se pro voluntate sua, cum libitum fuerit, transformãt, atq; cõuertunt, intolerabili formidine homines consternarentur, nequaquàm valẽtes hęc carnalibus oculis intueri, sed etiam in ampliorem nequitiæ modum quotidiano, iugiquè eorum exemplo, & imitatione, succensa gens humana proficeret, & per hoc inter homines, & immundas, atquè aereas potestates fieret noxia quędam familiaritas, atq; perniciosa coniunctio, dum hæc flagitia, quæ inter homines admittuntur, vel parietum septis, vel locorum interuallo, & quadam verecundiæ confusione celantur, aperta visione iugiter intendentes, ad maiorem furoris incitarentur insaniam, nulla scilicet interueniente quiete, quâ ab istis sceleribus eos cernerent desinentes, quippe quos nulla lassitudo carnalis, seu occupatio familiaris, ac distensio quotidiani victus, quemadmodum nos à cœptis intentionibus, etiam inuitissimos nonnunquàm cessare compellunt.] Permittit tamen Deus, cum videtur opportunum hostes nostros, visibiliter apparere, & frequentes

Trithem. L. Quæst. ad Maximil. Cæsar. q. 5.

Cassian. coll. 8. c. 12.

quidem, vel vt insignis virtus, gloriosi certaminis coronam habeat, qua ratione probati olim sãctissimi illi cœnobitę, atq; heremorum accolæ: vel in pœnam obduratæ mentis, qua de causa dicere possumus, in Septẽtrionalibus regionibus, atq; multis in locis Indicarum regionum, satanicos spiritus varijs simulachris vestitos familiariter cum ijs populis versari. Quod si nunquàm alieno induti corpore viderentur, adhuc non esset existimandum, in hoc mundo non commotarari: cum sciamus, eos spiritus esse, ac eorum insultus, & præsentiam, oculis clausis, experiamur.

CAP. VIII.

Permultos dæmones, ante Iudicij diem, in gehenna ipsa cruciari. Fortè vniuersos, statim ac peccarunt, eò detrusos: tum à Deo permissum, vt aliqui inde erumperent ad primos Parentes tentandos, aliosquè mortales exercendos.



QVEMADMODVM tamen exploratum est, hoc tempore, magnum dæmonum numerum, extra infernum commorari: sic exploratissimum, quàmplurimos in ipso gehennæ carcere hodie concludi. Neq; puto posse hac de re dubitari, nisi veritas ipsa vocetur in dubium. Mortales, qui fragili carne deliquerunt, nec eos peccasse hîc pœnituit, exuta mortalitate, mox in infernum truduntur, vt Catholica fides decernit. Desertores spiritus, qui nullo carnis impulsu, nullauè imbecillitate, ac fragilitate, tàm nequiter peccarunt, ad vnum, per hunc orbem volitabunt? Id ego neq; à Scriptura, neq; ab antiquis Patribus didici. Docent sacræ litteræ, quòd
Es. 41. superbia Luciferi *ad inferos detracta est*. Docent quòd
2.Pet.2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.*

Augu-

Augustinus, Paterius, & alij *rudentes inferni* appellant aeris regionem: at fortè in diuinis oraculis nullibi occurret exemplum, quo, inferni voce, aer exprimatur: neq; hîc ulla necessitas cogit ad metaphoricam verbi significationem confugere, cum propria sine absurditate quadret; maximè si eius sententiæ verba sequamur, vt ab Augustino ipso & B. Fulgentio proferuntur, videlicet, *Carceribus caliginosis inferni tradidit in iudicio cruciandos reseruari.* Carceres, nonnisi gehennæ ergastula sunt, atq; idem sonant, ac *rudentes inferni*, ac *vincula æterna* de quibus in Epistola B. Iudæ legitur. *Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Carceres, inquit D. Augustini Scholiastes, pro claustris ponuntur, quibus exire prohibeantur. Vincula æterna nunquàm soluuntur: qui verò in hoc aere existunt dæmones, haud æternùm hic existent: nam post magnum diem omnes trudentur in infernum. Dicuntur quidem dæmones *in iudicium reseruari*, at, si vniuersos inuoluas, non reseruantur ratione loci, sed ratione, illius temporis, quo ante conspectum totius orbis, atq; vniuersæ cælestis curiæ, simul omnes in infernum trudentur, ea lege, vt nunquã inde pedem efferant. Sanè B. Petrus de impijs hominibus, citato loco subiungit. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos*; cum tamẽ affirmare, iniquos homines vsq; ad Iudicij diem extra infernum reseruari, sit hæreticum. Quid quòd antiqui Patres, eo argumento, quo aliqui probant dæmones ante Iudicium in inferno non esse, quòd Christum rogarent ne eos mitteret in abyssum; multi arguunt quamplurimos eorum in abysso esse? [Vnde (ita lego in Catena Veterum Patrum ad illud Petri *Rudentibus inferni* &c.) hæc dæmonum damnatio manifesta est? Ex ipsis profectò dæmonibus, qui in Euangelio videlicet rogabant, ne in abyssum dimittantur, quasi id cæteri omnes paterentur.] Nihil in omnium opinione vulgatius. Apud Patres nihil frequentius, vbi de miserijs inferni agũt, quàm antrum illud infelicissimũ esse dæmonum incolatu: ibi [a] malos Angelos esse præpositos cruciatibus, ideoque eos obscœnæ

Aug. in Psal. 148 & in Numer. quæst. 20.
Pater. exposit. in 2. Petr. 2.
Aug. 11. de Ciuit. Dei c. 23 & l. 21. c. 23.
Fulg. 2. de Trin c. 12.
B. Iudas in sua Canon. v. 6.
Vives in c. 33. cit.
B. Petr. sup.
Lucæ 8.
Catena Vet. Patrum interp. Io: Bernar. Felicia. in c. 2. 2. Petr.
a Ephrem. Syr. Serm. de moderat. risu. & c. & Hieron. in c. 39. Ezechiel.

b Nazianz. car. de human. nat. c Beda. d Hieron. in c.32. Ezech.

obscœnæ animæ [b] carnifices, ac malorum [c] tortores appellant: [d] sæpè non modò aduersarias potestates memorant, quæ in aere discurrunt: sed eas etiam, quæ inferna penetrant: Quare non possum non existimare, haud ad omnes respexisse, cum dixerunt, in hoc aere malos spiritus reseruari vsq; ad Iudicij diem: sed ad ingentem quandam eorum multitudinem. In maximo numero dæmones è cælo corruerunt, quid absurdi est, si dicamus diuinâ bonitate, alios in hoc mundo detineri, vt inde mortales meriti, & coronæ occasionem capiant, alios diuinâ iustitiâ in inferno concludi? Eadem diuina bonitas, quæ permittit, improbos spiritus extra infernũ degere, vt homines exerceant, mandauit Angelis suis, vt in terris homines custodirent: cũ ergo vniuersi Dei Angeli non deserant beatam aulam, vt veniant in tutelã hominum; omnes Angeli diaboli erunt suo carcere soluti, vt homines exerceant bellis, & tentationibus? Haud probabile.

S.Tho. 1.p. q.64.a.4.

[Procuratio, inquit S. Thomas, salutis humanę protenditur, vsq; ad diem iudicij. Vnde & vsq; tunc durat ministerium Angelorum, & exercitatio dęmonum. Vnde & vsq; tunc, & boni Angeli ad nos huc mittuntur, & dęmones in hoc aere sunt ad nostrum exercitium. Licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni Angeli sunt cum animabus sanctis in cęlo. Sed post diem iudicij omnes mali, tam homines, quam Angeli in inferno erunt, boni uerò in cœlo.]

An omnes dęmones post peccatũ, ad vnum, detrusi fuerint in infernum.

Quin fortè non erit absurdum opinari, omnes apostatas spiritus, vbi obstinatâ pertinaciâ, in malo immobiles steterunt, usq; ad statutum sibi uitæ tempus, in gehennę barathrum ad vnum fuisse pręcipitatos, vt re ipsâ experirentur, in quas eos angustias, superbi dominatus, & laxioris uitæ libido coniecisset. Sanè certè uniuersi dęmones criminis causâ, digni fuerũt, qui in imũ inferni pellerentur; neq; eos, diuina prouidentia in hoc mundo seruat, vt quodam leuamine molestiarum profundi carceris, mitiùs cum eis agat. Datur à Deo, vt hîc demorentur, quòd eorum operâ vtatur ad perfectionem iustorum, qui coronandi sunt, ad exercitia certaminum,

num, ad victorias beatorum. Huic numeri nonnisi homine condito inseruire debebant: homo autem sexto die creationis rerum ad imaginem Dei factus: scelus dæmonum primo die patratum, & punitum: Ergo non erat cur, per id tempus, quod ab eorum peccato ad creationem Adami intercessit, permitterentur vagari per hasce terræ regiones, qui in gehennæ ergastulum, ni homo fuisset conditus, illicò conijciēdi erant: sed æquum videtur, & diuinę iustitię conforme, omnes eò detrusos, vt omnes sentirent, ēt quoad locū, peccati pœnam. Cum verò, conditi sunt, qui probandi erant certamine, & lapsi spiritus ægrè ferrent, mortalē hominem ad eas Paradisi delicias fabricatum, quas ipsi amiserant; cōcessit Deus, vt numerosum eorum agmen, è carcere inferni erumperet, & ad manus, atq; ad pugnam cum mortalibus veniret. Scilicet cognouerunt hoc facto superbi, si in hoc mundo versarentur, atq; in eos, qui mundanis dediti sunt, aliquem obtinerent principatum, id diuinæ permisionis esse, non proprij iuris: quandoquidem extracti ab inferni loco, (licet nequaquam à pœna) non sui causâ, sed diuinæ prouidentię ordine fuissent. Ne cui autem id videatur temerè, ac sine authoritate dictum. In primis B. Petri sententia, *rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*, dirigitur ad omnes Angelos, qui peccarunt, atq; verbum illud *tradidit*, rem actā significat. Omnibus pariter Angelis, qui non seruarunt suum principatum, communis B. Iudæ sermo, *vinculis æternis sub caligine reseruauit*, idest in eam terram amandauit, quæ est operta mortis caligine. Quemadmodum igitur, qui sempiterno carcere digni abeunt ex hac vita, mox in infernum truduntur: atq; cum opus est, permittuntur, diuina ordinatione, accedere ad mortales, & apud eos morari, quousq; diuino beneplacito inseruierint; Sic non incongruè dici potest, vniuersos Angelos peccantes iuxta Apostolorum dicta, mox ac peccarunt, detractos in tartarum, tùm, quot quot Deo placuit, Dei ipsius concessu, in hunc aerem caliginosum venisse, vbi illis commorandum sit, quousq; mortales ipsi hac luce fruentur, quorum gratiâ, & commodo hîc detinentur.

Gen. 1.

2. Petr. 2.

B. Iudas in sua Canon.

tur.

Clemens Alex. in Adhor ad Gen. Gent. Heruet in locum Alexandr.

tur. Non possum ex Patribus multa in hanc rem proferre testimonia. Cyrillus tamen Alexandrinus fauere huic placito videtur, cum appellat Satanam torrem ex igne euulsum, quod non incommodè aptari ad improbos spiritus potest, qui extra infernum morantur: sunt enim hi, torres ex igne inferni eruti, quòd in ipsa gehennæ fornace aliquãdo fuerint. Gentianus Heruetus, id accommodat, ad eos tantùm, qui ad tempus, hodie ab inferis remouentur, vt diuina iussa exequantur. Mihi non videtur absurdum ad vniuersos accommodare, atquè affirmare, omnes, qui in hoc mundo sunt dæmones, ab igne gehennæ erutos, hoc est à loco: In hanc eandem sententiam referre possum eos doctores, qui opinantur, vagantes per hunc aerem dæmones ignem ipsum gehennæ secum ferre, de quibus suo loco: non enim verisimiliter, aliunde eum tulerunt, quàm ab inferno, in quem fuerint omnes præcipitati.

CAP. IX.

An dæmones in hoc mundo commorantes sint inferiorum ordinum, vel superiorum. Quæsitum de Lucifero, sit ne ligatus in gehenna, & à quo, & quo tempore.



ISPVTANT Doctores, cuius ordinis sint mali spiritus in hoc aere degentes. Communis persuasio est, ex inferioribus esse. Laurentius Ananias, diuinæ iustitiæ tribuit, quòd Angeli, qui leuius peccarunt extra infernum morentur, leuiori pœna affecti. [Hos omnes, inquit Ananias, qui huic inclusi sunt aeri, inferiores fuisse tradunt: magnates enim ob eorum nobilitatem, propriæquè voluntatis à Deo se auertentis furorē, & impetum, atrocius alijs in creatorem suum peccando, iustissima Dei trutina rem examinantes, ad infima tartara detrusi sunt, vna cum eorum principe Dracone. Hic enim cum suæ ipsius stolidæ superbiæ veneno, plus

Laur. Anan. l.1. de nat. Dæm.

cæteris

cæteris inflatus, nobilioribus suę essentię à Deo concessis donis ad id elatus, reliquisq; tam turpissimæ, æternisq; doloribus expiandæ apostasiæ ansam præbuisset: haud iniuria, qui amisit mensuram, qua summo torquetur opere, & Dei iure optimo, pœnas delictis commensurantis, acerbiores quoquè luit, sustinetq;]. Apud me hæc ratio non habet pondus: haud enim dæmones sui causâ extra inferni carcerem vagantur: nam vniuersi, etiam infimi ordinis, ob proprium peccatum, digni fuerunt, qui confestim in profundum infernum pellerentur. Iustitia id ferebat: prouidentia hîc esse permisit. Assentior inferiores potissimum dæmones, per hunc mundum discurrere, atq; pugnare cum hominibus: at id ego peculiari Dei bonitati tribuo, quæ haud passa est, fortissimos quosquè hostes cum imbecillis mortalibus congredi. Quanquàm non sit inficandum, aliquos ex superioribus hîc adesse, qui strenuos Christi athletas aggrediantur, intenti sint regnorum, ac prouinciarum exitio, atq; inferioribus, veluti capita dominentur, vt Cassiano placuit. Cassian. col. 8 c. 14.

An verò Lucifer Angelicæ ruinæ origo, inter eos spiritus sit numerandus, qui dicuntur *spiritualia nequitiæ in cælestibus*, Hoc sanè tempore, non est numerandus, dicente Ioanne, *Vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas: & ligauit illum per annos mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solui modico tempore.* Notæ mihi sunt eorum fabulæ, qui Millenariorum nomen acceperunt, propterea quòd assererent, Christum post resurrectionē, in terra, mille annis, cum sanctis suis, in summa pace, & tranquillitate, deuincto in abysso Satana, regnaturum, magnâ deliciarum affluentiâ, quas alij spirituales, alij corporales affirmabant, hac Ioannis authoritate suum errorem roborantes. Scio Augustinum velle, alligari diabolum, idem esse, ac non permitti exercere totam potestatem, quam habet vi, vel fraude. Scio [a] varias sententiæ Ioannis interpreta-

Lucifer an sit in inferno Ligatus, & quo tempore. Apoc. 20.

Aug. 20. de C. D. c. 7. & 8.

a Lege Ludouicum Alcasar. in suis coment. in c 20. Apoc. vbi omnes accuratè collegit.
Hier l. 1. aduer. Iouinian.
b Lege Magistr sent. 2. d. 6. & eius commentatores.
Ambros. in c. 20. Apoc.

pretationes, nec absurdas, quòd in singulis verbis libri Apocalypsis, vt ait Hieronymus, multiplices lateant intelligentiæ. Verùm non ineptè mihi videntur sentire, qui alligationem illam secundum litteram accipiunt. Ita vt verè Draco ille, vel serpens antiquus, qui serpentis spolijs indutus, primũ hominem in terrestri Paradiso ad diuini mandati trangressionem prouocauit ([b] probabiliter enim censetur fuisse Lucifer) in abysſi loco astrictus teneatur, vt nullo modo soluendus sit ad infestandos mortales, donec Antichristi, magnæ bestiæ, tempora adueniant. Ambrosius, qui secundũ aliorum opinionem dixerat, per abyssum, corda impiorum designari, in quibus diabolus à cordibus fidelium expulsus, religatus teneatur; hanc interpretationem tanquàm minus aptam deserendo, atq; litteræ verbis adhærendo, inquit. [Si ergo per abyssum corda reproborum designantur, quomodo de abysso, id est de cordibus reproborum exire dicitur, quos nunquàm derelinquet? Nunquid reprobos derelicturus est, & inuasurus electos? Nullo modo. Alligationem ergo diaboli secundum litteram intelligendam puto, vt in aliquo abysſi loco virtute diuina religatus teneatur, vel certè in inferno, vsq; ad diem solutionis suæ.]

c Apoc. 12.
d Esa. 9. iuxta versionẽ LXX.
e Apoc. 1.

Sed quis eum deuinxit, & à quo tempore deuinctus? [c] Angelus descendens de cælo cum ligauit, qui scilicet [d] magni consilij Angelus dicitur, & [e] *habet claues mortis, & inferni.* Redemptor nimirùm, qui contrarias potestates debellauit. Non fuit autem omninò ligatus ab Angelo statim post peccatum, licet statim post peccatum ad inferni vltimum sit detractus: exijt enim, vti dictum, ad tentandos primos parentes nostros, ac fortè reportatâ victoriâ à primo homine, de terra terreno, in hoc mundo fuit, donec veniret secundus homo de cælo cælestis, qui cladẽ inflictam primo, resarciret.

Ad Corinth. 15.

An verò statim atq; venit, nullâ interpositâ morâ, deinctus fuerit; Andreas Cesareæ Capadociæ Episcopus, ait incepisse alligationis Satanæ tempus ab incarnatione Domini. Si momẽtum illud intelligat, quo Verbum assumpsit carnem, probabilius uidetur, non fuisse ligatum, donec Christus gloriosiorem

Andreas. in locum cit. Apocal.

fiorem de diabolo uictoriam reportauit in deserto, quàm diabolus de Parentibus nostris in terrestri Paradiso reportasset. Nam ille, qui Euam, & Adamum in Horto deliciarum vicit, à Christo in deserto, coram uictus fuit, ideòq; adhuc non erat ligatus. Nequè dicas, hodie non esse ligatum, quòd fluxerint mille anni, de quibus Ioannes: nam mille annorum æuum, haud eam temporis quantitatem designat, quam numerus annorum innuit: sed uniuersum illud tempus, quod à Christi de diabolo uictoriâ, usq; ad Antichristi tempora intercedet. Millenario numero, inquit Gregorius, perfectione sua, hoc quantumlibet sit Ecclesię Sanctæ tempus exprimitur.

Vide Magistrum Sent. sup.

Greg. L. 18. Moral. c. 32.

CAP. X.

Dæmones in inferno existentes, aliquando, licet rarò huc venire. In hoc aere degentes, sæpius in infernum descendere. Num tentatores spiritus à mortalibus gloriosè victi, statim in gehennam trudantur.

ILLVD hic, antequàm ad vlteriora progrediamur indagandũ occurrit. Veniant ne aliquando ad mortales, qui in inferno versantur dæmones, atq; è contrario ad inferos vadant, qui in hoc aere morantur. Ego sic habeo; in gehẽna conclusos, rarò admodum huc venire. Cum enim in magna multitudine in hoc mundo degãt, qui sufficere diuinæ prouidentiæ ordini possunt; quid hîc opus eorũ præsentiâ qui in tartaro cruciantur, & cruciant? Aliquando venire non repugno, tunc potissimùm, cum diuina permissione, damnati mortalibus apparent: semper enim habẽt viæ comites carnifices suos, vt sequẽti volumine ex Cæsario Heisterbachẽsi probabimus. Frequentiùs qui hîc morantur ad inferos tendunt, eò, quemadmodùm Patres docent, improborum animas perdu-

Vide Cæsar. l. 1. Mir. c. 6. & l. 12. c. 19.

centes, quos in peccata allexerunt.

A multis etiam Doctoribus traditum est, tentatores spiritus, si quem mortalium probatæ pietatis, ac virtutis, adoriantur, ac strenuo certamine fugentur, & prosternantur, statim pelli in tartarum, nec inde amplius egredi ad homines tentandos: licetà Principe dæmonum, alij sufficiantur in eorum locum. D. Anselmus ita sentit. [Si quis dæmonum, ait, ab aliquo iustorum vincitur, mox ab Angelo custode eius in abyssum retruditur, nec amplius, cum aliquo iustorũ congredi permittitur, quamuis alius à principe dæmonum in eius locum subrogetur.] In eadem opinione sunt, qui aiunt, dæmones semel victos in posterum ad alios non accedere: consequitur enim hinc, quòd in tartarum conijciantur, quoniam, vti supra diximus, non alia de causa hic morantur, nisi vt homines exerceant. Ab hac sententia Petrus Lombardus non abhorret, qui etiam Origenis testimonium refert. [Alijs quoq; dæmonibus, ait, qui à sanctis iustè, & pudicè viuentibus vincuntur, potestas alios tentandi videtur adimi. Vnde Origenes, puto, inquit, sanè, quoniam sancti repugnates aduersus istos incentores, & vincentes minuant exercitum dæmonum, vel vt quàmplurimos eorum interimant, nec ultrà fas sit, illi spiritui, qui ab aliquo sancto castè, & pudicè viuendo victus est, impugnare iterum alium hominem.] Dæmonum exercitus non minueretur, nisi victus in gehennam conijceretur. D. Bonauentura, ait probabilitate non carere, quòd aliquando fiat diminutio in exercitų dæmonũ, cum videamus contingere secundum legem belli, vt qui superatur, amoueatur à bello; cæterùm, quanta, & quando diminutio fiat, ignotum esse. Si meum hac de re votum requiratur: Non satis simile uero uidetur, dęmones exercitio mortalium deputatos, remoueri ab hoc munere, si uincantur. Milites naturâ desides, & ignaui, debilitati, labore, consauciati, tanquàm inutiles ab exercitu reijciuntur. Spiritus tentatores nunquàm fatigantur, nunquàm amittunt uires, nunquã de uictoriâ desperant. Legimus quidem *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, sed quòd post resistentiam in gehennam

Ansel. in Elucid.

Petr. Lom. 2. d. 6. in fin.

Origenes T. 1 super 12. c. Iosue.

Bonau. 2. d. 6. in expla- nat tex. lit. d.

nam

nam trudatur, ac reuerti amplius non posſit, nuſquàm legimus in diuinis litteris. Lucifer idem, multorum Doctorum ſuffragiis, Euam, & Adamum primos parentes noſtros ad interdictum pomi eſum ſolicitauit, idem ille ipſe Christum tentauit, ab eodem inſuper multa expectantur mala Antichriſti tempore, quo ſoluendæ ſunt catenæ, quibus in t..rtareo ſpecu deuincitur. Quis etiam iure cogitet, dæmones uniuerſos, qui ab exordio mūdi à iuſtis uiris debellati ſunt, quiq; cateruatim aliquando, in maximo numero, Antonios, Hilariones, ac alios heremitas infeſtabant, ac ſtrenuè in fugam conijciebantur, ſtatim detruſos in gehennam? Vix opinor, ſi id eſſet, malus hìc ſpiritus ſupereſſet. Sancti Patres cognouerunt non deficere animo tentatorem, nec bellum deſerere, etſi ſemel ac iterum vincatur. Sufficiat duas Gregorij ſententias notaſſe. [Antiquus hoſtis, inquit, quò valentiùs vincitur, eò adhuc ad inſidias ardentiùs inſtigatur.] Alibi [cum dæmon à corde expellitur, acriores infigere inquitatū ſtimulos conatur.] Stimulante deſiderio perditionis hominum, ac ſuperbiâ non permittente, vt quantùm in ſe eſt, cedat mortalitati humanæ.

Greg. 3. Mor. c. 8.
L. 32. c. 16.
L. 34. c. 10.

CAP. XI.

An inter Satanicos ſpiritus, diſtinctio ordinum intercedat. An eodem modo bonis, et malis, Angelicorum ordinum nomina conueniant. Sint ne dæmones in hierarchias diſtributi.



VBI locorum dæmones degant, poſtquàm ex Empyrei regno eiecti ſunt in ęternum exilium, hactenus explicatum. Dicendum eſt, an quendam inter ſe ordinem retineant. [a] Angelicæ naturæ ordo ad triplicem eius ſtatum referri poteſt, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Quantùm ad gloriam, nullum unquàm inter ſe ordinem habuerunt mali ſpiritus, quoniam [b] nunquàm beati fuerunt, Dei viſione. Diſtinctio quædam

a Vide S. Th. 1. p. q. 109. a. 1. & S. Bonauent. 2. d. 6. a. 3. q. 1.

b Id probatum Lib. 4. c. 22.

c Lib.4.c. 20. dam ordinis gratiæ inter eos aliquando fuit, c quòd cælesti gratia ornati, à Deo conditi sint, alij alijs perfectiores, iuxta naturæ dignitatem: verùm ab hoc ordine exciderunt: nam, peccato, gratiæ muneribus priuati fuère. Ordinem naturæ non amiserunt, quòd integra naturalia permanserint. Est autem hic ordo in eo positus, ut alij superioris, alij inferioris gradus naturam obtineant, iuxta diuersitatem ordinum è quibus corruerunt. Scriptura in hunc sensum dæmonum
Ad Rom. 8. ordines recenset. Apostolus *Certus sum*, ait, *quod neque mors neque vita, neque Angeli, neque Prnicipatus, neq; Virtutes, neq; instantia, neq; futura &c. neq; alia creatura poterit nos separare a charitate Christi*. Angeli, Principatus, & Virtutes, non sunt beati Angelorum ordines, qui nec nitun tur, nec possunt niti ad separandum nos à charitate Christi, sed rebelles spiri-
Ad Ephes. vlt. tus, è cęlo pręcipitati. Alibi idem Apostolus, Principum, &
Ezech. 28. Potestatum tenebrarum meminit. In Ezechiele, mentio fit Cherub, qui de monte Sancto Dei eiectus est.

Nihil decoris, aut ornamenti hoc ordinum discrimen addit improbis Angelis, non modò enim, natura, ordinis fundamentum, diuinæ gratiæ munere destituta est, ac ideò manca, & imperfecta, sed etiam labe peccati inquinata. Immò, quò superiorem, ac digniorem, sê sê, naturę, ordinem dęmones habent, eò imperfectiores, & fœdiores turpioris cri-
Bonau. sup. minis causâ. [Nam, inquit Bonauentura, qui meliora habuerunt naturalia illi grauius peccauerunt, ac peccant: tum propter hoc, quòd ardentius appetierunt: tum quia magis, ingrati fuerunt: tum etiam, quia modò acriùs vexant.] Efficit hæc inordinati, ac deprauati ordinis ratio, vt diuerso modo nomina Angelicorum ordinum Angelis Dei, ac Angelis diaboli tribuantur: Cælestes Angelorum chori distinguuntur potissimum ex supernaturali dono, & ex officio, quo Dei gratia funguntur; atq; illis ordinum nomina potiùs data, ab ardenti in Deum amore, à perfecta scientia, atq; à munere, quàm à nuda dignitate naturę: licet etiam iuxta naturæ conditionem distributi sint ordines. Dæmones nihil habent Angelicæ dignitatis pręter naturam, quam peccatis

de-

deprauarunt, ac labefactarunt; & perpetuo in Deum odio, contrarijs funguntur officijs à beatis spiritibus; ideo illis cęlestium ordinum nomina non conueniunt, nisi ratione status in quo fuissent, ni peccassent, aut ratione eius temporis, quod eorum peccatum antecessit, quando nimirùm inter bonos Angelos boni erant, diuinâ gratiâ decorati. Ratione prę-sentis status, dicitur Lucifer Cherub, at iniquitate plenus: dęmones dicuntur Angeli, at diaboli: principes, & potestates, at tenebrarum: virtutes, at quæ possint contendere à charitate Christi mortales separare. Cassianus id videtur monuisse, cum inquit. [Colligitur has differentias ordinum, quas instar sanctarum, cælestiumq; virtutum aduersę potestates habere dicuntur, vel ex illius anterioris ordinis gradu, in quo vnaquęq; creata fuerat, nunc etiam retentare, vel certè de cælestibus deuolutas, ad similitudinem illarum virtutum, quę ibidem perseuerant, pro nequitiæ suæ merito, in qua vnaquæq; in malum profecit, hos inter se gradus, seu ordinum vocabula in partem contrariam vindicasse.] Gulielmus Parisiensis latè explicat, vt nomina, ac ordines in dæmonibus è contrario se habeant, atque in bonis Angelis. [Opinabitur fortasse aliquis, ait, apud eos, ordines esse, ordinibus sanctorũ spirituum è contrario se habentes, & propter hoc contrarijs nominandos nominibus, vt Antiseraphin, Anticherubin, Antithroni dicantur, & de alijs similiter. Antiseraphin, secũdùm positionem istam, dicendi sunt, qui maiori creatoris odio exardescunt. Anticherubin, qui maiori cæteris præcellunt astutiâ. Antithroni, qui peruertendis iudiciorum semitis, & corruptioni iudicum, seu tribunalium summoperè intendunt, & taliter malignandi pestilentissimum officium, vel sibi ipsis assumpserunt, vel à principe maliciȩ susceperunt, & Antidominationes, Antiprincipatus, Antipotestates è contrario sanctorum ordinum officijs accipies, & iuxta hos modos, Antiuirtutes eos, qui monstra vitiorum, & imbecillitates stupendas gerunt, vel suadent: sic Antiarchangelos, qui maiora mala, quæ propriè scelera dicuntur, suggerunt hominibus. Hæc est igitur ordinatio Ecclesiæ malignantium, & synagogæ satanæ.] Qua

Cassiã. Coll. 8. c. 8.

Guliel. Par. 2. p. 3. p. c. 10.

Qua verò ratione inter dæmones ordo quidã intercedit, qui naturæ gradibus nititur· eadẽ dici poteſt (ſi fœdare nomẽ licet) aliquo modo ſecundum ordinem hierarchiarum inter ſe diſtingui: non equidem propriè vſurpata voce, vt Sacrum principatũ, ac ſanctam, & ordinatam Angelorum ſocietatẽ, ſignificat, quo modo Hierarchia dicitur à Dyonifio Areopagita diuinus ordo, ſcientia, & actio Deiformis quantum poſſibile eſt, ſimilans, & ad inditas ei diuinitus illuminationes proportionabiliter in Dei ſimilitudinem, aſcendens: ſed vt eo nomine exprimitur nuda Angelicorum ordinum in tres claſſes, tribus conſtantes ordinibus, diſtributio, à Deo initio eorum creationis facta, iuxta vniuſcuiusq; Angeli conditionem, & naturam, nullâ Dei munerum ſupernaturalium habita ratione. vt enim retinuerunt dęmones rationem ordinis, quòd inter bonos Angelos fuerint, & licet lapſi, naturam non amiſerint, ſecundum quam diſtributi ſunt ordines: ſic eam, in qua fuerunt, hierarchiarum ordinationem retinuiſſe putandum, quæ ex ordinibus ipſis conflatur: quãuis ex ſtatu gratiæ exciderint. Atq; hæc ordinatio ex parte quidem Dei ordinantis, vt inquit S. Thomas, eſt ſacra, vtitur enim dæmonibus propter ſe ipſum. Sed ex parte voluntatis dæmonum, non eſt ſacra, quia abutuntur ſua naturâ ad malum.

Areop. De Cæl. Herar. c. 3.

S. Th. 1. p. q. 109. a. 1. ad 2.

CAP. XII.

Inter Dæmones ordinem prælationis, ſeu imperij non deeſſe.



ONSEQVITVR hunc naturæ ſuperioris vel inferioris ordinẽ, ordo quidam prælationis imperij, vel poteſtatis, quo ſuperiores dæmones, inferioribus pręſunt, ac imperant, inferiores verò obſequuntur. Chriſtus ſatis indicat non carere hoc ordine tyrannicum illum principatum. *Si Satanas,* inquit, *in ſe ipſum diuiſus eſt: quomodo ſtabit regnum eius?* Quaſi cor-

De hac quæſtione agunt comment. Mag. Sent. 2. d. 6 & S. Th. 1. p. q. 109. a. 2.

Lucę. 11. v. 18

corrueret illud omninò, ni constaret certis veluti principibus, magistratibus, atq; rectotibus, quibus subditi obedirēt ad nutum, ac contenderent totis viribus exequi mandata: non enim coalescuut regna ex confusa hominum multitudine, sed ex præsidentium, atq; subiectorum vnanimi concordia. Non vno loco in sacris litteris, quidam veluti dæmonum principes, alij veluti administratores recensentur. Diabolus veluti rex nominatur, Angeli eius tanquam subditi. Draco veluti caput, Angeli eius veluti membra. Iudæi per summam calumniam imponebant Christo, quòd in principe dæmoniorum Beelzebub, eijceret dęmonia. D. Hieronymus, omnium qui in hoc mundo sunt, dęmonum, certū esse principem testatur, qui peruersa ęmulatione, ac cōtrario conatu, Christi regnum imitatur. [Sicut, ait Hieronymus, Ecclesię, & omnis viri, Christus est caput, ita cunctorum dęmonum, qui in hoc seculo debacchantur, caput est Beelzebub princeps dæmoniorum.] Eusebius Cęsariensis ait, malos dęmones in omni loco, & ciuitate, & regione, esse sub certo principe dispositos, & instructos. Matt. 25. Apocal. 12. Lucæ 11. Hier in c. 3. Habacuch. Eufeb. Cæf. l. 4. de Præp. Euang c. 9.

Ioannes Cassianus, supremi cuiusdam dęmonis in cæteros imperium, subiectionem, obsequiumq; inferiorum; non ex diuina modo scriptura, sed ex certis quibusdam visionibus coniecit: cum nimirùm aliquando dæmoniorum princeps, visibili forma, satellitibus suis vndiquè conuocatis, in excelso positus solio, de cuiusq; munere, diligenti examine, rationem exegit, ac strenuos, qui feliciori euentu homines in flagitia impulissent, summis affecit laudibus, desides verò, & inertes, summo cum dedecore, in omnium conspectu redarguit, & increpauit. [Regi hos immundos spiritus, inquit Cassianus, à nequioribus potestatibus, eisquè subditos esse, pręter illa scripturarum testimonia, quæ in Euangelijs quoq; calūniantibus Pharisęis, Domini legimus respōsione descripta. Si ego in Beelzebub principe dęmoniorū eijcio dęmones: etiam perspicuę uisiones, & experimenta sanctorum multa nos odocent. Nam cum unus ex fratribus nostris, in hac solitudine iter ageret, aduesperascēte iam die, templum quod- Cas. Coll. 8. c. 16. Lucæ 11.

dam reperiens itidem subſtitit, veſpertinam volens in eo synaxim celebrare. Vbi dum Pſalmos ex more decantat, tempus mediæ noctis exceſſit. Cumq; finita ſolemnitate refecturus laſſum corpus paululùm, reſediſſet, repente cœpit cateruas dæmonum undiq; in unum confluentium innumerabiles intueri, quę infinita conſtipatione, ac ordine longiſsimo procedentes, alij prçibant principem ſuum, alij ſuo agmine ſequebantur. Qui tandem aliquando, & magnitudine procerior cunctis, & aſpectu terribilior turmis infinitis circumſceptus aduenit, ac poſito ſolio, cum in tribunali quodam ſublimiſsimo conſediſſet, uniuſcuiusq; actus diligenti cœpit examinatione diſcutere, illoſquè qui necdum ſe circumuenire ęmulos ſuos potuiſſe dicebant, uelut inertes, ignauosq; à conſpectu ſuo cum nota, & iniuria ſumma iubebat expelli, ſpacia temporis tanti, & opus inaniter ab eis expenſum cum fremitu, & indignatione furoris exprobrans. Illos verò, qui ſe nunciabant conſignatos ſibi met decepiſſe, ſummis laudibus cum exultatione, ac fauore cunctorum, velut victores, palmis remuneratos, ac redemitos ſertis, vtq; fortiſsimos bellatores ad exemplum cunctorum, glorioſiſsimos coram omnibus emittebat. In quorum numero cum quidam nequiſſimus ſpiritus, vtpotè quendam triumphum ſublimiſsimum delaturus, lætior adueniſſet, nomen monachi optime cogniti deſignauit, aſſerens ſe poſt quindecim annos, quibus eum iugiter obſediſſet, tandem aliquando præualuiſſe, vt eum eadem ipſa nocte ruina fornicationis eliderett: nam cum quadam ſacra puellæ impuliſſe, vt ſtupri crimen incurreret, dicebat. Super cuius proſecutione cum immane cunctorum gaudium fuiſſet exortum, ſummis à principe tenebrarum laudibus iſte prælatus, magniſquè præconijs coronatus abſceſsit.] Hæc Caſſianus, quæ haud fictam narrationē, ac vana ſomnia continent: reipſa enim à monacho, qui præſens aderat, compertum eſt, eluceſcente die, eum ipſum, quem immundus ſpiritus ſe decepiſſe aſſeuerabat, eadem nocte, quâ deterrimus ille eius lapſum ſuo principi nunciauerat, monaſterio priſtino derelicto, vicum petijſſe, & cum de-

ſignata

signata puella, fuisse lapsu miserabili deuolutum, vt idem Cassianus subdit. Tradunt alij, visum aliquando dæmonem certæ classi præsidentem, quasi iustitiæ administratorem, cum suis satellitibus, si desides fuissent, acriter egisse, non modò verbis, sed verberibus, & flagellis. Quę inania, & anilia videri non debent, etsi vniuersi dæmones incorporei sint, nec aures habeant, quibus dirigi molesta verba possint; nec humeros, aut dorsa, quæ torqueantur fustibus. Certo enim consilio permittit Deus innotescere, hac ratione, mortalibus, qui ijs potissimum excitantur, quæ externis sensibus intuentur, quoddam Satanici dominatus specimen, & accuratum eius regimen, vt intelligant, quantum in eorum perniciem exardescat sæuissima principis nequitiæ ira, quæ tanta crudelitate irasci potuerit satellitibus suis, quòd exiguum malum hominibus intulissent.

CAP. XIII.

Esse hunc dæmonum imperantium, & obsequentium ordinem, partim à diuina institutione, partim ab ipsorum natura, partim à propria voluntatis electione.

DISPOSVIT hunc dæmonum ordinem, quoad id, quod habet fundamentum in natura, eius sapientia, qui nihil inordinatum relinquit, *& attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sap.8. Suauis dispositio, non tollit conuenientia naturæ rerum. Superiores, ac sapientiores naturâ, inferioribus, ac minus scientibus bus præsunt, atque horum actiones, illorum legibus subduntur. Quia inferiora corpora, naturali ordine, sunt infra corpora cælestia: actiones, & motus eorum subduntur actionibus, & motibus corporum cælestium: ergo & actiones inferiorum dæmonum superiorum actionibus subijcientur, quòd naturali ordine, alij sub S.Thom.1.p. q.109.a.2.

alijs constituantur. Huc vsq; peruenit Authoris naturæ institutio, & naturæ ipsius exigentia. Accedit præterea voluntatis dæmonum beneplacitum. Cum enim libertate arbitrij, sint prædití, haud necessariò, in ijs, quæ à sola ipsorum libera voluntate pendent, inferiores superioribus subijciuntur, & obsequuntur. Mouere superior dæmon per vim inferiorem potest, vel certo loco alligare: nec, eum coget, vt motum, aut quietem velit. Nihilominus lubentissimè inferiores superioribus præstant obedientiæ obsequium, non coacti, & renitentes, vt aliquis sensit: etsi multoties repugnare pro

Hannibal. apud Carthus. 2. d. 6.

sua libertate possent. Ita postulat sceleratissima illa conspiratio in hominum ruinam. Dionysius Carthusianus ait, dæmones tùm libenter obediro, cum mandata eorum peruersæ voluntati plus placent: inuitè autem cum animaduertunt euentus difficultatem, ac metuunt, ne turpiter reijciantur, atq; de illis triumphet homo. Alacriores quidem in campum descendunt, cum de victoria benè sperant: at nunquàm inuiti aggrediuntur pugnam, quòd, innatâ superbiâ, nunquàm desperent de triumpho. Cupiunt stare proprium regnum, quod malignantium est, ideo; libera voluntate, inferiores superioribus parent: aliter quo tempore infestandi essent mortales, eo plerumq; inter se rixis, & discordijs altercarentur. Perseuerat in Lucifero superba affectio, quâ voluit æquari Deo, ac inferioribus absoluto dominio imperitare. Adhuc inferiores dæmones, nihil à proposito dimoti, Lucifero adhærent, eum loco principis habent, ac totum penes se rerum imperium; ideò inferiores se vltrò su-

Vdal. ex Carth. 2. d. 6. q. 3.

perioribus subijciunt. [Est, inquit Vdalricus, inter dæmones ordo prælationis, quo inferiores voluntariè subduntur, ac parent, quia affectus, quo in principio appetierunt excellentiam propriæ potestatis, quam & inferiores voluerunt adipisci per superiores, & è conuerso superiores per inferiores, manet absque fine in eis, quemadmodum in hominibus decedentibus in peccatis manent affectus culparum, & hoc in dęmonibus est causa tentationum, quia conantur sedere in lateribus Aquilonis, idest dominari multis iniquis, vnde,

&

& princeps mundi àpud Ioannem nuncupatur. Idcirco ad hoc consentiunt sibi inuicem in malo, quamuis simpliciter se mutuò persequantur, & odiant.] Io. 12. 14. 18.

Porrò autem huiusmodi pręlatio, sicut etiam de ordine dictum, non redundat in aliquod superiorum dęmonum bonum. Natura, pręlationis fundamentum, sêsê, bona est. Pręlatio ipsa, seruato diuinæ institutionis, & naturę ordine, vt inferiores per superiores purgentur, illuminentur, & perficiantur, optima. Natura inquinata peccato, turpis est. Pręlationis abusus contra Dei regulam, ad alienam perniciem, pestilentissimum malum, & summa iniqui pręsidis miseria: cum enim mala facere ad miseriam pertineat, pręesse in malis est esse magis miserum, vt D. Thomas ait. D. Tho. sup

CAP. XIV.

Quare dæmones dicantur suum principatum non seruasse. Quomodò libenter inferiores superioribus pareant, cum superbissimi sint. An mutuam in malum consensionem, aliqua inter eos charitas consequatur.

PESSIMO hoc prælationis vsu, ac peruersa dominandi ratione Angeli, qui peccauerunt, dicuntur suum principatum non seruasse, quòd non ritinuerint eum Principatus ordinem, quo Deus decreuerat, vt alij alijs præessent, sed eo peruersè abusi sint. Haud enim qui superiores sunt, cælestes intelligentias inferioribus impartiuntur, haud illis sacra Dei arcana reuelant, ordinatè ad bonum finem, Deum videlicet ipsum: verùm, si quid inter se communicāt, si quid superiores inferioribus mandant, id omne Deo aduersum, & contumeliosum. Condita est Angelica creatura tanquàm corporeæ imperatrix; eius partes erant præsidere mortalibus, illis bonum procurare, atq; eos in creatorem dirigere. Susceperunt B. Iudas in sua canon.

runt contrarium munus, propria libertate, atque loco salutarium monitorum, & eius opis, quâ mortales ad cælum duxissent: insidiarum fraudium, scelerum, periurij, & reliquam vitiorum prouinciam sortiti, in hominum detrimentum, eos cõtendunt in infernũ pertrahere. Hac de causa non seruauerunt principatum: quidquid .n. boni est in optimo principatu, (præter naturam, quam tamen peccatis deprauarunt) illud amiserunt; summam tyrannici principatus cõstituentes in concordi conspiratione, vt euertant Christi regnum, vt disseminent vitia, vt hominibus extremum exitium parent.

Sed, quî ais, praui spiritus, etiam infimi, superiorum legibus subiecti erunt, illis obedient, ac sæuissimum crudelissimi Tyranni iugum portabunt, qui recusarunt subijci creatoris dominatui? Dæmones, superbissimi sunt. Inter superbos semper iurgia. Impij sunt, impijs nulla pax. Verum est, nulla pax, nullum inter superbos, ac pessimos dæmones concordiæ bonũ, quod virtuti nitatur, & consistat in perfruendis bonis, ac rebus in optimum finem ritè ordinandis: at omnes consentiunt in malum, ac suo principi, quamuis nequissimo, quãuis tyranno obtemperant, exequuntur eius iussa, ac non recusant imperium. Odium in Deum, & homines, propensionem ad iurgia sedat, concordiam gignit ad malum, nec permittit, vt perpetuò inter se prælientur, ac decertent: si enim, vt alias dictum est, intestinis prælijs se se oppugnarent, tanta solicitudine struere hominibus insidias non possent. Quamobrem malunt inter se odia placare, quam cessare ab impugnatione hominũ, hac parte ijs simillimi, qui mutuas tãtisper inimicitias deponunt, vt capitaliorem hostem fugent, & interimant. Non ergo, vt & D. Thomas animaduertit, concordia dæmonum, qua alij alijs obediunt, est ex amicitia, quam inter se habeant, sed ex cõmuni nequitia, qua homines odiunt, & Dei iustitiæ repugnant. Est enim proprium hominum impiorum, vt eis se adiungant, & subijciant; ad propriam nequitiam exequendam, quos potentiores viribus vidẽt. Si naturę leges seruarẽt inter illos spiritus amicitia intercederet, mutuus amor, & beneuolẽtia, atq; mutuis officijs,

Prou. 13. Esa. 48.

D. Th. 1. p. q. 109. a. 2. ad 2

subditi

subditi principes, principes subditos prosequerētur, quòd mē bra, & caput, naturâ, stricto necessitudinis vinculo iungātur: at ipsamet natura labefactata peccatis, deprauata voluntas, mēs in malo obdurata, quę nūquā nō agitantur pessimis affectionibus, & importunis nocendi cupiditatibus, iustis legibus cōformem amicitiam dirimunt, vertuntq; amorē in odium; Quemadmodùm enim videtur in hominibus, iram, & odiū, superbiam, inuidiam, & alias huiusmodi pestilentissimas passiones, adeò impedire, & quasi suffocare naturalem dilectionem, vt vix ex ea modicus igniculus, aut scintilla tenuissima, boni desiderij ex illa emittat actum; sic non est mirandum si vehementia malignitatis huiusmodi spirituum, non permittit eos bonum velle, vel desiderare in alterutrum sed nec etiam cogitare, præsertim cum adeò illos occupet, possideatq; malignitas, vt penè nihil, si tamen eis aliquid, affectionis reliquerit. Et hoc ipsum manifestum est, in hominibus; quos ira vehemēter exagitat, qui dum in eos, quibus irati sunt sæuiunt, nec de se ipsis, nec de illis, quòd homines sint, præualent cogitare, nec de Creatoris iustitia, vel iudicijs. Gul. Paris. 2. p. 3. p. de Vn. c. 15.

Quod verò inter Satanici regni primates, & subditos, nullum sit amoris, & beneuolentiæ vestigium, licet vnanimes conspirent in malum, existimandum est, nullo modo ea commiseratione tangi, quâ solent principes subditorum, & subditi principum miserias, & ærumnas ægrè ferre. Quis enim scintillam pietatis in eo arguat, qui inuidissimus est? Tantum abest, vt quiuis dæmonum sociorum calamitate, & pœnis, misericordiâ capiatur, vt quantum in se est, optet, habere ipsos Angelos, qui Deo fruuntur, pœnarum socios, in subdetq; secum trahere, quoscumque mortalium potest, in illud miseriarum pelagus. Proprium est inuidiæ, cuius princeps diabolus, nescire amorem, pietatemque delere, ac desiderium excitare alieni mali. Inueteratæ malitiæ, immoderatæque libidinis partes, extinguere bonum semen in radice, cum euelli radix non potest, nec permittere inde oriri fructum.

CAP.

CAP. XV.

Quo ordine Satanicus princeps suis satellitibus officia detulerit. Aliquid dictum de munere dæmonum, qui à certis elementis nomen ferunt.



NEC verò inordinatè vtuntur, seu abutuntur dæmones principatu suo. Ordine quodam nocendi prouinicias distribuunt, supremi medijs, medij infimis. Lucifer in tartaro, cum ingenti suorum manu, deuinctus in hoc mundo præfecturam non habet. Eius locum alius hîc sustinet, dicente Hieronymo, omnium, qui in hoc mundo sunt dæmonum quendam esse principem. Beelzebub id munus sustinet, cuius potestate blasphemabant Iudæi, Christum eiecisse dæmonia. Volunt Hebræi vocari Reseph, ipsumq́; esse, qui in Paradiso sub figura serpentis cũ muliere sit locutus, & ex maledictione, qua à Deo condemnatus est, accepisse nomen: siquidem Reseph, reptans ventre interpretatur. Verùm vt diximus, qui mulierem in Paradiso est allocutus, omnium quidem dæmonum princeps est, nempe Lucifer: at hodie in gehenna est ligatus, quare alius, Lucifero inferior gerit hîc Principis vices. Vigilantisſimus est, ad malum, quicumquè ille sit, ac quanta potest solicitudine curat, vt suscepta, seu data quisq́; munera (fortè à Lucifero, antequàm in abysso, ingenti illa catenâ, deuinciretur) quàm diligentisſimè exequatur. Proximè ad principem accedunt minores duces, quibus subsunt certæ dæmonum turmæ, varijs intentæ officijs: singulæ tamen singulis. In ijs muneribus deferendis vitiosa æmulatione Dei omnipotentis curam, ac prouidentiam è contrario videntur imitati: Deus certis officijs, tutelaribus Angelis, distributis, inferiora

Apud D. Hier in c. 3. Habacuc.

hæc

hæc administrat in hominum vtilitatem. Et Princeps dæmoniorum suos satellites in certas classes ordinauit, vt quantum possunt, & quantum illis diuina permissione conceditur, quæcumque mala in hominum perniciem moliantur. Hinc innotuerunt aerei dæmones, aliquando, in gratiam pariter, ac in ruinam Magorum, & strigum, aerem perturbantes, uentos excitantes, uel sedantes, nubila suscitantes, pluuias prouocantes, ac tonitrua, tempestatesq; concitantes. Terrestres dæmones, sicut à loco, sic à munere illud nomen obtinuerunt, est enim eorum prouincia, uarijs artibus, hominibus in hac terra degentibus, insidias parare, seu illusionibus terrendo, seu fallaci futurorum prædictione decipiendo, seu procurata, proprijs causis, inualetudine, ægritudines, mortemq; inferendo. Aquatici non aliūd e dicti, quàm quòd soleant tempestates concitare, demergere nauigia, multis sæpè vitam eripere in aquis, ac circa fluuios mortalitatem fallere. Quoties, qui subterranea metalla fodiunt, qui thesauros in terra latentes auidè perscrutantur, in ijs locis quorundam dæmonum ludibria sentiunt? Hæc certa malorum spirituum classis, cui huiusmodi cura commissa est. Lucifugi dęmones, nisi desipiamus, qui nam censendi, præter eos, quorum munus est, noctu vagari, varijs eo tempore spectris terrere? Non me latet Marcum illum apud Psellum, & Trithemium Abbatem à loco vel à conditione naturę, hæc dęmonum genera distinguere: at natura, vt corporis expers, sic nulli loco corporeo sê sê affinis locum autem, meâ sententiâ, non colunt, nisi certi muneris causâ quemadmodum etiam, quòd Magi varia dęmonum officia noscant, varios dæmones in suis incantationibus, barbaris nominibus, appellant. Non est nostri laboris, de hac re singula referre.

De his dęmonibus vide Trithem. l. Quęstion ad Maximil. Cas q. 8 & Psel Dial. de dæmon. sed caue multos errores.

Psel. & Trithem. sup.

CAP. XVI.

Regnis, Prouincijs, Vrbibus, ac eorum populis, nonnullos dæmones adesse. Ex quo sint ordine.



ILLVD ducimus animaduersione dignū. Tantâ curâ Principem tenebrarum procurare, vt huius mundi regnum, in ditionem suam reuocet, deleatq; Christi principatum, vt non pauci Doctores scripserint, varijs regnis, ac distinctis hominū nationinibus, certos præfectos esse dæmonas, qui ad errores disseminandos, suadenda mala, atq; homines generatim à Dei cultu auertendos incumberent. Scimus prouidentisſimum Deum, prouincijs, regnis, vrbibus, ac singulis nationibus dedisse pastores, & curatores Angelos, id diuinæ litteræ insinuant, id sancti Patres apertè docent. In Exodo. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui.* Hoc loco Iansenius probat Angelorum custodiam. In Deuteronomio legimus, à Deo diuisos esse terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei: vbi enim vulgata editio Sixti Quinti habet. *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Septuaginta interpretes habent *iuxta numerum Angelorum Dei.* Ex qua sententia deducunt, singulis Gentilibus, Regnis, & Prouincijs tutelares Angelos præesse, Dionysius Areopagita, Epiphanius, Thodoretus, Isidorus Pleusiota, & alij. Gregorius Nazianzenus eleganti carmine hanc assertionem probauit, cum ait.

Iansen c. 71. concor. Eua.

Deut. 32.

Dion Areop de cæl Hier c. 9.
Ep. Hær. 51
Theod. q. 3 in Gen.
Isid. Pl. l. 2. Ep 51.
Alij in c. 10. Daniel.
Greg. Naz. Car 6. de substantijs mente præditis.

At pars æthereum circumstat sedula numen
Pronaq; ad obsequium. Pars altera sustinet orbem
Auxilio seruatq; suo: sic scilicet illi
Diuersa vt curent cælestia iussa sequentes
Illi homines, vrbes isti, gentesq; gubernent.

Id em affirmant Clemens Alexandrinus, D. Basilius, D. Hierony-

ronymus Ioannes Damascenus, & D. Isidorus. Clem. Alex. L.6. stromat.

Et superbissima illa bellua, quæ Deitatem affectauit, D. Basil. l. 3. atque absolutum in mundo imperium affectat, ibi gentium Ennom. malo (licet enim fauere in speciem videantur, semper tamen Damasc. 2. animi perniciem, exitiumq; moliuntur) satellites suos depu- fid. Orth. c. tauit vbi Deus saluti & incolumitati prouinciarum, ac popu- 3. lorum suos præfecit Angelos. Testes sunt huius satanicæ Isid. de sum. bono L. 1. c. 12. dispositionis Doctores, qui verba illa Gabrielis ad Danielem, *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & vno die-* Daniel. 10. *bus*, accipiũt de dæmone, cui Persis credita erat. D. Hierony- D. Hier. in mus id videtur voluisse, quanquàm non satis clarè suam sen- c. 10. Dan. tentiam exprimat. [Videtur mihi, inquit, hic esse Angelus, cui Persis credita est, iuxta illud quòd in Deuteronomio le- Deut. 32 iux gimus. *Quando diuidebat altissimus gentes, & disseminabat fi-* vers. LXX. *lios Adam: statuit terminum gentium iuxta numerum Angelo-rum Dei.* Isti sunt principes, de quibus Paulus Apostolus lo- Ap. 1. quitur: *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus prin-cipum seculi huius cognouit, si enim cognouissent, nunquam do-minum gloriæ crucifixissent.*] Angelus, qui Persis fauebat ex ijs fuit, qui Christum, eiusq; gloriosissimæ mortis vberrimos fructus ignorantes, Iudæos ad eum cruci affigendum incitarunt, ergo ex pessimis dæmonibus. Non ita mihi perspecta Hieronymi sententia, cum inter Angelos Dei, iuxta quorum Cassian. Col. numerum Deus statuit gentibus terminum, principes seculi 8. c. 13. enumerat, qui dominum gloriæ crucifixerunt. Angeli enim Dei, de quibus Moses, boni Angeli sunt, Principes seculi, de quibus Paulus, aduersæ potestates. Apertius Cassianus loquitur ad nostrum institutum, in hæc verba. [Principem regni Persarum aduersariam potestatem esse, quæ fauebat genti Persarum inimicanti populo Dei, minimè dubitandum est, qui ad impediendam vtilitatem, quam videbat per absolutionem quęstionis, pro qua propheta dominum exorauerat ab Archangelo ministrandam, liuens semetipsum obijcere festinauit, ne ocius ad Danielem salutaris Angeli consolatio peruolans, Dei quoq; populum, cui Gabriel Ar- Ruper. l. 9. de changelus præerat confortaret] Rupertus Abbas, vbi citata Victoria Verbi Dei.

 Hie-

Hieronymi authoritate confirmauit Principes illos Persarum, & Græcorum fuisse ex contrarijs potestatibus subdit. [Profecto etsi huius doctoris authoritas deesset, prudēs tamē auditor, principes illos Angelos malos intelligere nō dubitaret, scilicet contra quos bonis principibus præliandum erat, qui contradicebant precibus sanctorum hominum, & legationi sanctorum Angelorum. Si quidem mundi princeps diabolus à domino dictus est: cum de toto constet, de partibus quis dubitet? Si totius princeps mundi diabolus, non ne consequenter partium mundi, scilicet Pesarum, atq; Græcorum principes malæ potestates, maiori principi diabolo subministrantes rectè intelliguntur?]

Fuisse Dei Angelos sentit Theod in c.10. Daniel. Greg. l. 17. Mor. c. 8. D.Th. 1. p. q. 113 a 7.

Retuli horum doctorum placita non equidem, quòd sentiam, certum esse, Principes illos Grecorum, & Persarum, Principes fuisse tenebrarum: scio enim, quid aliàs à me dictum sit, quidquè sentiant Theodoretus, D. Gregorius Magnus, & D. Thomas: Verùm, vt non improbabili horum doctorum opinione, hunc regni Satanici ordinem confirmarem. Casfianus euidenti testimonio suffragatur, atq; explicat, ex quo ordine dæmones gentibus præficiantur nempè non ex infimis, sed ex Principatibus, seu Potestatibus, aut Dominationibus; sicuti horum ordinum sunt, quibus certa dæmonum clasfis subijcitur. Hęc Casfianus. [Idcirco dici Principatus vel Potestates (malos nimirum spiritus), euidenti possumus ratione colligere, quòd scilicet, uel diuersis gentibus dominentur, ac præsint, vel certè, quòd inferiores spiritus, atq; dæmonia, de quibus etiam Euangelia, legiones esse, propria ipsorum confesfione testantur, quęquè spiritalia nequitię ab Apostolo nuncupantur, suos exerceant principatus. Non enim dominationes dici possunt, nisi habeant in quos suas dominationes exerceant, nec Potestates, aut Principatus vocari queunt, nisi fuerint in quos potestates, aut principatus suos agant.] Idem Andreę Victorello placet.

Casf. Coll. 8. c. 14.

And. Vict. l. 2. de cust. Ang in fine.

CAP.

CAP. XVII.

Certum dæmonem tanquàm ducem, singulis præesse peccatorum capitibus, huic alios præterea multos subesse. In qualibet dæmonum classe alios alijs esse fortiores, & valiores ad nocendum.



HABET etiam hunc ordinem tartareum imperium, vt singulis vitiorum generibus certi incentores præsint sub certo duce militantes, quorum munus est, id potissimum crimen insinuare in hominum mentes, quod eis nequitiæ princeps commendauit; quasi vereatur callidus serpens, ne vanus, & debilis valdè euadat suorum satellitum conatus, si varijs vnusquisque dolis, & machinis sit intentus. D.Hieron., hãc ordinis ratione patefecit, cum inquit. [Sicut Ecclesiæ, & omnis viri Christus est caput, ita cũctorum dæmonum, qui in hoc seculo debacchantur caput est Beelzebub princeps dęmoniorum, & singulę eorum turmę habent capita, & principes suos, verbi gratia spiritus fornicationum, habet prępositum suum, spiritus auaritię habet ἀρχὸν suum, spiritus vanaglorię, spiritus mendacij, spiritus infedilitatis habent pręsides malitię suę.] Alibi idem Hieronymus. [Sunt quidam dęmones amoribus, & amatorijs canticis seruientes, vt propheta quoq; commemorat dicens. Spiritu fornicationis seducti sunt. Nam & barbara quędam nomina eorum esse dicuntur, vt sępe confessi sunt his, quos verè vulgus maleficos vocat, & incantationes, & preces, & colores varij, & diuersa metallorum genera, vel ciborum ad quę vocati assistere dęmones, & infelices animas capere memorantur. Alij verò iracundias, & furores, & bella committere, alij pręesse inimicitijs, & inter homines odia cõcitare.] Nilus apud Damascenũ docet, dęmonas distinctis inter se muneribus, ac varios pro

D.Hier in c. 3. Habacuc.

Hier. in c. 6. Ep ad Eph.

Oseæ 4.

Damasc. in Paral.l.3 c. 28.

sua

ſua prouincia ad varia peccata incitare, iuxta principis mandata. [Non omnibus, inquit, dęmonibus eadem ſtudia, aut eadem pernicioſa munera à diabolo imperantur. Alij enim aliud execrandum, ac Deo in viſum miniſterium mandatur. Quidam enim impias cogitationes in hominum pectoribus inſculpunt. Nonnulli autem fœdas, & obſcœnas cupiditates animæ ſuadent. Atq; alij quidem ad inanem gloriam, & inuidiam, & iracundiam, cæteraq; id genus extimulare conſueuerunt. Alij autem hæreticis diſputandi materiam ſubminiſtrant. Alij demum voracitati, ac temulentiæ operam impendunt. Ac rurſus alij quidem dæmones per inſomnia impoſturam faciunt, atq; homines ludificantur. Alij autem hominum corporibus voluptates inijciunt, atq; vt membra omnia nefaria libidine æſtuent, ac perturbentur, efficiũt, nebuliſq;, & caligine, ſenſus implent. Atq; item alij in cantatoribus, & veneficis, atq; inuocatoribus, operam nauant, auxiliumq; afferunt. Alijs rurſus vatibus magis delectantur, ad eoſq; accurrunt, atq; vnà verſantur. Deniq;, vt ſummatim dicam, vnaquæq; dæmonum claſſis, quædam miniſteria, & animæ pernicioſa negotia nacta eſt]. Caſſianus. [Noſſe debemus, ait, non omnes vniuerſas dæmones paſsiones ingerere, ſed vnicuiq; vitio certos ſpiritus incubare: & alios quidem immunditijs, ac libidinum ſordibus delectari, alios blaſphemijs, alios iræ, furoriq; peculiarius imminere, alios paſci triſtitia, alios cenodoxia, ſuperbiaq; malceri: & vnumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipſe gaudet inſerere: ſed nec cunctos pariter ſuas ingerere prauitates, ſed viciſsim prout temporis, vel loci, vel ſuſcipientis opportunitas prouocauerit.] Dæmones ipſi teſtati ſunt, ordinatim ſibi vitiorum prouinciam commiſſam. Iſaaco Thebæo Abbati adſtitit dæmon formâ adoleſcentis, qui ſe iræ, & vindictarum memoriæ preęſſe affirmauit. D. Machario innotuit dæmõ ingluuiei. Sacræ etiam paginæ, hoſce peccatorum prefectos non tacuerunt, cum meminêre Mammonæ, ſpiritus diuinationis, blaſphemiæ, tumoris fornicationis, & ſimilium.

Caſſ. Coll. 7. c. 17.

Pratum ſpirituale Auth. Io: Muſco c. 161. Palladius in Vita Macharij.

Habet vna quæque horum ſpirituum manus certum ducem,

ducem. D. Hieronymus supra citatus ait, singulas dæmonum turmas habere capita, & principes suos, Anselmus. [Vnicuiq; vitio, inquit, præsunt dęmones, qui sub se habẽt innumerabiles, qui animas iugiter ad vitia alliciunt, & mala hominũ suo principi cum magno cachino referunt: sunt etiam in quolibet ordine variæ potestatis, multiplicisq; nequitiæ satellites] Moris enim est dæmonum, fortiores, & virtutibus illustriores homines, potentioribus militibus ad bellum prouocare. Dęmon quidam interroganti Pachomio, quisnam esset, respondit. [Ego sum qui sancta lumina in terram præcipitio, & caligine mortiferæ voluptatis inuoluo. Ego Iudam quoque decepi, & ab Apostolatus deieci fastigio. Et te igitur ò Pachomi expetiui à Deo, & impugnare nõ cesso.] Et paulò post [Opus meum est, inquit, supplantare quos possum, magnosq; viros tentare non desino.] Pusillos virtutibus viros, infirmiores spiritus tentant. Votum dęmonis fuisset fortissimos quosque, quibus resisti vix possit, in hoc munus incumbere; amat enim opprimere, non pugnare, & decertare. Contrà, diuina bonitas permisit quidem, varios esse contrariarum potestatum gradus, eidem intentos crimini, vt imbecillis, & strenuis locus esset pugnę, & obtinẽdę coronę: at iure nõ est passa, pro sua libidine, malignũ illũ fortioribus tantùm satellitibus impugnare validos ęquè, ac debiles, ne in eius manu victoria esset, noluitque plus esse vitium in tentatore spiritu, quàm in homine tentato, vt sustinere quisquè hostis impetum posset. Cassianus. [Nequaquam, ait, ignorare debemus, non esse omnes contrarias potestates, eiusdem ferocitatis, & desiderij, sed ne vnius quidem fortitudinis, atq; nequitię, & incipientibus quidem, atq; infirmis non nisi infirmiores spiritus in certamine compararr, & his nequitijs spiritualibus superatis, gradatim sẽper aduersus athletam Christi robustior pugna succedit. Pro comparatione si quidem vitium, ac profectus humani, etiam difficultas colluctationis augetur. Nullo enim modo quilibet sanctorum sufficeret talium, tantorumquè hostium sufferre nequitiam; vel insidijs eorum posset occurrere, sed nec crudelitatẽ quidem, ac sæuitiam sustinere, si non

D. Ansel. in Elucid.


In eius vita c.49.

Cass. Coll. 7. c.20.

non certamine nostro clementissimus arbiter, atque agonitheta prę́sidens Christus, & exequaret colluctantium vires, & immoderatos eorum repelleret, ac refrenaret in cursus, faceretque cum tentatione exitum vt sustinere possimus.]

CAP. XVIII.

An vnicuique mortalium adsit impugnator spiritus. Negasse multos. Alios probabilius affirmasse. Id Ethnicis quoq; agnitum.



NON prætermittam silentio, Principem tenebrarum, adeo inuigilare, vt tartareum illud regnum augeatur incremento malorũ, atq; adeò accurrate, hac de causa, designasse suis inuadendi hostes prouincias, vt pręter instructa in perniciem nostram agmina, de quibus diximus, vnicuiq; etiam mortalium, vnum deputarit ex satellitibus suis, qui perpetuò inhęreret lateri, suaderet malum, traheret in vitia, & interitum. Nouit nequissimus à Deo, qui vult, omnem hominem saluum fieri, paterna pietate, cuilibet in hac vita, quicunquè ille sit humano semine procreatus, datum esse custodem Angelum, qui homini in hoc mundo, tanquam in fallaci quadam via constituto, mostraret iter ad cęlum, auerteretq; illum suis monitis, ac salutaribus hortationibus ab iminentibus periculis, internis, & externis; à peccatis, & flagitijs, quæ ei parare sempiternam mortem possent. Nouit, tantam esse dignitatem animarum, vt vnaquęq; habeat ab ortu natiuitatis suę Angelum delegatum. Suadente igitur eo desiderio, quo statim, ac conditus est tentauit assequi Dei ipsius solium, imperium, ac supremam in creaturas potestatem, & stimulante odio, quod in humanum genus concepit, vbi cognouit mortales in suas sedes, è quibus ipse pręcipitatus est, à Deo assumendos, voluit (Deo semper concedente) vnumquemquè mortalium à destinato dæmone assiduè impugnari, qua-

Propter Christum, cui opus non fuit custode Angelo, cum Deus esset, ac illi integri Angelorum exercitus ad nutum deseruirent. Hier in c.18. Matt.

quandoquidem mandasset Deus Angelis suis, vt vnumquē-que in omnibus vijs suis custodirent Haud assentiuntur, hîc vnanimi sententia alioqui doctores non eandem esse rationē tutelaris Angeli, & euersoris spiritus contendentes. Augustinus quidem Eugubinus [Non quemadmodum, inquit, datus vnicuiq; pastor, pædagogusq; (scilicet Angelus) sic datus aduersarius, deprauator. Tentant quidem dæmones, & vnusquisq; tentatur: sed non est ordo dati cuiq; aduersarij, quemadmodum adhibiti pastoris. Dicendum igitur datum singulo cuiq; pastorem, ducem, non datum maleficum pari sorte. Hostis est hominibus generatim malus ille.] Ferdinandus etiam Vellosil. vbi probauit singulis hominibus sin gulos Angelos in custodiam deputatos, ait, singulos tamen dæmones haud datos esse singulis hominibus ad instigandū ad malum, & accusandum, qua muis Deo permittēte ex malitia alicuius prouinciæ, vel ciuitatis deputentur in earum punitionem quidam ex malis Angelis. Ex veteribus tamen scriptoribus non pauci, ex scholasticis multi assentiuntur proposito à nobis decreto. In libro Hermetis, qui *Pastor* inscribitur, ætate Apostolorum conscriptus, (hic liber non videtur in multis spernendæ authoritatis, siquidem, & vtilis esse dicitur à B. Hieronymo, & ab alijs magni nominis authoribus in testimonium adducitur, Iræneo, Origene, Clemente Alexandrino, Cassiano, & alijs: licet dicant non esse in canone Athanasius, & Eusebius, eumque reiecerit inter apochrypha Gelasius Papa I.) hæc leguntur. [Duo sunt genij cum homine, vnus æquitatis, & vnus iniquitatis. Et ego dixi illi, quo modo domine scire potero, quod duo sunt genij cum homine? Audi inquit, & intellige. Æquitatis genius tener est, lenis, & verecundus mansuetus, & quietus. Cum ergo in cor tuum ascenderit continuò loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate. Hæc omnia cum ascenderint in cor tuum, scito quod genius æquitatis tecum est: huic ergo genio crede, & operibus eius. Accipe nunc, & genij iniquitatis opera. Primum amarus, iracundus, & stolidus, & opera

Psal. 90.

Aug. Eugub. l. 8 de Per. Phil. c. 40.

Fer. Vel. In Aduer. in 4. T. D. Chrys. ad 23 Q.

Hermes l. 2. mem 6.

Hier. de Scrip Eccl.

Ath l de decretis Nicen. Syn.
Eufeb. l. 5. Hist. c. 3.
Gelas Papa in Concil. Rom.

illius perniciosa sunt, & euertunt seruos Dei. Cum ergo in cor tuum ascenderint hæc, intelliges ab operibus eius, hunc esse genium iniquitatis.] Non infirma probatio, quam experientia cõfirmat. Rupertus Bellarminus, & purpureo ordine, & multiplici eruditione venerandus, inter cætera hanc sententiam, in hoc authore, dignam censuit notâ, ait enim; [Quamuis hic liber multa vtilia habeat, vt Sanctus Hieronymus scribit, habet tamen multa noxia, vt de vnica pœnitentia secundum errorem Nouatianorum, quibus hic liber omninò fauere videtur: vt etiam illud de duobus genijs, siue de duobus Angelis vno bono, & altero malo singulis hominibus à Deo tributis, quem errorem ex hoc authore accepit Ioannes Cassianus in tertia decima collatione. c. 12. & ante eum Origenes Hom. 35. in Lucam.] Hactenus Bellarminus. At quid cogit eam de duobus genijs sententiam enumerare inter errata? An leuiter vsurpatum genij nomen, quod Ethnicum est, & familiare Poetis, & Gentilibus? At illud in eundem sensum à Philone Iudæo adhibetur, & Lactantius dæmones Geniorum appellatione uocauit, & Iustinus eosdem dixit malos genios. An quòd non uideatur diuinæ bonitati consentaneum, permisisse continuò nobis adeò potentem inimicum assistere? At, id ipsum diuinæ bonitatis est argumentum; Permisit enim Deus nobiscum esse oppugnatorem spiritum, non ut nos oppugnaret, sed ut eum oppugnaremus, ac æternæ felicitatis coronam, gloriosâ pugnâ, consequeremur, strenuè decertando. An demum, quòd ea opinio probatis doctoribus careat? At in ea fuerunt celeberrimi Patres, doctissimiq; Scholastici. Tertullianus inprimis, id luculenter testatur. [Cui enim, inquit, non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua natiuitatis animas aucupabundus, uel qua inuitatus tota illa puerperij superstitione.] D. Ioannes Chrysostomus meminit peculiaris cuiusdam dæmonis, homini inhærentis, cum ait. [Si uelis irasci, non ei, qui est tibi genere coniunctus, sed malo tuo dęmoni irascere. Illi nunquam reconcilieris, illi iram tuam impende, & consume, in illum tende laqueum, neq; cesses aduersus eum bellum gerere.]

Bell. de Scrip. Eccl. ad annum 44.

Notatur in margine libri Pastoris, vti authorem voce gẽtilica genij. Philo l. de Gigan. Lact. l. 2. D. I. Iust. Orat. ad Pium.

Tertull. l. de ani. c. 21.

Io: Chryſ. in Pſal. 123.

Orige-

Origenes, cuius authoritatem, non est cur hoc loco spernamus, citati Pastoris libri sententiam amplectitur, ac inquit. [Sed & de Pastoribus liber hæc eadem declarat dicens, quod bini Angeli singulos quosq; hominum comitentur, etsi quando bonæ cogitationes cor nostrum ascenderint à bono Angelo suggeri dicit, si vero contrariæ mali Angeli dicunt esse instinctum.] Idem habet hom. 35. in Lucam, Gregorius Nyssenus addidit, id in occulta traditione acceptum. [Occultior, inquit, traditio, verus sermo ad nos vsq; descendit, quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino à clementia diuina neglectam, nec absquè suo patrocinio dimissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum, cuiq; constitutum fuisse, naturæquè nostræ corruptorem in omnibus contra annitentem, prauum aliquem, atq; maleficum dæmonem ad malè viuendum homines impellentem, ad singulos homines destinasse.] Author operis imperfecti, ait, duos Angelos permanere cũ homine bonum, & malum. Christianus Drunth. idem affirmat, quamuis nesciam, vt id collegerit, ex illo Matthæi, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei &c.*

Orig. 3. Peri. c. 2.

Greg. Nys. de vita Mos. ante med.

Chr. Drũth. in Fest. S. Mich.

Matt. 18.

Cassianus non sine diuinarum litterarum testimonio idem probat. [Quod vnicuiq; nostrum, inquit, duo cohęreant Angeli, id est bonus, & malus scriptura testatur. De bonis quidem saluator. Ne contemnatis, inquiens, vnum ex pusillis istis, dico enim vobis, quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Illud quoq;: Immittet angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Nec non etiam quod in Actibus Apostolorum de Petro: quia angelus eius est. De vtrisq; vero liber Pastoris plenissimè docet. Si autem consideremus, & illum, qui Beatum Iob expetijt, apertissimè instruemur, illum fuisse, qui semper insidiatus ei, nunquàm eum ad peccatum potuerit incitare, & idcircò potestatem à Domino poposcisse, velut qui, non virtute illius, sed Domini defensione, qui illum semper protexerit, vinceretur. De Iuda quoq; dicitur, & diabolus stetà dexteris eius.] Magister sententiarum non repugnauit, & ipse

Cass. Coll. 8. c. 17. & Coll. 13. c. 12.

Mag. Sen. 2. d. 11.

Vuu 2

Dion. Carth. in Areop. c. 14 a 63.
Alen 2. p. q. 41 m 4 a 1.
Aegydius 2. d. 11. q. 1 a. 2.
Hug. de Statu & Creat. Aug c 6.
Ber. sen. ser. 48. c 4.
Io: Mald. in c. 18 Matt.
Plutar de Animi Tranquil.
Menander.
Empedocles
Virgilius 6. Aeneid.
Diadochus de perfect. spir. c. 81.

ipse, vnumquemq; malum Angelum habere, vt habet bonum. Dionysius Carthusianus, in Magnum Areopagitam, ait, vnumquemq; hominum habere Angelum malum exercitatorem. Scholastici id vero simillimum putant, Halensis, Ægydius, Hugo Victorinus, Bernardinus Senensis, ex recentioribus Ioannes Maldonatus, Gabriel Vasquez, & alij.

Aliqui, veterum ethnicorum scriptores id senserunt, fortè experientiâ docti. Plutarchus Menandri carminibus recitatis,

Vnicuiquè in lucem cum primo editur
Genius bonus, vita totius magister
Adstitit.

subdit, [sed Empedoclis probanda potius sententia, qui vnumquemq; nostrûm, postquam est natus, arripi, gubernariq; ad duplicibus fatis, genijsq; docet.] Virgilius id probauit cū ait.

Quisquè suos patimur manes.

Seruius ad eum locum. [Nos ait, cum nascimur, duos genios sortimur, vnus est, qui hortatur ad bona, alius qui deprauat ad mala.] Dicuntur genij, quoniam quicumque enim hominum genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur, quibus assistentibus post mortem, aut assumimur in vitam meliorem, aut condemnamur in deteriorem.

Vnus idemq; malus dæmon adest integro homini, & animæ, corporiq; est infensus. Cur enim duo genera dæmonum distinguamus, subtiliorum, & crassiorum, ex quibus tenuiores animam, crassiores corpus molestent, cum dæmones nec habeant corpus, nec eorum vires sint adeò eneruatæ, quin animæ, & corpori, vnus inferre molestiam possit? Deceptus est Diadochus, neq; vt ego sētio, se præbuit rerū spiritualium peritum, cum inquit. [Duo esse genera malorum spirituum docet nos spiritualis cognitio. Alij enim sunt tanquam subtiliores, alij crassiores, subtiliores igitur animam oppugnant: crassiores verò, quibusdam sordidis consolationibus carnem ducere captiuam soliti sunt. Quamobrem dæmones, qui cum anima luctantur, & qui cum corpore sibi ipsi sunt aduersarij, tametsi par vtriusquè studium, ac propositum

situm nocendi hominibus.] Nouum prorsus opinamentum, quod vt ratione, & authoritate, sic fide caret.

CAP. XIX.

Quare oppugnator spiritus singulis hominibus datus sit à Principe dæmonum, cum vnus tentare plures possit. An dæmon, qui vni homini adhæsit, eo mortuo, adhæreat alteri. Quo tempore veniat in exercitium hominis.



OCCVRRVNT in hac quæstione, quam tractamus, aliquot dubia, digna in quibus aliquantulum immoremur. Illud primum locum tenet. Cur singulis hominibus, singuli tentatores dati sint, cum vnus infestare plures possit. Hęc erit causa. Deus pluriũ hominum curam non commisit vni tantum Angelo, sed pluribus; ac voluit quemq; suum custodem habere deputatum, ne forte contingeret aliquando, hominem esse sine pręside, & pastore suo: fieri enim poterat, vt duo ab vno Angelo custoditi in distantissima loca abirent, totoq; cęlo seiungerentur. Quamobrem si opus vtriq;, eodem temporis puncto, Angelico præsidio fuisset, alter eo caruisset, nam finitæ, & limitatæ uirtutis sunt Angeli. Pari de causa inuidissimus, qui percupit omnes homines à cælo auertere, atq; in peccata, ac æternam mortem trahere, ne aliquandò sine impugnatore spiritu sit, qui Angelum propugnatorem habet, uoluit omnibus horis præsentissimum esse homini aliquem ex suis satellitibus, qui dies, noctesq; eum sequeretur, ac persequeretur quocunq; iret.

Id, inquis, superat fidem: cum enim infiniti propemodùm homines hoc tempore uiuant, plures, tot elapsis seculis, obierint, & adhuc plures fortè procreandi sint in hoc mũdo, antequàm dies extremus adueniat; horum numerus longè excedet dæmonum multitudinem: non modo enim tot homines in cælum assumendi, quot dęmones è cælo lapsi, sed

sed multò plures cū dęmonibus da infernum, peccatis, damnantur, quàm egregijs meritis ad cælum ducantur. Quare inpossibile videtur, datum esse unicuique hominum distinctum dęmonem in hac uita, maximè cum multi carceribus Gehennæ inclusi detineantur.

Solutio secundæ difficultatis.

Hebebit huiusce dubij enodatio, secundæ à nobis propositæ difficultatis explicationem. Fatendum est, ui argumenti, non esse in tanta multitudine dæmones, ut unicuiquè mortalium distinctus tentator dari potuerit, qui nunquàm alteri adhæserit: at non est negandum, quin singulis hominibus, eo, quo in hoc mundo degerunt, tempore, dati sint singuli tentatores. Si redigantur omnes homines in vnum numerum, præteriti, pręsentes, & futuri, superabunt multitudinem, dæmonum: at qui pro tempore existunt homines, pauciores sunt dæmonibus hic in exercitium mortalium detentis; vnde potest certus aduersarius, quemlibet hominem comitari, quanquàm multis iam vitâ functis idem adstiterit oppugnator, & maleficus. A Petro Lombardo id accepi, qui hac ratione dubium soluit, & quatenus boni Angeli tutelæ commune est. [Licet, ait, maior sit numerus hominum computatis in vnum omnibus, qui fuerunt, & sunt, & futuri sunt, quàm Angelorum: tamen quia homines, decedentibus hominibus succedunt, & ideò nunquàm simul sunt in hac vita; Angeli verò nunquàm decedunt, sed simul omnes sunt, esse potest, vt singuli hominum dum in hac vita sunt, singulos habeant Angelos bonos, vel malos, ad sui custodiam, vel exercitium destinatos.] Quoad bonos tamen Angelos attinet, putant aliqui, eum qui semel suo functus est munere, perduxitq; sibi commissum hominem in æternam felicitatem, nunquàm in posterum idem officium suscipere. Iustinus Martyr huius est opinionis, cum inquit, custodem Angelum sequi animam post diuortium eius à corpore vsquè ad restituendi, seu renouandi mundi tempus.

Mag. Sen. 2. d. 11.

Iust. L. Qu. a gen. Christ. propos. q. 30.

Occurritur tertiæ dubitationi.

Petit tertium dubium, quo tempore peculiaris, cuiusq; aduersarius, & tentator spiritus incipiat adhærere homini. An statim, ac bonus Angelos adest? At quando nam bonus

Angelus

Angelus in hominis tutelam venit? D. Bonauentura ait, statim ac infunditur anima rationalis in vtero materno, aduenire custodem Angelum, qui eum tueatur à mortis discrimine, ac damnatione. Bonauenturam sequuntur alij. Doctor Angelicus, impugnatâ illorum sententiâ, qui apud Originem aiebant, Angelum ad hominis custodiam deputari tantum à die baptismi, quos ideò refellit, quoniam Angelus bonus à Deo deputatur homini quatenus rationalis est, non autem solummodò quatenus Christianus, subdit, iuxta D. Hieronymi sententiam, à natiuitatis puncto, hominem habere Angelum ad sui custodiam deputatum cum enim quandiu puer est in vtero materno non totaliter sit à matre separatus, sed per quandam colligationem sit quodammodo adhuc aliquid eius; Angelus, qui est in custodia Matris, custodiet prolem in matris vtero existentem; cum infans separatur à matre proprius Angelus ad eius tutelam veniet. Hoc decretum mihi probabilius. At, eadem ne impugnatoris spiritus ratio? Nequaquam censeo. Votum dæmonis est, non modò homines priuare cælo, sed eos habere secum in inferno, in cruciatibus; quare spe maioris lucri allectus, non insidiatur puerulis in vtero matrum existẽtibus, aut natis, ante salutare lauacrũ. Post baptismum, antequàm ad id tempus proles perueniat, quo labi homo potest, ac peccare, non est quòd illis calamitates, aut necẽ machinetur, euolaret enim ex eius manibus præda. Cum igitur dęmones possunt sibi hominem subijcere, eũq; trahere in peccata, tunc illicò adsunt, ac strenuè adoriuntur. Sæpè quidem, authore dæmone, infantulis illata mors. Verùm id malum, haud tribuendum certo dæmoni, qui puerum comitetur, sed ijs spiritibus, quibus Magi, striges, ac lamiæ se se certis legibus obstrinxerunt.

D. Bonau in 2. not. in tex. dist. 11.

Lege Gabrielem eadem dist.

D. T. p. p. q. 113 a. 5.

Orig. hom. 6. in Matt.

Hier. in c. 18. Matt.

D. Th. loco cit. ad 3.

Pauca hęc ordine de regni Satanæ dispositione, eiusq; impugnãdi ratione sufficiant. Ea, si placuit meditari, amplectere Lactantij salutare monitũ. [In omni hac vita, inquit, quia nobis aduersarium Deus reseruauit, vt possemus capere virtutem; omittenda est, præsens voluptas, ne hostis opprimat: vigilandum, stationes agendæ, militares expeditiones obeũdę, funden-

Lact. L. 5. Deut. Iust.

fundendus ad vltimum cruor, omnia deniq; amara, & grauiora patienter ferenda: eò quidem promptius, quò nobis Imperator noster Deus præmia pro laboribus æterna constituit. Et cum in hac terrena militia tantum homines exhauriant, vt sibi pariant, quæ possunt eodem modo perire, quo parta sunt; Certè nobis nullus labor est recusandus, quibus id acquiritur, quòd nullo modo possit amitti. Voluit enim Deus, qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie stare, & intentis acriter animis ad vnius hostis insidias, vel apertos impetus vigilare, qui nos, sicut periti, & exercitati duces solent, varijs artibus captat, pro cuiusquè natura, & moribus sæuiens.]

CAP. XX.

De cruciatibus Dæmonum. Aliqua de pœna damni, priuatione nimirùm diuinæ gloriæ.



ADEST extremum libri, explicandis dæmonum supplicijs reseruatum. Quæ huc vsq; diximus, miserrimos esse dæmones ex parte probant. Quis enim neget magnam esse calamitatem, à Dei gratia turpi quodam facinore excidisse, è cælo ea de causa deturbatos fuisse, nonnisi prauis operibus intentos esse? Quadruplex tamen restat adhuc sceleris pœna. Amissio cælestis gloriæ, ignis cruciatus, cruciatuum æternitas, atq; omnis prorsus gaudij, voluptatis, vel solatij priuatio. Beatitatis iactura, in eo, cui nulla spes esse potest eius assequendæ, omnium pœnarum maxima est: habet enim annexum tantum mali, quantum boni, frui Deo infinito bono. Qui Deum norunt, eiusq; diuinæ visionis bona, semper durius supplicium reputarunt, amisisse cælestem gloriam, quàm vniuersa gehennæ tormenta pati, Chrysostomus, [Noui inquit, quod plurimi pertimescant tantum gehennam: ego tamen illius gloriæ amissionem, multo amarius, quàm ipsius gehennæ

Chrys. hom. 24. in Matth. ad c. 7.

gehennæ dico esse supplicium.] Eodem loco. [Intolerabilis quidem res est, & suppliciū illud horribile: tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus, quale est à beatę illius gloriæ honore repelli.] Ad Theodorum lapsum scribens, notat tanquàm rudes eos, qui pluris faciunt inferni cruciatus, quàm cæli gloriam. [Sunt, ait, quidam absurdi iudicij, hi duntaxat amant effugisse gehennam: contrà ego, multò durius esse tormentum quoddam assero, quàm gehenna est, hoc est, non esse assecutum tantam gloriam, & illinc elapsum esse. Neque opinor equidém tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto necesse est, casum deplorare, quo de cælis excidimus, qui est nimirum cruciatus omnium durissimus.] Basilius Magnus prædicabat, abalienationem, atquè auersionem, inter omnes pœnas, quæ in gehenna expectantur, intolerabiliorem, grauioremq́; esse. Agentes de Lymbo puerorum, fusè explicabimus Augustini sententiam, vbi scripsit, mitissimam eorum pœnam, qui pro solo originali crimine puniuntur, esse diuinæ visionis carentiam. Interim accipe Diui Bonauenturæ solutionem. In infantulis, qui ex hac vita migrarunt sine baptismi regeneratione, diuinę visionis iactura dici potest mitissima pęna, vt ait Augustinus, norunt enim, se minimè exclusos à cælo, crimine aliquo, quod ipsimet patrarint, sed primi parentis culpâ, qua de causa, nihil doloris, aut tristitię percipiunt ex hac amissione. In ijs verò, qui suâ met voluntate, à Deo, atquè ideo à summa felicitate recesserunt, grauissima pœna est diuinæ glorię priuatio: consequitur enim eam acerbus dolor, ac molestissima tristitia. Nouit dęmon summum diuinę visionis bonum, nouit illud à se propriâ culpâ amissum, ideò non potest non vehementer angi, & cruciari; haud certè quapiam in Deum charitate, haud quòd in Deum peccando iniuriosus fuerit: verùm sui causâ, vellet enim esse summè felix, etiam Deo inimicus, etiam peccato pollutus. Intelligit, se solum beatitudinem sibi ipsi eripuisse, atquè in propria potestate fuisse ea mala declinare, in quibus versatur; hinc oritur acerbus dolor, vehemens tristitia, quæ illum perpetuò

Basil. orat. de fut Iudi.


Aug. in Enchir. c. 93.

Bonauent. 2. d. 33.

instar vermis corrodit. Hæc verò amissæ gloriæ pœna haud in omnibus dæmonibus est æqualis quoad dolorem, quem gignit: non enim in omnibus æqualis est culpa. Pœna sequitur peccatum, ac dolor, & tristitia sequuntur notitiam amissę beatitudinis, propriâ culpâ; ergo vbi grauius peccatum, ibi maior cruciatus.

CAP. XXI.

De pœna ignis. Hanc pœnam certam esse, incertum pœnæ modum. Reijciuntur cogitantes torqueri dæmones igne, quòd putent sibi molestiam inferri ab hoc elemento, cum tamen re eos flamma non lædat.



TORMENTVM ignis, quod secundo loco memoratum est, ad pœnam sensus pertinet, sensus inquam, non quòd sensu percipiatur, spiritus enim carent sensibus, sed quòd res quępiam vera, ac realis, non autem nuda priuatio, pęnam gignat. Notum omnibus id supplicium, qui rectè de Fide nostra sentiunt. Mortales, dimissa mortalitate, igne afficiendos,
a Psal 10. 20. a sexcentis locis Sriptura tradit. Quid de diabolo putabimus,
120. cui præcipuè [b] pręparatus ignis dicitur? Difficile tamen sem-
Isa 66. per fuit ad intelligendum, ac valdè controuersum inter Do-
Hierem 15. ctores, quo pacto incorporei spiritus cruciari igne possint.
Apoc 20 Matt 13 &c. b Matt 25. Multi multa dixêre, nihil, quod difficultate careat. Cogitarunt aliqui, re ipsa, ignis pœnam aliud non esse, præter cogitationem, ac vehementem apprehensionem illati sibi ab igne mali, cum tamen ignis sē sê nihil lædat. Itaq; cruciabuntur igne dæmones, ac damnati, non quòd huiusmodi elementum quidquam illis molestiæ inferat, at quòd cogitent sibi inferri, veluti si quis cremari se somniaret, sentiret quidē ea cogitatione aliquid doloris, veruntamen nullo pacto igne cremari.

cremante doleret. Videtur hæc opinio placuisse Alberto Magno, & D. Bonauenturæ. Referri etiam solet in eius confirmationem Diui Gregorij testimonium, qui de cruciato in gehenna spiritu, hæc scribit. [Ignem namque eo ipso patitur, quod videtur, & quia cremari se aspicit crematur.] Innuit si quidem, solo aspectu, hoc est mentis cogitatione, malos spiritus, igne cremari. Alb. M. 4. d. 44. a. 20. Bon. 4 d 44. a. 3 q. 2. D. Greg. 4. Dial. c. 29.

Repugnant, quotquot ita sentiunt, non obscurè sacro eloquio, ac Patribus, à quibus didicimus dæmonas, eorumq; ministros vero, solidoq; igne torqueri, & cruciari, ita vt dolor ab igne ipso percipiatur: igitur non sola imaginatione, ac apprehésione illati doloris ab eo, quod verè dolorem non inferat. Cogitatio doloris, apprehensioq; alicuius mali, tãquàm præsentis, quod re vera nullum sit, molestiá non caret: res tamen cogitata, quæ nulla est, nullum infert malum, quamuis delusa cogitatio, seu apprehensio, sibi putet inferri. Quid? Vt demus somniantes, quibus rei veritas occultatur, ac homines, qui facilè falli possunt, ac decipi, aliquando imaginatione præsentis mali, quod re absit, angi: id tamen iure affirmari de dęmonibus non potest, quorum intellectus quoad naturalia, cum errore sit immunis, nec falli vana, falsaq; opinione possit, haud cogitabit, sibi molestum ignem, ni molestiam, re ipsa, inferat. D. Gregorius ne somniauit quidem somnolentam illam ignis pœnam: innuit tantùm, recitatâ sententiâ, haud cremari spiritus modo corporum, quæ igne rediguntur in cineres, sed ex igne incorporeo, à spiritibus, spiritalem incorporeumq; dolorem percipi, quod est, vero igne corporeo, non autem ignis cogitatione torqueri, subdit enim. [Igne visibili ardor, & dolor inuisibilis trahitur, & per ignem corporeum mens incorporea, etiam incorporea flamma cruciatur.] Quin eodem capite, videtur Gregor. sua authoritate refellere eam ipsam opinationem, quæ pœnam spirituum in sola apprehensione apparentis mali collocat [Colligere, inquit, ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima, non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur.]

CAP. XXII.

Opinantes apprehensionem absentis boni, scelerumq; recordationem esse dæmonibus instar ignis cruciamenti.



STATVERVNT alij, sola apprehensione absentis boni puniri spiritus. Philosophis hæc opinio tribuitur. [Philosophorum modernorum, ait Bonauentura, positio fuit, quod substantia spiritualis dolere potest, & pati, non per actionem alicuius, sed potius per priuationem. Posuerunt enim, & intellexerunt, quod anima desiderat summum bonum, quo potest priuari propter mala merita in hac vita, & ideo ex eius carentia generatur in ea maxima tristitia, & hanc pœnam dixerunt esse post hanc vitam, & non aliam, sicut non est aliud gaudium spiritibus, nisi in contemplatione summi boni. Et ista fuit positio Algazelis &c.] Multi hæreticorum, maxime recentiorum, quorum perniciosa dogmata primo, & secundo libro recensuimus, non alium infernum, non alium gehennæ ignem agnoscunt præter memoriã scelerum, & tristitiam amissi boni. Non est, quod referam testimonia Patrum, & Scholasticorum, qui insinuare videntur metaphoricum esse inferni ignem, id enim factum citatis locis. Adde hîc ad rem nostram, quorundam Doctorum sententias, qui infernalis ignis veritatem fatentes, eius cruciatum nonnisi ad corpora retulisse videntur, quasi ignis nihil doloris inferat dæmonibus. D. Isidorus, innuit in inferno mentem vri tristitiã, corpus flammã. Innocentius, ignem corporeum tãtũmodo ad corporis cruciatũ reuocat. [Vindicta carnis impij, inquit, vermis, & ignis: Vterq; duplex interior, & exterior. Interior qui rodit, & vrit cor, exterior qui rodit, & vrit corpus.] Durandus etiam quamuis nihil hac in re definiat, ac fateatur, neq; à mortali homine posse apertè cognosci veritatem, neq; eò vsq; procedi, quin nobis occultus quippiam

Bon. 4. d. 44. a. 3. q. 1.

Algaz. 5. Phis.

Primo lib. c. 19. Secundo lib. c. 1.

Isid. l. de sũmo bono c. 13.

Innocen. 3. l. 3. De contem. Mun. c. 2.

Dur. 4. d. 44. q. 2.

modus

modus ſuperſit explicandi malorum ſpirituum cruciatus: ſcribit tamen, corporeum ignem nullo modo collocatum eſſe in gehenna propter ſpiritus à corpore ſeiunctos, ſed propter corpora damnatorum, quibus eorum animæ aliquando copulandæ ſunt; ac decernit aliter igne cruciari dęmones, qui nec ſunt, nec eſſe poſſunt alicuius corporis forma, aliter animas. De animabus ſuo loco agemus. De dæmonibus igitur ait, verè igne corporeo non torqueri, quanquàm dicantur à ſacris litteris, & doctoribus cruciari ſecundùm accommodationem quandam, & figuratum dicendi modũ. Cum enim triſtitia ſpiritalis, & delectatio, ſint eius naturę vt difficillimè ab imperita multitudine dignoſcantur, cruciatibus corporeis, atq; ſenſilibus voluptatibus figuratè exprimuntur. Quapropter cũ ſummus dolor ſenſilis ſit ab igne, qui eſt maximè actiuus: triſtitia, & dolor ſpiritualis in quibus verſantur mali Angeli, carentiâ diuinæ viſionis, ac asſidua cogitatione priuationis tanti boni, quę illos quaſi ardentisſimus ignis excruciat, propter ſummam acerbitatem, & vehementiam, non ineptè dicentur ab igne eſſe, ſimilitudine quadam, & metaphorica locutione. Non deeſt aliquod argumẽtum ad eã opinionẽ confirmandã. Illud præcipuũ. A delectatione, & felicitate bonorum angelorum, ad pœnam, & miſeriam malorum licet arguere, vt ergo puri Angeli, ſola diuinæ naturæ contemplatione, felices ſunt, ac beati, quicquid enim illis tribuatur, quod ſit commune corporibus, veluti veſci, videre, loqui, id omne metaphoricum eſt, & figuratum; etiam impuri ſpiritus, ea de cauſa, miſerrimi, & infelicisſimi erunt, quòd vehementisſimè doleant, & triſtentur amisſione, & carentia ſummi illius boni, cuius poſſesſione beati fuiſſent, ni propriâ culpâ, illius prorſus indigni facti eſſent, non autem quouis corporeo cruciatu, maximè cum nullius rei corporeæ complacentia deliquerint, quemadmodum homines.

Quanquàm longè diſpari ſententia ab hæreticis, Scholaſticorum aliqui ignis cruciamentum, ad moleſtisſimam animi corroſionem, ob amiſſum, cauſa peccati, ſummum bonum, retulerint: fatentur enim hi ignis inferni veritatem, illi — Arguitur cõtra relatam opinionem.

illi

illicam penitus tollunt, nihilominus non caret suspicione erroris opinari, spiritus, sola diuinæ visionis priuatione, atq; natâ inde tristitiâ, cruciari, aliquid prætereà pœnæ, huic cruciatui, scripturâ, & Patribus apertè adiungentibus, & vniuersis doctoribus opinionem illam refellentibus. D. Bonauentura huiusmodi vsus est argumento. Si originali peccato, inquit, vbi est pura priuatio iustitię, debetur pœna damni, & carentia beatitatis æternæ, peccato actuali, quod non modo consistit in priuatione, sed etiam in deordinata delectatione, non debetur tantùm æternę beatitudinis carentia, verùm etiam pęna aliqua excruciãs. At huiusce rationis vim facilè quis declinaret in hunc modum. Dignum est originale crimen priuatione summi boni, at nullam inde tristitiam, pœnamq; sensus hauriunt, qui nullo sunt actuali flagitio inquinati; cum ergo damnati spiritus, in summa sint tristitia, & anxietate, quòd videant se, propriâ culpâ, orbatos summo bono, animoque reuoluant scelera, quæ fuêre in causa tanti mali, in hoc satis elucebit crucians pœna. Sacris ergo oraculis, cõmuniq; doctorum consensu euidentissimè refelluntur. Nec enim diuinæ paginæ parati dæmonibus ignis, & torquentis malos flammæ meminissent, ni, diuinę iustitię decreto, elementum hoc dæmonibus æquè, ac malis animabus, in gehenna molestum esset. Patres, & Scholastici confitentur vno ore, igne ipso, inquinatos spiritus cruciari, licet miris, & occultis modis. Quòd si qui ignem ad corporis cruciatus referunt, id faciunt, quòd mortalibus, eius pœnę ratio sit euidentior. Si quis verò affirmaret, Scripturam & Patres metaphoricè loqui, cum prędicant ignem diabolo, & malis hominibus paratum, manifestis suffragijs faueret hęreticis, qui idem volunt, cum diuinę paginę sensa eludunt.

D. Bona. sup. — Matt. 25.

Lege Palud. 4. d. 44. q. 7.

Durandi argumentis satisfiet, si dicamus non esse parẽ rationem felicitatis bonorum spirituum, & damnationis malorum. Deus est omnis bonitatis fons, & bonitas omnis, cuius aperta contemplatione, ac perfecta possessione, spiritalis creatura vndequaq; felix est, & beata, summeq; delectatur; At eius bonitatis carentia, haud est omne, totumq; malum,

lum: non modò.n. priuatio boni diuini, sed cuiuscunq; boni, maximè concupiti, est aliquod malum: vt ergo dęmones essent summè miseri, non modò cęlesti beatitudine priuandi erant, sed etiam corporeis tormentis subijciendi: sic.n. etiam naturali quadam felicitate priuantur, cum veluti serui, & mancipia, ijs, peccati causa, subduntur, quibus imperassent, ni in Creatorem insurrexissent.

CAP. XXIII.

Dæmones igne cruciari, quòd, diuinâ vi, eos veluti catenis vinctos detineat, D. Thomæ, & aliorum doctorum opinio.



VM itaq; ignis ipse, quemadmodum sacrorum oraculorum, & Patrum sententię indicant, cruciandi dæ[illegible]s munere fungatur, dicendum est aliquid cruciatus, ab hoc ipso elemento, malos spiritus pati: nec enim cogitatio illati ab igne supplicij, vbi ignis nihil lædat, aut absentis boni anxia meditatio, iure ignis ipsius cruciamenta appellentur. D. Thomas, qui id intellexit, inquit, ignis pœnam esse, quòd veluti horridus quidam, & durissimus carcer, diuinâ iustitiâ vim dante, dæmones ita sibi alligatos deuinciat, vt minimè liceat illis vel latum vnguem ab eo discedere. Summam hinc tristitiam in malis mentibus gigni, cum nimirùm cogitant, se, rebus corporeis, naturâ, præstantiores, in eam venisse calamitatem, vt eos corporeum elementum detineat, & coerceat [Non sic existimandum est, verba sunt D. Thomæ, quòd substantiæ incorporeæ ab igne corporeo pati possint, quòd earum natura corrumpatur per ignem, vel alteretur, aut qualitercumq; transmutetur, sicut nunc nostra corpora corruptibilia patiuntur ab igne. Substantiæ enim incorporeæ, non habent naturam corporalem, vt possint à rebus corporeis immutari: neq; etiam formarum sensibilium S.Th.4.C.G. c.9.

susceptiuę

susceptiuæ sunt, nisi intelligibiliter: talis autem susceptio non est pœnalis, sed magis perfectiua, & delectabilis. Neq; etiam potest dici, quòd patiantur ab igne corporeo afflictionem ratione alicuius contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur: quia substantiæ incorporeæ, organa sensuum non habent, neq; potentijs sensitiuis vtuntur. Patiuntur igitur ab igne corporeo substantiæ incorporeæ per modum alligationis cuiusdam: possunt enim alligari spiritus corporibus, vel per modum formæ, sicut anima corpori humano alligatur, vt det ei vitam, vel etiam absq; hoc quod sit eius forma, sicut necromantici, virtute dæmonum, spiritus alligant imaginibus, aut huiusmodi rebus. Multò igitur magis, virtute diuina, spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt: & hoc ipsum est eis in afflictionem, quod sciunt se rebus infimis alligatos in pœnam.] Eiusdem, cum D. Thoma, sententię sunt non modò eius interpretes, sed etiam (quatenus alligatione ad ignem cruciari spiritus tradit) reliqui ferè doctores, qui licet varias prætereà cruciatus rationes assignent, concordant tamen, dæmones infernali igni alligatos, hancquè summam esse calamitatem, vt videre est apud Scotum, Durandum, Petrum Paludanum, Gabrielem Biel, & D. Bonauenturam.

Scot. 4. d. 44. q. 2. Dur. Ibid. q. vlt. Palud. Ibid. Biel. q 3. a. 2. concl. 5. Bon 4. d. 44. a. 2. q. 3. p. 2.

Fungitur ignis, iuxtà horum Doctorum opinamenta, cruciandi munere, detinet enim malos spiritus voluntate renitente. At vbi acerbissimi dæmonum cruciatus, si id vnū illis est molestum, quòd discedere à tartareo igne non possunt? Quæ molestia, id secum ferre continuò, adde necessariò, à quo nihil mali possis metuere? Igni certè à Sacris paginis, sanctisq; Patribus, certum aliquod, ac peculiare sibi cruciandorum spirituum munus, tributum est, quod tandem illud erit, sit tantummodo crucientur, quod sint igni indissolubiliter nexi? Nullum erit, ac pari à cęteris elementis molestia affici poterunt, atquè re afficientur, siquidem, nec ab ardenti aere, nec à terra & obscura terræ mole profundam gehenna fossam ambiente, post commune examen, egredi eis liberum erit, immò non magis improbis spiritibus

horrori,

horrori, & pœnæ erit infernale incendium, horridusq; carcer, quàm domus amplissima, aut certum cæli spacium, si fingas, hisce locis, veluti carceribus quibusdam, inclusos.

CAP. XXIV.

Eorum placitum, qui specie quadam intelligibili ab igne, virtute diuina, in mentem dæmonum deriuata, cruciari spiritus volunt. De Scoti opinione.

FVIT multorum persuasio, ab igne ipso, diuina vi eleuato, emitti speciem quādā intelligibilem, in intellectum dæmonum, ac damnatorum, quâ mens ita perturbetur, vt velint nolint, nunquàm non cogitent de igne; summè angi, ac dolere, assidua hac cogitatione, idquè esse dæmonum, & animarum supplicium. Fuit huius opinionis Ægidius Romanus, cui & Richardus subscripsit. Richardi verba refero, siquidem dilucidiùs hanc sententiā explicat.] Videtur, inquit aliorum opinionibus refutatis, dicendum, quòd ignis infernalis, non obstante quòd sit corporeus, spiritus separatos affligit in quantū est diuinæ iustitiæ instrumentum, quia eos affligit afflictione ad quam disponit virtus naturalis ignis illius: nec tamē qualemcumq; afflictionem potest causare in illis spiritibus, nisi in virtute increatæ iustitiæ principaliter illos spiritus punientis, mouentis, & dirigentis illum ignem ad illorum spirituum cruciatum. In illo igne enim est naturalis aptitudo, vt eius species recipiatur in intellectu spiritus separati, sed quòd per talem modum in illo intellectu imprimatur, & cum vehementia tali, quòd ita ad se reuocet, seu conuertat intentionem ipsius spiritus, quòd per hoc ita notabiliter impediatur in aliorum consideratione contra suam voluntatem, quòd tale impedimentum sibi sit pro graui onere: hoc est per virtutem iustitiæ increatæ.] Hoc supplicio vult cruciari spiri-

Aegid. Quodl. 2. q. 9
Richar. à M. V. 4. d. 44. a. 2. q. 9.

tus: addit tamen & illud, de quo D. Thomæ sententiam recensentes, nimirum coactam in igne detentionem, perpetuamq; alligationem.

Non valdè discrepat ab istis Scotus, qui omnis tristitiæ causam, in continuam quandam, & intensam ignis considerationem retulit, quam tamen haud voluit à specie intelligibili proficisci, sed ab igne ipso, dæmonum intellectum, diuina potestate, ita afficiente, vt perpetuò in eius cōtēplatione, seu cognitione versetur, ex quo, inquit, summā oriri in malis spiritibus tristitiā. Vbi enim egit de cruciatu ignis, quatenus spiritum diffinitiuè detin et, rursus de illo agens, quatenus immutat obiectiuè, sic ait. [De modo qualiter ignis, vt obiectum immutans contristat, consimiliter quoad aliquid dicēdum est. Et primò intellectus Angeli determinatur perpetuò ad intensè considerandum ignem in ratione obiecti. Secundò apprehēdit istam determinationem ad talem considerationem. Tertiò odit, & sicut prius istud odium oritur ex affectione commodi, ex qua vult quodcumquè obiectum prout sibi delectabile fuerit considerare, nunc hoc, & nunc illud, & promouetur ex superbia, ex qua vult vti intellectiua sua secundùm imperium voluntatis propriæ, & consumatur ex inuidia, propter quam odit determinari à Deo ad aliquam considerationem vnicam. Quartò sequitur apprehensio non tantùm nuda istius considerationis, sicut in secundo, sed apprehensio certa de euentu istius considerationis intensæ, & perpetuæ. Quintò ex hoc sequitur tristitia.] Atquè hanc tristitiam, ait Scotus, multò vehementiùs cruciare malos spiritus, quàm perpetuā in igne alligationem; cum enim intelligendi facultas in dæmonibus præstantior sit facultate motrice, maior erit tristitia si facultas intellectiua lædatur, quā motiua: læditur autē intellectiua, cum detinetur dæmon in cōsideratione intensissima ignis, nam impedit, hæc detentio liberum vsum intelligentiæ, ne intellectus alia perfectè consideret: cum tamen detentio dęmonum in igne, solummodo facultati motrici impedimento sit, ne cuilibet corpori iungere se pro suę voluntatis imperio possint.

Scot. 4. d. 44. q. 2.

Non

Non caret multis difficultatibus horum doctorum sententia. Etenim, an diuinæ litteræ, sacrique doctores prędicant, igne ipso cruciari dęmones, an verò similitudine, imagine, seu forma intelligibili eiusdem ignis? Igne certè. Igitur non specie ignis. Deinde, quo pacto tantopere eius speciei receptione, cruciabuntur malorum mentes? Vulgatum est decretum illud, *intelligibile perficere intellectum*, quare nulla species, cuius ope mens intelligat, erit intellectus cruciatiua.

Tantæ, ais, est excellentię, & dignitatis, ea ignis similitudo, vt lędatur, ac crucietur intellectus dęmonum, statim ac illam in se suscipit, quemadmodùm, & oculi aspectu solis hebetantur. Sed, lędat sensum sensibile aliquod, intelligibile nunquàm lędet intellectum. Neq; quòd ea species à Deo pręcipuo authore fit, à quo natura dęmonis omnino dependet, quatenus intelligibilis, dolorem inferet dæmonibus; siquidem à quouis illa forma veniat, modò intellectui non aduersetur, mentem non lædet. Esset quidem molestum intellectui, quauis recepta specie, in certi obiecti contemplatione detineri, nec posse mentis aciem voluere quò lubet. At prætterquàm quòd valdè leuis esset hæc molestia: constat illius speciei munus non esse, intellectricem facultatem detinere, ne cętera cogitare pro suo arbitratu possit: est enim omnibus notum, quàm multiplici rerum generi dæmones mentem adijciant, quàm varia cogitent, accurratè considerent, re efficiant, in hominum perniciem.

Occurritur responsoni Richardi.

CAP. XXV.

Dæmones, torqueri igne, quòd Deus communicarit illis qualitatem, quâ affici dolore ab eo elemento possint, non secus ac sensus afficiuntur, cum amburitur corpus.

SVNT qui igne infernali cruciari spiritus putent, quòd Deus dæmonibus, malisq; animabus vim quandam communicarit, quâ pari ab hoc elemento molestiâ afficiantur, ac corporis sensus cum illud amburitur. Henricus Gandauensis huius opinionis author extitit. [Ignis, inquit, affligit spiritum inquantum calidus: & eodem genere afflictionis, quo affligeret sensum corporis. Sed cum non est, actiuum sine passiuo sibi correspondente: non potest ignis agere sua naturali actione in spiritum ipsum affligendo, nisi spiritus possit pati ab ipso passionem veram, qualem sensus reciperet ab igne, potentia autem propria in recipiendo huiusmodi passionē nō est nisi sensus: & actus actiuorum non sunt nisi in patientē, & disposito, diabolus autem vim sensitiuam non habet: restat ergo difficultas ex parte spiritus, quomodo passionem ab igne corporali in se possit recipere. Nec potest dici, quod est in eo naturaliter: quia tunc indifferenter pateretur existens in igne infernali spiritus peccator, & non peccator, & magis peccator, & minus peccator: cum peccatum non sit dispositio ad pœnam nisi meritoriè. Illud autem falsum est, dicente Gregorio 4. Dial. c. 43. Vnus gehennæ ignis non eodem modo cruciat peccatores, vnusquisquè enim quantum exigit culpa, tantum illic sentit de pœna. Restat igitur, vt videtur, quòd Deus naturæ spiritus angelici, & humani commune vim, qua pati possit ab igne corporali imprimit supernaturaliter. Vel sic vtriq; naturaliter inest, licet nobis latet.

Henr. Quod l. 8. q. 34.

At cuius quæso generis hæc vis? Spiritalis ne, an corporalis?

poralis? Non spiritalis, cum enim spiritale se se affici dolorē à corpore non possit, aptum ad id, quauis re spiritali, non fiet. Si corporea, recipi in Angelis malis haud poterit, quemadmodum nec actio ignis.

Sed demus vt lubet, quauis qualitate, quęcumq; ea sit, dæmoni, aut animæ à Deo impressa, posse malos spiritus ab igne cruciari, nunquàm tamen modo sensuum cruciabuntur. Non enim anima corpori alligata ab igne patitur, nisi recepta in corpore, quod viuificat, molesta, ac crucianti qualitate, eaq; corporea, & sensibili, ex qua membrorum intemperies, ac dolor consequitur; At verò diuulsa à corpore, cruciari huiusmodi qualitate non potest: nec enim, vt potè carens corpore, eius capax; multò minùs dæmon, qui non modò spiritus est, sed nec dare vlli corpori vitam potest.

CAP. XXVI.

Deum, igni gehennali virtutem quandam impressisse, quâ cruciare spiritus possit, aliorum sententia.



CONTRA alij, hanc cruciandorum spirituum vim in igne collocant, existimantes, diuina virtute, tantum facultatis, media quapiam qualitate, gehennalibus incendijs concessum, vt parem mali Angeli, & damnatæ animæ dolorem ex ignis vicinitate percipiant, ac percipit anima ipsa copulata carni. Dominicus Soto in hanc sententiam iuit, consideratis aliarum opinionum difficultatibus. [Crediderim ego, aie, si mea quippiam valeat coniectura, quod quemadmodum anima dum corpus, quod in hac vita viuificat, exuritur, peculiarem afflictionem, & tristitiam patitur, aliam scilicet, quam si tormentum alius generis corpus pateretur, puta si suffocaretur aquâ, vel pateretur febrim; ita in inferno, exuta corpore, eandem tristitiam, & afflictionem sentit, quam passura est, dum corpus, quod resumpserit, sensualem dolorē patietur.

Sot. in 4. d. 49. art. 2. q. vnica.

patietur. Atque hanc vim habet ille ignis tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ in dæmones, atq; animas; nempe, quod afflictionem, quam in anima mediante dolore corporis resumpti effecturus est, faciat absq; illo dolore.]

Eadem argumenta hanc sententiam euertunt, quæ superiorem. Siquidem, non ideò dicimus, animam vestitam corpore cruciari, & dolere, cum aduritur corpus, quòd ea qualitas, quæ dolorem parit, nudam animam attingat, quæ spiritus est, sed quòd in corpore animato, contraria illi, & molesta qualitas recipiatur, quæ coniunctione animæ cum corpore, tristitiam in illa gignit. Si enim anima aliquod corpus regeret, quod tamen eã non viueret, nullo afficeretur dolore, etsi illud ardentissimis ignibus in cineres redigeretur. Fieri ergo non potest, vt dæmones, seu animæ damnatorum à corpore segregatæ, non absimilem ex gehennali igne dolorem hauriant, ac corporei sensus. Deinde, quid tristitiam parit, cum tristitia ipsa dæmonum, necessariò circa aliquid sibi aduersum, minimeq; conueniens, debeat versari? Id iuxta Soti decretum, nec esse potest qualitas ipsa, quoniã nunquàm dolent sensus, nisi contrariæ qualitatis, eæque corporeæ, receptione. quæ autem qualitas dæmonibus, aut separatis animabus, medio igne vt instrumento, à Deo impressa dicitur, spiritalis censetur, propterea q; diuersã inferet tristitiam à dolore sensuum; Nec esse potest ignis apprehensus tanquam nociuus, quoniam sensus corporis non dolent, quòd anima cogitet molestiam ignis, verùm quòd in corpore molesta qualitas recipiatur. Quamobrem inesse separatis spiritibus dolor eiusdem rationis cum dolore sensuum non poterit, nisi adsit corpus, quod spiritu viuat, sine quo nullum est munus sensuum.

Lege Gab. Vasq. p. p. disp. 143. c. 4.

CAP.

CAP. XXVII.

Statuitur, ignotum esse mortalitati, qua ratione ignis cruciet dæmones: fatendum tamen, ardore suo, cruciare.



ATEOR rei difficultatem, quæ tanta est, vt explicare eam mortalitas non possit. Id commune præcipuis fidei nostræ mysterijs, in quorum vestigatione mens deficit, cum paulò altiùs, sua vi, rimari ea contendit. Captiuare oportet intellectum in obsequium fidei, cum humana argumenta non satisfaciunt. Docuit nos æterna veritas, ardentissimũ ignem dęmonibus, ac malis hominibus in pœnam paratum. Matt. 25. Cur dubitemus ab igne quanquàm corporeo, incorporeos dæmones, animosq; improborum cruciari, vt ab igne ipso vstionis, seu ardoris molestiâ afficiantur? Non habet naturalis ignis facultas tantum virium, vt possit pœnam inferre spiritibus, sicut argumenta superiorum capitũ probãt; At cur Deo vim dante id non possit? Quia admirabile videtur? [Cum mirari cœperis, inquit Hugo Victorinus, & dixerit forte tibi cogitatio tua, quomodo hoc esse possit. Cogita facientem, & desinet esse mirabile quicquid fuerit: sed si mirabile esse non desierit, tamen incredibile non erit, nec impossibile quicquid erit.] Hugo l. 2. de Sacram. p. 8. c. 11. Quęris cõiecturas. Humanus animus, licet spiritalis, corporeis membris alligatur, ac verè dolet, si quid aduersi corpori accidat: dæmones, quòd spiritus sint, ab igne inferni, Omnipotentis iustitię instrumento, non torquebuntur, ita vt, haud tantùm in igne sint, sed ab igne molestiam percipiant, haud tantùm de igne cogitent, sed etiam, seclusa cogitatione, ignis cruciatus sentiant? Salutaris regenerationis aquę, corporeæ sunt: abluunt tamen quidquid peccati, dignè suscipientis animam expurcet, atq; in ea Dei gratiam gignunt, tanquàm diuinę bonitatis instrumenta; Cur ignis

corporeus, diuina vi, innato sibi ardore, malos Angelos: re ipsa, non excruciet? Modum nescis? Nec mihi cruciandi ratio est perspecta: cruciare tamen certò credo, non metaphoricè, sed verè ac propriè. [Cur non dicamus, inquit Augustinus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœnâ spiritalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum membris insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, immò spiritus dęmones licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non vt ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu, & corpore: sed vt dixi, miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.]

Aug. 21. de Ciuit. Dei c. 10.

CAP. XXVIII.

Sentiant ne dæmones non modò ignis pœnam, sed etiam frigoris, & aliorum elementorum molestias.

A resp. 14. ad 30.



PRAETER ignem, reliqua elemēta, in gehenna collocata esse, vt offensas creaturarum in creatorem vlciscantur, satis constat secundo libro. An ab eis quoq; dæmones pœnam accipiunt, atq; igne pariter, & frigore, alijsque elementorum pœnis cruciantur? Sensisse videntur cruciari, Ægidius Romanus, & Gulielmus Parisiensis. Ego, cum ex Scriptura nihil hac de re colligam, affirmare non audeo. Igne, & frigore, reliquisq; cruciamentis torquendos impios sacra oracula insinuant, & Patres testantur, vt alibi probatum, dęmonibus vnum ignem paratum reperio, nullibi frigus. Veteres etiam Patres inter dæmonum supplicia non memorant frigoris pœnam. Pluribus, inquis, mortales

Aeg. Quod l. 2. q. 10. Paris. 2. p. de Vniu. p. 3. c. 16.

mortales cruciatibus afficientur, quàm dæmones. Quid absurdi si annuam, cum sciamus, homines animâ, & corpore torquendos; dęmones solo spiritu, quòd corpus nõ habeant? Michael Palatius hãc rationẽ assignat. Quia homines aliquãdo peccant ex timore, aliquando ex amore, igne, qui amori respõdet, & frigore, qui timori plectẽdi sunt; dęmones tãtùm e amore peccarunt, ideo solo igne cruciandi. Verùm, quid si quis æternis pœnis adiudicetur, qui ex amore tantum, non ex timore deliquerit? An pœnâ frigoris erit immunis? Sacrę paginę, & Patrum testimonia, omnes damnatos comprehendunt. Non video argumentum, quod disparitatem doceat, quare impij igne, frigore, &c. cruciandi sint, non autẽ dæmones, nisi quia id Scriptura tacet. Non erunt tamen mitiores dæmonum, quàm hominum pœnæ, ni leuior sit culpa: nam vnus cruciatus, acerbitate, distincta numero tormenta potest excedere. Licet verò ignotum sit, an ab omnibus elementis in inferno dæmones dolorem percipiant: notum est, quòd possint percipere: valet enim argumentum Parisiensis. [Si mali spiritus passibiles ab igne materiali iustissimo Dei iudicio effecti sunt, cur non similiter, & ab aqua, & ab aere, & à terra passibiles erunt?]

Palatius 4. d. 45. disp. 2.

Paris sup.

CAP. XXIX.

An dæmones in hoc aere existentes, ignem ipsum gehennalem secum ferant. Cur, si pœnâ ignis hîc afficiuntur, timeant ne pellantur in infernum.



VIDENTVR, quæ de pœna ignis diximus, eos tantum dęmones respicere, qui in ipsamet gehennæ fornace includuntur. Quid de ijs, qui in hoc mundo commorantur in exercitium mortalium? An sic ignis cruciatu afficiuntur, vt igni sint alligati? Impropabile putant multi, dæmones extra infernum existentes gehennali igni re coniun-

ctos esse, & astrictos, quanquàm aliquam pœnam ignis sentiant, quòd illis perspectum sit, fore aliquando, vt ex hoc mundo abeant, & in ignem inferni conijciantur, Angelicus Doctor huius fuit sententiæ: inquit enim. [Spiritus damnati nunquàm sunt extra infernum, nisi ex dispensatione diuina, vel ad instructionem, vel ad exercitium electorum, vbicunq; extra infernum sint, semper tamen vident ignem inferni, vt eis in pœnam præparatum: vndè cum ista visio sit immediatè affligens, vt dictũ est, vbicunq; sunt, ab igne inferni affliguntur: sicut & captiui etiam extra carcerem existentes quodammodo à carcere affliguntur, dum vident se ad carcerem damnatos. Vndè sicut gloria electorum in nullo minuitur, nec quantũ ad præmium essentiale, neque quantum ad accidentale, si aliquando extra cœlum Empyreum sint, quod quodammodo in gloriam eorum cedit: ita etiam in nullo, pęna damnatorũ minuitur, si extra infernum ex diuina dispensatione ad tempus, ponantur.] Idem sentit Thomas Argentina, qui addit, Deum, medio ipso igne in gehenna existente, eodem prorsus supplicio, ac pœnâ torquere sontes Angelos in hoc superiori orbe degentes, ac torqueat in gehenna conclusos. [Mali Angeli (inquit vbi decreuit, dæmones hîc nõ esse sociatos igni gehẽnæ localiter, quoniã humana corpora comburerent, & aerem incenderent) quandò sunt apud nos, sunt in flammis infernalibus mentaliter, quia diuino iudicio, apprehẽsio illarum flammarum continuè ipsis imprimitur, qua impressione ipsi affliguntur, sine intermissione, non minus si Deus voluerit, quàm si huiusmodi flammis localiter iungerentur: agit enim huiusmodi ignis in spiritum damnatum, sicut diuinæ voluntatis instrumentum, ideo non minus potest agere in spiritum localiter absentem, quam in præsentem, quia virtus diuina non est alligata præsentiæ locali, ideò non minus in absentem, quàm in præsentem dęmonem potest Deus, mediantibus huiusmodi flammis, imprimere pœnam infernalem.]

D. Th. 4. d. 44. A. 3. q. 3. ad q. 3. ad 8. & p. p. q. 64. a. 3. ad 3.

Th. Argent. d. 4. a. 3.

Molin. p. p. q. 54. a. 4.

Nonnulli ex recentioribus suspicantur Deum se solo sine igne, aliauè inferiori causa, infligere in dæmones ea tormenta,

menta, quæ passuri erant in inferno. Alij, Deum ipsum cruciare malos spiritus, media quadam qualitate eos incendente. Hæc omnia non improbabilia. Barad. Th. 2. Concor. Euan. l. 5. c. 17.

Sed quid obstat, quominus sentiamus, dæmones vbicunquè sint, secum habere non modò tormentum ignis, sed ignẽ ipsum? [Sicut gehenna, ait Beda, semper ardet, sic diabolus vbicunquè sit vel in aere, vel sub terra, secum fert tormenta flammarum suarum. Idem ad eundem locum scribit Glossa ordinaria. In c. 3. Epist. d. Iacobi. Glossa. An obstabit fortè, quòd à mortalibus apertè videretur tartareus ignis, qui tenacis, crassęquè materiæ est, siquidem illum gestarent secum dæmones? An quòd aerem incenderet? An quòd dæmon ambureret omnino eos, quos nonnunquàm, Deo permittente, obsidet? Audi. Ignis inferni diuinæ iustitiæ est instrumentũ, eoq; Deus destinauit vti tantummodò ad cruciandi munus. Sunt igitur diuinę prouidentiæ partes, illi adimere quidquid aut officere vniuerso, aut impedire cruciãdi munus potest. Hac enim de causa nõ lucet, non necabit corpora damnatorũ, non minuit immensi frigoris pœnam, terræ molem, quâ circumscribitur, non absumit, impares cruciatus infert, & multa efficit, quæ sê sê non efficeret: multa non efficit, quæ sê sê efficeret. Quamobrẽ putandum est, diuinâ prouidentiâ, ignem, quem secum dæmones, & damnati extra gehennam trahunt, nec à mortalibus inspici, nec eo quicquàm illis molestiæ inferri, quòd Deo authore, nihil aliud possit, quàm cruciare sontes.

Cur, inquis, dæmones hîc degentes, si vel ignem ipsum gehennæ secum gestant, vel sine igne, pœnâ ignis afficiuntur, adeo timent ne in tartareum carcerem conijciantur? Respõdetur secundę parti Capitis. Conquesti sunt aliquando praui spiritus de Christo, quod venisset eos torquere ante tempus: petierunt enixè, ne illos mitteret in abyssum. Quid ita, si tunc temporis abyssi molestias sentiebant? Dæmones haud dixerunt Christo, *Venisti huc ante tempus torquere nos*, quòd minimè torquerentur: indubitatum enim est, licet aliqui antiquorum Patrum videantur secus opinati, dæmonum pęnam non esse dilatam vsq; ad extremi iudicij tempus, sed statim ac designatum Matt. 8. Ita S. T. 1. p. q. 64. a. 4. ad 3.

ſibi viæ ſpacium, in peccato, abſoluerunt, digna ſupplicia recepiſſe, quemadmodùm etiam de malis animabus Fides noſtra decernit. Chriſti præſentiam, eiuſquè vim aliquatenus dignoſcentes, ac redemptionis humanæ bonum meditantes, acrius torquebantur, vel certè ea protulerunt, quòd timerent, nè in gehennã pellerentur: Optimè ſciunt ſe in gehennam conijciendos, magno iudicij die. Aiebant ideò, veniſſe ante tempus torquere illos, dubitantes, ne ante iudicij diem, imperaret ſibi, vt in infernum irent, non quò inferni pœnas declinarent, quas patiebantur, ſed quò mortalibus nocere in hoc mundo poſſent; reputant enim extremis ſe cruciatibus affici, ſi ab eo loco excludantur, vbi moleſtias inferrè non poſsint mortalibus: ob id rogabant etiam Chriſtum, ne eos mitteret in abyſſum. [Magnum tormentũ reputant dæmones, inquit S. Thomas, quòd non poſsint hominibus nocere: ſed ſi eſſent in inferno non poſſent ita nocere: & ita tormentum eis magnum eſt, intrare in infernum.] Hac ratione explicari poſſunt Patrum ſententiæ, qui indicant, pœnam dæmonum in diem iudicij reſeruatam.

Concil. Florent. in Litt. vnionis.

Luc. 8. S. Th. in c. 8. Matt.

CAP. XXX.

De æternitate pœnarum Satanicorum ſpirituum; Error, qui Origeni tribuitur, de fine aliquando dæmonum cruciatibus imponendo. Ambroſii locus, vbi aſſentiri videtur Origeni. D. Hieronymum, ab aliquibus in eandem hæreſim trahi.



POENARVM æternitas, omnium ſuppliciorum, meâ ſententiâ, atrociſsimum eſt. Magna profectò miſeria carere Deo, torqueri igne, & reliquis cruciamentis: at nulla maior, quàm priuari Deo, ac cruciari, ſine vlla ſpe, vel conſequẽdi ſummum illud bonum, vel alicuius tormentorum leua-

minis.

minis. Nimium mites fuerunt nonnulli, atq; erga dæmones insana quadam pietate, misericordes, cum voluerunt, fore aliquando, vt in cælum redeant, vnde elapsi sunt, atq; ab omnibus pœnis absoluantur. Non referam hîc eos, qui ausi sunt asserere Luciferum cum dæmonibus suis, iniuriâ, cælo pulsum, tandemque beatitati cum suis Angelis restituendum; Michaelem, & Angelos eius, æternis cruciatibus esse deputandos. De ijs dicam, qui dæmonibus iustè cruciatis, subueniendum, diuina bonitate censuerunt.

Apud Trithemium in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1315.

Multi ex antiquis Patribus Origenem accusant, quòd voluerit, tandem aliquando dæmones, à summis gehennæ cruciatibus liberandos, atq; in cœlestem patriam, ad quam creati fuerant, deducendos. Id Origeni tribuunt D. Hieronymus, Augustinus, Theophilus Alexandriæ Episcopus, D. Damascenus, & alij; Multis in locis Origenes significauit, elapsis aliquot annorum curriculis dæmones saluandos esse. Sufficiat vnum adscribere ex Libris Periarchon, vbi videtur hanc quæstionem ex professo agere. [Angeli, ait, qui de statu primæ beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis quos supra descripsimus sanctis, beatisq; ordinibus subiecti sunt ad regendum: quorũ adiutorio vsi, & institutionibus, ac disciplinis salutaribus reformati, redire, ac restitui ad statum beatitudinis possunt. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum, qui vtique in futuro seculo, vel superuenientibus seculis, cum cælum nouum, & terra noua, secundum omnes iam cœperit, restituetur in illam vnitatẽ, quam promittit Dominus Iesus dicens ad Deum Patrem pro suis discipulis. *Non pro istis rogo solum, sed pro omnibus, qui credituri sunt, per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut ego in te Pater, & tu in me, & isti in nobis vnum sint.*] Paulò post. [Sciendum tamen, inquit, esse quosdam, qui ex vno principio, quòd supra diximus, delapsi sunt in tantam indignitatem, ac malitiam, vt indigni habiti sint institutione hac vel eruditione, quâ per carnem humanum genus, adiutorio virtutum cœlestium, instituitur, atq; eruditur: sed è contrario

D. Hier. Ep. ad Auitum. & Apol. aduer. Ruf. Aug. 21. de C.D. c. 17 & 13. l. de Hæres. 43. Theophil. Alex. l. 2. Pasch. Damasc. l. de Hæres. V. Origeniani. Orig. l. 1. Peri. c. 6.

Io. 17.

aduersarij, atq; repugnantes his, qui erudiuntur, atque imbuuntur existunt. Vndè & agones quosdam, atq; certamina, omnis hæc habet vita mortalium, prę luctantibus scilicet, & repugnantibus aduersum nos his, sine vllo respectu, qui de statu meliori dilapsi sunt, qui appellãtur diabolus, & Angeli eius, cæteriq; ordines malitię, quos Apostolus de virtutibus contrarijs nominauit. Iam verò si aliqui ex his ordinibus, qui sub principatu diaboli agunt, ac malitię eius obtemperant, poterunt aliquando in futuris seculis conuerti ad bonitatem, pro eo quòd est in ipsis liberi facultas arbitrij: an verò permanens, & inueterata malitia, velut in naturam quandam ex consuetudine conuertatur, etiam tu qui legis probato, si omnimodè, neq; in his, quæ videntur temporalibus seculis, neq; in his, quæ non videntur, & ęterna sunt, penitus pars ista, ab illa etiam finali vnitate, atq; conuenientia discrepabit. Interim tam in his, quæ videntur, & temporalibus seculis, quàm in illis, quæ non videntur, & æterna sunt, omnes isti, pro ordine, pro ratione, pro modo, & meritorum dignitatibus dispensantur: vt alij in primis, alij in secundis, nonnulli etiam in vltimis temporibus, & per maiora, ac grauiora supplicia, nec non & diuturna, ac multis (vt ita dicam) seculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati & restituti, eruditionibus primo angelicis, tum deinde etiam graduum virtutibus, & sic per singula ad superiora prouecti, vsquè ad ea, quę sunt inuisibilia, & æterna perueniant, singulis videlicet, quibuscumq; cælestium virtutum officijs, quadam eruditione, in specie peragratis.] Hęc Origines, quæ satis absquè interprete eius mentem aperiunt.

D. Ambros. in Epist. ad Ephes. c. 3.

D. Ambrosius dicitur nescioquid scripsisse, quod Origenis placitum ex parte imitatur, nã commentarijs in epistolam ad Ephes. ad ea verba, *vt innotesceret principatibus, & potestatibus*, ait, Deum tantum Paulo Apostolo, & Ecclesiæ tribuisse, vt non modò, his doctoribus, mysterium Christi innotesceret gentibus, sed etiam aliquibus ex contrarijs potestatibus: ita ut per Ecclesiasticã prædicationẽ ab errore desistere, desererentq; assẽsũ tyrãnidis diaboli possint. [Tã benè de Paulo

verba

(verba ſunt Ambroſij) ſenſit Deus, vt non ſolùm gentibus hunc magiſtrum daret, verùm etiam vt per eum veritas Chriſti innoteſcat ſpiritibus in cęleſtibus, qui ſunt principes, & poteſtates. Poteſtates ideò, quia potentiores ſunt inter cęteros ſpiritus. Principes autem eò quòd principentur poteſtatibus, vt agnoſcentes per Eccleſiam, quæ multifariè ad vitam attracta eſt, in Chriſto vnius Dei manere myſterium, deſinant ab errore. Id enim agitur, vt prædicatio Eccleſiaſtica, etiam his proficiat, & deſerant aſſenſum tyrannidis diaboli, quâ ſe aduerſus Dei vnius fidem impia præſumptione armauit.] Paulò infrà accommodat illud Dauidis. *Tollite portas principes veſtri* &c. ad principes tenebrarũ, & inquit. [Dicitur ergo his principibus, qui in errore ſunt in cæleſtibus, ſiue miniſtris eius in terris, vt auferant portas principis ſui, ideſt diaboli, de mentibus ſuis, per quas multorum Deorum aſſerendorum error intrauit.] Videtur expreſſa Origenis ſententia de quibuſdam dæmonibus minimè irremediabiliter lapſis, ac in ſalutem reuocandis, Eccleſiaſticis inſtitutionibus.

Pſal. 23.

Orig. l. 1. Pet. c. 6.

Ruffinus libro primo ſuę in D. Hieronymum inuectiuæ, inter cętera illi obijcit, quòd in ſententiam Origenis ab eo damnatam, inciderit, commentarijs in Epiſtolam ad Epheſios, ad ea verba. *Vt ſimus in laudem gloriæ eius, nos qui ante ſperauimus in Chriſto.* [Pręmia, (inquit Ruffinus vbi D. Hieronymi ſententiam examinauit) ponis in his omnibus, qui modò non credunt: ideſt diabolo, & Angelis eius, licet inferiora: & eum de cuius ſola pœnarum aliquando venia opinionem, non ſententiam alterius arguis, tu in regno Chriſti ad pręmia ſecunda perducis.]

Ruff. l. 1. inuect. in Hier.


Hieron. in c. 2. Ep. ad Eph.

CAP.

CAP. XXXI.

Quibus remedijs, dæmonibus subueniendum esse Origenes censuerit. Absurda hæresis, quam illi tribuunt aliquot Patres, Christum iterum in aere affigendum cruci pro salute malorum Angelorum. Argumenta, quæ Origeni fauent.

Orig. L. 1. Periar. c. 6.



ICET intelligere ex sententia Origenis à nobis relata, quibus nam adiumentis voluerit, æternam salutem dæmonibus restituendam: nempè sanctorum, beatorumq; ordinum adiutorio, & institutionibus, atq; virtutum exercitio: aliquando dixit, notis Deo modis, à pęnis, & miserijs liberandos. D. Hieronymus testatur, inaudita, absonaq; prorsus ratione, voluisse Origenem, dæmones saluãdos, nimirùm per Christum, qui renouata passione, iterum in aere, diris tormentis afficiendus sit, & demum morte in ligno crucis, vt aereas potestates à crimine mundet, quemadmodùm in terra cruci est affixus, vt terrenos homines à culpis lauaret. In Apologia quidem aduersus Ruffinum, Hieronymus ait, sensisse Origenem, Christum sępè passum, & sępiùs passurum. In epistola autem ad Auitum, cui titulus est. *Quid cauendum sit in libris Periarchon*, hæc scripsit. [Cum dixisset (Origines nimirum l. 4. Periarchon) iuxtà Ioannis Apocalypsim Euangelium sempiternum, idest, futurum in cœlis, tantum præcedere hoc nostrum Euangelium, quantum Christi prædicatio legis veteris Sacramenta: ad extremum intulit (quod & cogitasse sacrilegum est) pro salute dæmonũ Christum etiam in aere, & in supernis locis esse passurum. Et licet ille non dixerit tamen, quòd consequens sit, intelligitur: sicut pro hominibus homo factus est, vt homines liberaret:

Hom. 8. In Iosue.

Hier. Apol. cont. Ruff. Epistola ad Auitum.

liberaret: sic & pro salute dæmonum, Deum futurum, quòd sunt hi, ad quos venturus est liberandos.] Refert Hieronymus Origenis verba, quæ hunc errorem sonant, aitquè, se ea accepisse ex libro quarto Periarcon, hæc autem sunt. [Quãquàm audax, & temerarium sit in cœlo Saluatoris quærere passionem: tamen si spiritalia nequitiæ in cœlestibus sunt, & non erubescimus crucem Domini confiteri propter destructionem eorum, quæ sua passione destruxit, cur timeamus etiam in supernis locis, in consummatione seculorum aliquid simile suspicari, vt omnium locorum gentes, illius passione saluentur?] Alij eiusdem erroris Origenem accusant. Theophilus Alexandriæ Episcopus, multis eius erroribus refutatis, sic inquit. [Verùm quid ista commemoramus? Cum in tantam irruperit victoriam, immò dementiam, ut aliud saluatori crimen impingat, dicens, eum pro dęmonibus, ac spiritualibus nequitijs, apud superos adfigendum cruci, nec intelligit in quàm profundum impietatis corruat barathrum. Si enim Christus pro hominibus passus homo factus est, consequens erit, ut dicat Origenes, & pro dæmonibus passurus, dęmon futurus est; hoc enim necessitate cogetur inferat, ne ab eo, quod cœpit discrepare uideatur imitator Iudęorũ, & illi enim Christo similiter loquebantur, dæmoniũ habes, & in Beelzebub principe dæmoniorũ eijcis dęmonia.] Seuerus etiã Sulpit. testis est, Alexãdrię fęda extitisse certamina inter Episcopos, atq; Monachos de scriptis Origenis, ac ab Episcopis multa ex illius operib⁹ excerpta, publicèq; lecta, quę catholicę fidei repugnabant, inter cętera verò illud maximè absurdũ visũ esse, quòd de saluandis dæmonibus, iterum Iesu Christo, crucis mortem sustinente, scripsit. [Cum ab Episcopis, ait Seuerus, excerpta in libris illius multa legerentur, quæ contra catholicam fidem scripta constaret, locus ille vel maximam parabat inuidiam, in quo editum legebatur, quia dominus Iesus, sicut pro redemptione hominis in carne venisset, & crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis ęternitate gũstasset: ità esset, eodem ordine passionis, etiam diabolum redempturus, quia hoc boni-

Theop. Alex. l. 2. Pasch.

Seuer. Sulp. Dial. p.

tati illius, pietatiq; congrueret, vt qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoq; Angelum liberaret.]

Primum argumentum, quod Orig. fauere videtur.

D.Hier. Scripturæ loca, pro Orig. in vnum collegit, in c. 24. & in c. 60. Ef.

Coaceruarunt huiusce hæresis assertores in sui erroris confirmationẽ non pauca sacri eloquij testimonia, in quibus diuina bonitas commendatur, ac Deus ipse pollicetur, misericordem se ergà vniuersam intellectualem creaturam futurum. Hanc Dei clementiam meditantes, qui fauent saluti dæmonum, nimis sæuum, & crudele putant, temporaneum crimen, exiguâ patratum morâ, puniri æternâ pœnâ, à Deo maximè, qui naturâ propensior est, ad condonandum, quàm plectendum. Cur aiebant etiam, ea bonitas, quę perditum hominem reparauit, venitque in hunc mundum, vt saluum faceret, quod perierat, lapsis quoq; Angelis nõ ferat opem? Non est personarum acceptator Deus, nec magis humanæ, quàm Angelicę salutis studiosus, par ergò est existimare, eum, qui humanum vulnus sanauit, Angelicum similiter curaturum. Reputabant animo ad extremùm, dæmones, quanquàm culpis inquinatos, sui iuris esse, præditos liberi facultate arbitrij, quapropter nec incongruum esse, nec impossibile cogitabant, quin Deo fauente, cęlestibus Angelis iuuantibus, aut Ecclesiasticis prædicationibus eruditi, aliquando resipiscerent, desererentq; vitiorum viam, tot calcatam annis, ac cęleste iter aggrederentur.

Secundum argumentũ.

Tertium argumentum.



CAP.

CAP. XXXII.

An origenes ab errore sit excusandus. D. Ambrosium non esse authorem eorum commentariorum in Epistolam ad Ephesios. Hieronymum infensissimum hostem fuisse hæresis de reparatione dæmonum.



VOD attinet ad Origenem, Pamphilus Martyr, Ruffinus, Ioannes Picus Mirandula, & alij plures, contendunt, eum nunquàm existimasse, dæmones reparandos, atq; in cælum restituendos; sed aiunt, adulterata esse Origenis scripta, hæreticorum astu, & eum maximè errorem eius operibus insertum. Iacobus Merlinus collegit loca ex Origenis Libris, quæ recitato dogmati de reparatione dæmonum apertè aduersantur. Sixtus Senensis ea suppeditabit. Verè Origenes conquestus est aliquando, quòd nonnulli eius libros deprauarent, vbi maximè agebat de dęmonibus. Verba Origenis sunt epistola ad quosdam amicos. [Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis, & doctrinæ nostrę crimen blasphemię, quod à nobis nunquàm audierunt: de quo ipsi viderint, nolentes obseruare mandatum illud, quod dicit, quia maledici regnum Dei non possidebunt, dicentes patrem malitiæ, ac perditionis, & eorum, qui de regno Dei eijciuntur, idest diabolum, me dicere, esse saluandum, quod ne aliquis quidem mente motus, & manifestè insaniens dicere potest. Sed nihil mirum mihi videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est Epistola Pauli Apostoli. Quidam enim sub nomine Pauli Apostoli falsam Epistolā scripserunt, vt conturbarent Thessloanicēses, quasi instaret dies domini, & seducerent eos.] Et post pauca. [Talia ergo quædam, video etiam nobis accidere.

Pamphil. apol. pro Origene.
Ruffinus in Apol. pro eodem.
Ioan. Picus Mirād. disp. de Salute Origenis
Iacob. Merlin. apol. pro Orig.
Sixt. Senens. l. 5. Biblioth. Sanctæ annotat. 231.
De adulteratione lib. Orig. multa Pamphil. & Ruffi. cit. apol. T. 1. o. per. Orig.
Origenes Epist. ad quosdam Alex. amicos.

Nam quidam author hęreseos, cum sub pręsētia multorum, habita inter eos fuisset disputatio, & descriptum accipiens ab eis, qui descripserant codicem, quæ voluit addidit, & quę noluit abstulit, & quod ei visum est permutauit, circumferēs tanquàm ex nomine nostro insultans, & ostendens ea, quę ipse conscripsit.]

Vincēt. Lir. lib. aduer. profan. nouat. Malemego, iuxtà votum Vincentij Lirinēsis, Origenis libros deprauatos esse, quàm ex ore tanti uiri fluxisse perniciosum illud decretū; ueruntamen nō possum nō existimare creditu difficillimum, tot in locis, in quibus polliceri visus est diabolo, & Angelis eius salutem, præcipuè vbi prolixa oratione, Origenianæ locutioni congruenti, tractat hanc materiam, alieno calamo insertum fuisse illud dogma eius voluminibus. Proderet enim apertè dolus, deprehensaq; esset impostura ab oculatisſimis Patribus, qui errorem illum, tanquàm ab Origene, proprio ore, dictatum, coarguerunt. Scripsit Origenes hæresim illam, quam fortè ex libris Platonicorum hausit, qui, teste Augustino, omnem pœnam, emēdationis causâ, adhiberi putabant: persuadeo tamen mihi, valdè dubium, & ancipitem fuisse hac in re Origenem, ac disputandi fortè studio, in vtramquè partem scripsisse, quod animaduersum est à Seuero Sulpitio, cum ait Origenem à seipso diuersum fuisse. Antequàm enim libro primo Periarchon, recitata superiori capite verba, proferret, sic inquit, quasi excusationis loco. [Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu, & cautela dicuntur, discutientibus magis, & pertractantibus, quàm pro certo, ac definito statuentibus.]

Aug. 21. de C.D.c.13.

Seuerus dial. primo.

Quoad absurdisſimam illam saluandi dęmones rationem, Christo pro malis Angelis iterum mortem passuro, non modò non occurrit mihi, inter legendum Origenis opera, vndè eam hęresim eliciam: sed reperio damnatam ab eo, Scripturæ authoritate: sic enim habet in Epistolam ad Romanos. [Rectè Apostolus dicit: quia *mors ei vltra non dominabitur*. Non dabit vltrà semetipsum in dominationem tyranni, neque iterum exinaniet se, vt formam serui accipiat, & fiat obediens vsq; ad mortem, neq; rursus in forma serui,

Ad Rom. 6.

quam-

quamuis voluntate, & non necessitate positus dominationem tyranni, mortisq; patietur. Vnde miror quosdam contrà hanc euidentissimam Pauli sententiam velle asserere, quòd in futuris iterum seculis, vel eadem, vel similia pati necesse sit Christum, vt liberari possint etiam hi, quos in præsenti vita, dispensationis eius medicina sanare non potuit.]

De D. Ambrosio ne suspicari quidem licet, quòd de æternitate cruciatuum Satanæ dubitarit. Quamobrem opus illud in Epistolas D. Pauli, quod, iuxta editionem Parisiēsem anni 1603., legitur tertio volumine librorum huiusce sancti doctoris, haud est inter germanos Ambrosij codices, numerandum. Multis, id probat Bellarminus, cui assentiuntur alij: hoc argumentum veritatem detegit, prorsus contrariā esse D. Ambrosij menti, hanc de saluandis dęmonibus opinionem. Credibile censet Bellarminus authorem horum commentariorum esse Hilarium quendam Diaconum Romanum, Luciferiani dogmatis fautorem, qui teste D. Hieronymo non paucos libros conscripsit. Vocetur autem Sanctus, non quòd diuorum catalogo fuerit adscriptus; sed quòd ea nomenclatura olim cōmunis fuerit Christianis, pręsertim Ecclesiasticis. Coniecturæ fuit Bellarmino, quòd S. Augustinus citet S. Hilarium in expositione illorum verborum ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*, ac sententia à D. Augustino ex Hilario relata, totidem verbis in hoc opere falsò D. Ambrosio adscripto contineatur.

Bel. de script. Eccl. ad ann. 374.

Io: Laur. in 2. Ep. Petr. 2. v. 4.

August. l. 4. Contra 2. Epist. Pelag.

Alius diceret, Ambrosium iuxtà Origenis sententiam locutum: nam Hieronymus testatur, Ambrosij Libros esse Origenis sermonibus plenos.

Hier. ad Pimach & Marcellin Apol. aduersus Ruf.

Pro D. etiam Hieronymo non est, quòd laborem, cum ipsemet, quemadmodum paulò superius retulimus, in Epistola ad Auitū, & in Apologia aduersus Ruffinum acerrimè pugnet contra Origenianum dogma. Quòd si alicubi sentire visus est cum Origene, vt in Caput primum Epist. ad Ephesios, vbi indicat in aduentu Saluatoris diabolum, & Angelos eius subijciendos Christo, atq; diuersa esse suscepturos præmia. Sciendum est, sępè Hieronymum, sine cen-

surâ,

surâ, & notâ, integras Origenis sententias proprijs libris inseruisse. Monet id ille ipse in præfatione ad eam D. Pauli Epistolam. [Illud quoq; ait, in præfatione commoneo, vt sciatis Origenem tria volumina in hanc Epistolam conscripsisse: quem & nos ex parte secuti sumus. Apollinarem etiam, & Didymum quosdam commentariolos edidisse: è quibus licet pauca, decerpsimus, & nonnulla, quæ nobis videbantur adiecimus, siue subtraximus.] Quare Hieronymus, citato loco, haud propriâ, sed alienâ sententiâ locutus est, quòd satis declarat ea loquendi ratio. *Alius verò hoc dogma non sustinens* &c. Legendus liber primus Apologiæ contra Ruffinum, vbi se ipsum Hieronymus à calumnia vendicat.

Hier. in Proœm. Epist. ad Ephes. ad Paul. & Eustoch.

CAP. XXXIII.

Hæreticum esse, perniciosum, & absurditatibus plenum dogma de beata vita aliquandò concedenda dæmonibus.



NEQVE Ambrosius igitur, neq; Hieronymus, binæ militantis Ecclesiæ columnæ, ac triumphantis Hierusalem gemmæ restaurationem dæmonum probarunt. Probarit eam, vel improbarit Origenes. Error est in fide opinari tormenta dæmonum habitura finem, eumq; damnant iure optimo Patres vniuersi velut sacris litteris contrarium, dęmonis artificio inuentum, inimicum honestis moribus, & sacrilegũ prorsus. a Christus ignem diabolo, & angelis eius paratum, ęternum vocat, non modò quòd æternùm duraturus sit, sed quòd æternùm eos cruciaturus. b Inextinguibilis gehennæ ignis dicitur; ergo nunquàm non amburet addictos gehennę. c *Diabolus missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & pseudopropheta cruciabuntur, die ac nocte in secula seculorum.* Quis dicat ex supplicijs educendum, nisi dęmon ipse vt quamplures eò ducat. Rectè Basilius. Vnum hoc est ex arti-

a Matt. 25.
b Marci 9.
c Apoc. 20.
Basil. in regul. breuior. Interr. 267.

artificijs diaboli, vt homines videlicet velut obliti horum, & talium, quæ posita sunt plerisq; in locis sacrosanctarum litterarum, quo maiore cum audacia peccent, sibi ipsis suppliciorum finem confingant.] Magnum profectò ad peccatũ incitamentũ. Si enim vel leuiter suspicentur homines terminanda esse aliquando dæmonũ, malorumq; hominum supplicia, quę sibi flagitia licere non putent, quæ crimina cum libuerit, non patrẽt persuadentes sibi, Dei clementiâ, aliquando ignoscendum esse dæmonibus ipsis. Euertit penitus peruersum hoc dogma, ait Hieronymus, timorem Dei, dum facilè homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui author est, & peccatorum omnium fons, actâ pœnitentiâ posse saluari. Iustinus Imperator in Epistola, seu oratione ad Mennam Archiepiscopum Constantinopolitanum, aduersus Origenem, quæ legitur inter epistolas Vigilij Papę, post tertiam, habet inter alia, quibus Origenem refellit, detestandum in primis hoc dogma esse, quòd virtuti aduersetur, desidesq; homines efficiat ad diuinam legem seruandam, ad capessendum virtutis iter; atque non minus damnationi malorum, quàm felicitati bonorum, finem imponat. Nam optimum est argumentum Basilij. [Si æterni supplicij finis futurus est aliquando, sine controuersia æternę vitę etiam erit. Quod si hoc, in ęterna vita, nullo modo possumus intelligere, quę nam afferri ratio potest, quamobrem ęternum supplicium habere finem dicatur? ęqualiter enim tam huic, quàm illi ęternitatis additio adiecta est.]

Hier. in c. 3. Ionæ.

Iust. Im. ad Mennam T. 2. Concil. p. 487.

Basil. Mag. supra. Idem Greg. 4. Dial. c. 44.

Adde his, quę diximus, absona prorsus, & cum luce rationis pugnantia, quę ex eo de salute dęmonum, & damnatorum decreto D. Hieronymus deduxit. [Si enim omnes rationabiles creaturę ęquales sunt: & vel ex virtutibus, vel ex vitijs sponte propria, aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur: & longo post circuitu, atq; infinitis seculis, omnium rerum, restitutio fiet: & vna dignitas militantium: quę distantia erit inter virginẽ, & prostibulum? Quę diferẽtia erit inter Matrem Domini: & quòd dictu quoq; scelus est, victimas libidinum publicarum? Idem ne erit Gabriel, & diabolus?

Hieron. sup.

Idem

Idem Apostoli,& dæmones? Idem prophetæ,& pseudo prophetæ? Idem Martyres,& persecutores? Finge quodlibet: annos,& tempora duplica:& infinitas ætates congere cruciatibus: si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est: quia non quærimus, quid aliquando fuerimus: sed quid semper futuri sumus.]

CAP. XXXIV.

Nihil diuinæ bonitati detrahendum, ac iustitiæ ordinem optimè seruari, etsi breui morâ patratum scelus, æternâ pœnâ puniatur.

Soluitur primum Orig. argumentum. Hier. in c. 3. Ione. Psal. 114.



PTIME congruit diuinę bonitatis amplitudo, cum æternitate pęnarum diaboli. [Scimus, ait Hieronymus, clementem esse Deum, nec qui peccatores sumus crudelitate illius delectamur, sed legimus: Misericors, & iustus dominus: & Deus noster miseretur. Iustitia Dei vallatur misericordiâ: & tali ad iudicium ambitione procedit: sic parcit, vt iudicet, sic iudicat, vt misereatur. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia,& pax osculatæ sunt se.] Emicauit diuina bonitas, cum dæmones condidit cælesti gratia ornatos, cuius ope assequi sempiterna bona potuissent. Emicauit misericordia, cum eos aliquantulùm ad pænitentiam expectauit peregrinationis tempore. Si Dei gratiâ abusi sunt, si pœnitentiam neglexerunt, si in scelere steterunt, emicare debebat,& iustitia, eos plectendo ęternâ pœnâ ob peccatum, quibus æterna præmia donasset, ni peccassent. Neq;, quòd momentaneum ferè crimen, æternis puniatur cruciatibus, aut bonitas læditur, aut iustitia non seruatur. Nam licet peccatum breui morâ patratum sit: nihilominus peccandi voluntas perseuerat, & culpa æternùm durat, ni fuerit sananta, antequàm hominibus mors, Angelis viæ tempus aduenerit. Eadem ratio de scelestis hominibus post mortem,

Psal. 4.

& prauis Angelis post peccatum: nam quod hominibus est mors, id Angelis est peccatū. Reprobi, æternis sunt afficiē di pœnis, quòd n unquàm voluerint finem imponere peccatis. Ideò, inquit Hieronymus de damnatis, sine fine pœnas luūt, quia voluntatem habuerant sine fine peccandi, si naturam haberent, sine fine viuendi.] Et alibi ait, meritò eos, qui peccatis imponere finem noluerunt, infinito ardore comburi. D. Gregorius respondens sciscitanti Petro, quo modo iustū sit, vt culpa, quæ cum fine patrata est, sine fine puniatur. [Hoc rectè diceretur, ait Gregorius, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtiquè si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquàm desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquàm careant supplicio, qui in hac vita nunquàm voluerunt carere peccato.] Nec dęmones, in via, desere peccatum voluerunt, iustè ergo nunquam illos pœna deseret in termino viæ.

Hier. in c. 27. Prouer. Salom. Ibid. in c. 30. Greg. 4. Dial. c. 43.

Placuit mihi, quod ad rem nostram legi apud Theodorum Abucarę Episcopum, vbi agit contra Origenem. Nimirùm haud mirandum esse, si Deus plectat flagitia vnius horæ æternâ pœnâ, cum & humanæ leges, & natura ipsa hunc ordinem iustissimè seruent.] Omnem iustitiam, ait, vel ex Dei lege, vel ex legibus quas homines sanxerint, vel ex rebus naturalibus cognoscimus. Harum autem iustitiæ specierum nulla temporalem pœnam irrogat. Prout fornicatur quispiam, vel furatur, vel occidit vnius horæ spacio, at lex Dei, hominumq; leges, homicidam capitis damnantes, extremoque supplicio facinorosum aliquem afficientes, non vnius in eum horæ spacio animaduertunt, sed si morte quidem plectant, æterno eum supplicio afficiunt, vel si verberent, diuturnum ei dolorem ex rebus inferunt. Quin tu quoque (ait) si adulterum quempiam cum vxore, filiaué deprehenderes, non vnius illum horæ spacio puniendum, sed trucidandum censeres: quod quidem æternum est hominum

Theod. Ep. Cara Disp. 14. Contra Orig. T. 4. Bib. V.P.

supplicium. Sed ipsę quoquè rerum naturæ perinde se habent. Cum enim nobis ne frigidam v.g. bibamus aquam, neuè quoq; noxio cibi genere vtamur, interdictum sit, in vetitum tamen nitamur, diuturnas nimirùm pœnas damus. Itàq; sæpè numero fit, vt ex frigidę potu, ignis vè contactu, vel aceti vsu, continuum morbum incurramus, atqui natura iustissima est.]

CAP. XXXV.

Quàm absurdè senserint, qui à Christo sustinendam iterum mortem, affirmabant, ad reparandos dæmones.
Iustis de causis non destinosse Deum, alicuius Redemptoris ope, Angelicum peccatum sanare.

Soluitur secundum argumentum.



ET crimini primi nostri parentis Adæ, inquiunt, sempiternum à beata patria exilium debetur, Deus tamen veniæ, & saluti locum reliquit, immò medicinam tulit, nam æternum Patris Verbum venit in hunc mundum, humanam carnem suscepit, atq; prò communi offensa satisfecit. Cur, eâdem clementiâ erga lapsos Angelos, Deus aliquando non vtatur? Vultis fortè, quemadmodum placere Origeni, relati cap. 31. Patres affirmant, iterùm Christo subeundam in Cruce pro dæmonibus mortem, sicut in cruce oblatus est pro hominibus? Perpendite, quid inde consequatur. Principiò sanctos Angelos mendaces facitis, qui dixerunt Apostolis spectantibus Christum, in cœlum, ascendentem. *Viri Galilai quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Igitur non alia ratione Christus descensurus est in hunc mundum ab ea, quâ ascendit in cœlum: ascendit autem, summâ gloriâ, & maiestate, quamobrem descendet, non plectendus, & affigendus cruci, sed venerandus, ac splendore

Refellitur error dicendũ Christũ pro dæmonibus passurum.

Act. 1.

dore conspicuus, vt in cęlesti throno sedeat vniuersum mundum iudicaturus. De Christo Apostolus. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Quomodo, vt Origenes ipse arguit, Christo iterum pro salute dæmonum moriendum? Ad Rom. 6. In locum Apostoli.

Præterea in alias absurditates, vos trahit insanus hic error. Teste Beatissimo Gregorio, idcirco Redemptor noster, non Angelus, sed homo factus est, quia hoc proculdubio fieri debuit, quod redemit: vt & perditum Angelum non apprehendēdo desereret, & hominem in semet ipso apprehēdēdo repararet. Fieri igitur dæmon Christus debet, si quando illi dæmones redimendi sunt, & reparandi, quod cum vel auditu sit sacrilegum, Absit, vt pro dęmonibus (hęc sunt Theophili Alexandrini verba) Christus passurus sit, ne & ipse dęmon fiat, Et qui hoc credunt rursum crucifigunt, & ostentui habent filium Dei, qui nequaquàm vt semen Abraham apprehendit, ita adsumet, & dæmonum, vt pro illis quoq; crucifigatur. Nec dæmones pro se, Deum in passione cernentes, cum propheta clamabunt: hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet. Neq; cum Esaia dicent: Liuore eius sanati sumus. Nec pro dęmonibus, sicut pro hominum genere, quasi ouis Christus ducetur ad victimam. Nec pro eorum salute dicetur, proprio filio nō pepercit, quia nec dæmones clamabunt: traditus est, pro peccatis nostris, & resurrexit pro iustificatione nostra. Certè consequens est, subdit paulò post Theophilus, vt qui pro dęmonibus Christum dixerit crucifigi, ad ipsos quoq; dicendum esse suscipiat: Hoc est corpus meum. Et: Accipite, & bibite, hic est sanguis meus. Si enim & pro dęmonibus crucifigetur, quòd erit priuilegium, aut quę ratio, vt soli homines corpori eius, sanguiniquè communicent, & non dęmones quoquè, pro quibus in passione sanguinem fuderit? Hasce blasphemias, cum horreant aures, sine alio argumento constat, Christum pro dęmonibus non crucifigi, ne dęmones corporis, & sanguinis domini participes fiant. Greg in c. 12. Iob. Theoph. Alex. l. 1. Pasch. Es. 53. Ier. 11.

An alia quapiam ratione, Angelicum peccatum curan-

dum erat ficuti humanum curatum eft? Deus fatis fe clementem, & pium erga Angelos prębuit, dum illos per aliquam moram licet breuem ad pœnitentiam expectauit, & eam opem non denegauit, eo vię tempore, quâ refipifcere potuiffent. Satisfecit bonitati fuæ, etfi tantum temporis fpacium non conceflerit Angelicę naturę ad refifpifcentiam, quantum humanę: etfi certum Redemptorem non deftinarit, qui pro Angelico crimine fatisfaceret. Patres multas diuini confilij caufas attulêre. Gregorius ait, Adamum humana carne circundatum, nefcio quâ fragilitate peccaffe: minùs enim perfpicax eft homo corpore tectus, vt profequẽda, vel fugienda dignofcat, minùfquè validus, vt refiftat fuggeftioni peccati, quàm Angeli. Propterea iuftè Deum erexiffe hominẽ, qui imbecillitate lapfus eft, dęmonem, qui folâ malitiâ peccauit, ac refiftere peccato faciliùs poterat, ftatim poft breue illud fpaciũ æternis pœnis punitũ. [Omnipotens Deus (hæc eft fententia Gregorij, quã ex varijs eius locis collegit Paterius) ficut ex nihilo bona facere potuit, ita cũ voluit per incarnationis fuæ myfterium etiam perdita bona reparauit. Duas autem ad intelligendum fe creaturas fecerat, angelicam videlicet, & humanam. Vtramq; verò fuperbia perculit, & ab ingenitæ ftatu rectitudinis deiecit. Sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne guftauit. Angelus namq; fpiritus eft folummodo: homo verò fpiritus eft, & caro. Mifertus ergo creator, vt redimeret, illam ad fe debuiffet reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate conftat aliquid habuiffe. Et eò altius debuit apoftatam angelum repellere, quò cum à perfiftendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne guftauit. Hinc enim fcriptum eft: Nufquàm angelos apprehendit, fed femen Abrahæ apprehendit.] Eadem coniecturâ vfi, Damafcenus, Ifidorus, Caffianus, & alij.

(Pater t. 2. in Ep. ad Hebræ c. 1. ex l. 4. Mor. c. 9. 10. 11. &c.)

(Ad Heb. 2.)

Addit Gregorius [Eft adhuc aliud quo, & perditus homo reparari debuit, & fuperbiens fpiritus reparari non poffit: quià nimirùm angelus fua malitia cecidit, hominem verò aliena proftrauit. Humanum ergo genus ad pœnitentiam redem-

(Greg. 4 Mor. 1. 9. Ifid. de fum. bon. c. 12 fent. 11. Io: Caff. Coll. 4. c. 14.)

redemptoris aduentu reducitur, apostata verò angelus ad restaurationem, nulla spe veniæ, nulla conuersationis emendatione, reuocatur. Sic quippè illum perpetratæ superbiæ cæcitas grauat, vt nequaquàm vlteriùs ad lucem pœnitentiæ per diuini respectus memoriam resurgat, nec ad veniam cum electis, nec vltrà ad illa claritatis intimæ agmina superna, redeat.] Idem Albinus Flaccus, Author de mirabilibus sacræ scripturę, & Haymo. Sed non ne statutum alibi, inferiores dęmones suasu Luciferi adhæsisse illi, ac defecisse à Deo? Cur Deus inferiorum saltem vulnus, aliquę medicinę, non sanauit? Albin. in Gen.q.3. Author de Mir. Sac. Scrip l.1.c 2. Lib 4.c.31.

D. Augustinus, inquit reparatum fuisse humanum lapsum, non Angelicum, quòd Adami crimine vniuersa eius posteritas corruisset, ac tota natura vulnerata esset: Angelicum verò peccatū haud uniuersos Angelos infecisset. [Placuit, ait Augustinus, vniuersitatis creatori, atque moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum, Deum deserendo perierat, ea, quæ perierat in perpetua perditione remaneret, quæ autem cum Deo, illa deserente, perstiterat, de sua certissimè cognita semper futura felicitate secura, gauderet: alia verò creatura rationalis, quę in hominibus erat, quoniam peccatis, atq; supplicijs, & originalibus, & proprijs tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret. Placuit hæc eadem ratio Albino Flacco, Richardo à Media Villa, Alensi, alijsquè Scholasticis. Aug. in Enchir. ad Laur.c.29. Albin. Flac. Richar. 2. d 7.q.1.a.2. Alens.2.p.q. 99.m.7.

Haymo aliam causam assignat. Rationabiliter, iterum apertam esse uiam primo, homini ad cęlum, quam sibi peccando occluserat, non autem dęmoni, quòd licet Adamus in paradiso terrestri degisset, adhuc tamen non fuisset in supremo beatorum domicilio, ad quod fuerat creatus, cum tamē maligni spiritus in cœlo empyreo conditi essent, ac nihilominus sponte se tanto regno priuassent. Haymo sup.

Nō absimili ratione usus est etiā Author de Mirabilibus sacrę scripturæ, cum ait Angelos malos in eo dignitatis statu conditos fuisse, ut consequi sublimiorem gradum non possent, Author. de M.S.S.l.1.c. 2. T.3.D. August.

Placet D. Bon. 2. d. 7. q. 1. ar. 1. sent, nisi contemplatione sui creatoris confirmati. Ideò, quòd ex eminentissimo illo ordine corruerint, non habuisse criminis subleuatorem: Hominem autem, quòd a Deo in sublimi adeò statu non sit conditus, sed collocatus in terra, longè à cęlo, remotior à beatitate, quàm Angelus, destinatus generationi, cibo, potuq; indigens ad sustentandam uitam, habuisse Redemptorem, ac longius uiæ, & agendæ pœnitentiæ spacium. [Angelus in summo honoris sui ordine constitutus, (uerba sunt citati Authoris) immutationem ad excellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui creatoris confirmatus, in eo statu permaneret, vbi conditus fuit: & idcircò prolapsus, iterum reuocari minimè potuit, qui de sublimissimo sui ordinis statu proruit. Homo verò adhuc in terra positus, generandi officio destinatus, ciborumquè esui deputatus, immutationem in sublimiorem, & meliorem, spiritalemq; vitam sine morte reciperet, si quandiu in hac conuersatione positus esset, in mandati custodia permaneret. Hunc antequàm ad statum veniret sublimiorem, delictum præripuit, & ideo de inferiori illo suo ordine, idest immortalitate sui corporis, confestim ruit, dicente domino, terra es, & in terram ibis. Clementiâ ergo conditoris homo, ad illam beatitudinem, ad quam peccans adhuc non peruenit, per passionem Domini reuocatur: qui si inde cecidisset, sicut Angelus, nunquàm iterum reuocaretur: quoniam ad illum ordinem, idest, immortalitatem sui corporis nunquàm peruenit iterum, nisi peracta omnium morte, illa beatitudo, ad quam reuocamur, per resurrectionem restauretur.]

Potuit, idest nec fuit reuocatus, nec reuocabitur.

Gen. 3.

Hæc sunt argumenta, quibus Patres dixêre, non esse beneficio Redemptoris, reparatum Angelicum crimen. Si non acquiescis, hoc vtere. Deus non curauit Angelicum peccatum, quoniam illi non placuit, & infinita sua sapientia curandum non esse, dictabat.

CAP.

CAP. XXXVI.

Dæmones esse in malo omninò obstinatos, nec posse pœnitentiâ actâ à peccato resurgere, liberi arbitrij facultate. Tres opiniones de causa obstinationis impugnatæ.



HAEC cum ita sint, perspicuum est, non esse tanti dæmones, vt suæ voluntatis potestate valeant redire ad Deum, recedere à malo, & sectari virtutis iter. Vt Sancti Angeli peccare nequeunt, aut è beatitudine excidere, sic damnati spiritus desetere viam iniquitatis non possunt. Indurati sunt, & obstinati in prauitate sua, quam semel amarunt, nec vnquàm diuinæ gratiæ rore molliti, seruatâ communi lege à Deo, rebus statâ, eorum voluntas ad bonum, seu virtutem selectetur, aut dignam veniâ pœnitentiam aget. Id omnibus catholicis sana Fides persuadet.] Soluitur tertium argumētū pro Orig

Non est tamen definitum, quæ nam sit tantæ obstinanationis causa. Varia existunt Doctorum opinamenta, tria hîc referam, quæ non probo. Petrus Aureolus, cuius inuentum Ioannes Maior non improbabile reputauit, absurdam prorsus rationē, & Christianis auribus indignam, assignauit. Omnem obstinationis causam retulit in malum quendam habitum summæ, vehementiæ, & efficacitatis, qui à Deo ipso insitus, & infusus voluntati dæmonum, eos omnino detineat in malo, ità vt velint nolint, ad perpetuum Dei odium, ac vitiorum studium incitentur. Non minus absurdè locutus est Gulielmus Ocham, cum ait, Deum collocasse, se solo, in dæmonibus, odium sui ipsius, pęnitentiæ, & virtutis; Excludere huiusmodi actum odij omnem potestatem ad faciendum bonum. Quis adeo rudis, qui nesciat, incongruum esse opinari, Deo authore, malos spiritus, in Deum ipsum, odio exardescere, prosequi peccata, ac ferri in omne malum ? Si Aureol. & Maior. 2. d. 7. q. 1: Ocham. 2. q. 19. concl. & in Quod 1. q. 19. Gabr. 2. d. 7. q. 1. tuetur Ochamum.

prauus

prauus habitus à Deo dæmonibus insitus, eos necessariò in malo detinet: si Deus ipse odium gignit in voluntate dæmonum; Ergò dæmones ipsi haud malè faciunt, in peccato persistentes, ac odium in Deum habentes, quandoquidem, non voluntate sua: sed, aut vehementi illo habitu à solo Deo producto, aut actu odij, cuius ipsi non sunt authores, obstinatè in malo, & Dei inimicitiā perseuerant.

S. Th. p. p. q. 64. a. 2. c. Capre. 2. d. 7. q. 1. a. 1. conclus. 8. ad arg. Scot. Fer. 4. C. G. c. 95. & alij.

D. Thom. eiusq; interpretes, voluerunt causā huius obstinationis, esse propriā Angelicę naturę conditionē, quę huiusmodi est, vt postquàm semel libero planē voluntatis actu quidpiam elegit, in eo persistat immobilis, siue illud bonum sit, siue malum. [Vis appetitiua, id Diui Thomæ est argumentum, in omnibus proportionatur apprehensiuæ, à qua mouetur, sicut mobile à motore. Appetitus enim sensitiuus est boni particularis, voluntas verò vniuersalis, sicut & sensus apprehensiuus est singularium, intellectus verò vniuersalium. Differt autem apprehensio hominis ab apprehensione Angeli in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus: homo verò per rationē apprehendit mobiliter discurrendo de vno ad aliud, habens viam procedendi ad vtrumq; oppositorum. Vndè & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere; voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter, & ideò si consideretur ante adhęsionem, potest libere adhęrere huic & opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult: Sed postquàm iam adhęsit, immobiliter adhæret. Et ideò consueuit dici, quòd liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, & ante electionem, & post: liberum autem arbitrium Angeli flexibile ad vtrumq; oppositum, ante electionem, sed non post: Sic igitur, & boni Angeli semper adhærentes iustitiæ, sunt in illa confirmati; mali verò peccantes sunt in peccato obstinati.]

Iure, hac parte, à Diu. Thoma, & reliquis huius placiti authoribus, permulti Theologi recedunt. Nam si voluntas

siue

siuè Angelica, siue humana, sê sê, ante quoduis iudicium, & electionem libera est, non est illi propter plenum etiam iudicium, & planè liberam electionem (etiam si quanto potest conatu, summaque vehementia feratur in rem amatam, quòd Henricus Gandauensis voluit esse causam pertinaciæ dæmonum in peccato) adminenda in posterum libertas. Voluntati ipsi tribuitur liberi facultas arbitrij, non cui vis mētis iudicio, ideò quouis modò mens apprehendat, semper voluntas liberè eliget, modò circa ea non versetur, quæ naturaliter voluntas appetit; & vbi elegit adhuc libera erit, quòd voluisse, aut elegisse naturam uoluntatis, aut libertatis non lædat. Sanè si apprehendendi ratio Angelici intellectus, & undequaq; libera adhæsio uoluntatis bono, uel malo efficerent, ut eadem uoluntas naturâ suâ esset in bono, aut malo immobilis, neque diuelli ab altero posset, quòd amasset; sicut naturâ suâ mali spiritus dicuntur obdurati in malo, naturâ suâ pariter, non Dei gratiâ, Sanctorum Angelorum uoluntas confirmata esset in bono. Quare etiam si Deus O. M., (quod facere pro suæ uoluntatis beneplacito potuit, licet non fecerit,) distulisset per aliquod tempus cælestem beatitatem concedere bonis spiritibus, illisq; gratiæ cumulum impertiri, adhuc sine diuinis donis impeccabiles fuissent, quoniam semel adhęsissent bono absoluta libertate, quod malè audit: habent enim Angeli beati diuinæ gratiæ munere, quòd excidere à Dei gratia non possint, ac labi in peccatum, quòd Deo perfruantur, quòd eum ament. Vnde Sancti Patres docent indiguisse eos confirmatione in ueritate, ne incidere in mala possent, [a] ex spiritu sancto habere immobilitatem in bono, [b] atque ex se ad bonum &, uitium, uertibiles esse (licet ægrè). Sicut ergo uoluntas non est sola causa, ut nunquàm peccetur, sic non erit una causa, ut immobiliter, adeò firmiterq; peccato dæmones adhæreāt, quin deserere illud, & erigere se, Dei auxilio, possint. Nullus Theologorum ambigit. Pręfinitā esse à Deo, & constitutam certi temporis periodum probis Angelis, & improbis, hominum uitæ mortali respondentem, quā absoluta, si in Dei amore

Henr. Gand. Quod l. 8. q. 11.

a Naz. orat. in S. Pent. b Basil. l. de Spu. S. C. 16. Naz. orat. in Chr. nat. Damascen. 2. fid. Or. c. 3. Aug. 2. Retr. c. 9.

amore perstitissent, æterna consecuti essent bona, uel perpetuo carceri, & sempiternis pœnis adiudicati, si in peccatum lapsi fuissent. Ruunt ista tanquàm superflua, & inania, si volũtas immobilis reddatur in bono, aut malo, postquàm alteri parti, pleno præcedente iudicio, perfectaq; libertate adhęsit. Habuissent namquè omnes Angeli uiæ terminum sibi, naturâ suâ, non Dei beneplacito assignatum, qui nec breuior esse poterat, nec diuturnior, quàm fuisset tempus, quod à creatione ad primam electionem planè liberam fluxisset.

CAP. XXXVII.

Spiritus nequam ideò resurgere à peccato non posse, quòd Deus in pœnam flagitij, ità etiam postulante eorum statu, suum illis auxilium perpetuò deneget. Voluntate tamen, & propriâ pertinaciâ in malo persistere.



ALIVNDE igitur petenda est obstinationis & pertinaciæ dæmonum causa, quàm ex natiuâ uoluntatis eligendi seu prosequendi obiectum, ratione. Scopum mihi uidentur attingere, qui ità ratiocinantur. Impotens omnino est, liberi arbitrij facultas, siue Angeli, siue hominis ad gignendos fructus dignos pænitentiæ, absq; peculiari Dei ope, nec est ex Catholicis doctoribus, qui tantum illi tribuat, ut ubi semel peccatis collapsa est, erigere se, ac mundare, proprijs uiribus ualeat. Quòd si diuina bonitas opportunis gratię suę donis, auxilium illi pręstet, potest corroborata cęlesti munere, naturali ui benè operari, peccatorum pœnitere, ac resurgere. Idemquè possent dęmones ipsi, & damnati, si Deus, absoluta sua potestate, communi soluta lege, tantum illis auxilij concederet. Cum itaquè certum sit id posse dęmones

mones, & damnatos, pręsente diuiua ope, quod ea absente non possunt; palàm est, ideò non posse, bonam volutatem resumere, ac verè, salubrirerq; dolere quòd læserint creatorem suum, quoniam Deus iustè illis ea munera minimè largiatur, quibus confirmatum liberum arbitrium, id posset, si vellet. Mitto multas Patrum authoritates, quæ hanc causam insinuant. Vnum do S. Fulgentij testimonium, qui apertissimè eam expressit, cum ideò probauit homines ex se rursus non posse purgare peccati sordes, ac bona voluntate mutari in melius, quòd neq; mali angeli id possint, sed bonę voluntatis initium sità Deo, qui nunquàm illud largiri iniquis spiritibus decreuerit. [Bonæ quoq; voluntatis, ait, & cogitationis initium non homini ex se ipso nasci, sed diuinitùs, & præparari, & tribui, in eo Deus euidenter ostendit, quia neq; diabolus, neq; aliquis angelorum eius, ex quo ruuinæ illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem. Quòd si possibile esset, vt humana natura, postquàm à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset, multò possibilius hoc natura haberet angelica, quę quantò minùs grauatur terreni corporis pondere, tantò magis hac esset prædita facultate. Sed ostendit Deus vnde bona voluntas hominibus detur, quam sic amiserunt angeli, quam haberent, vt amissam deinceps habere non possint.] *Habere non possint*, quòd Deus statuerit illis non tribuere bonæ voluntatis initium, quo possent. Id iustè, sapienterquè statutum, tùm in pœnam turpis sceleris, atq; enormis, ingrati animi, vitij: tum etiam quòd post primum illud peccatum non sint in statu meriti, sed in statu recipiendi pro meritis; nam, vt sępe monuimus, terminatǫ viæ curriculo, atquè absolutâ eâ morulâ, quam Deus dæmonibus ad promerendam æternam felicitatem concesserat, mortuis similes facti sunt, hoc est meriti, & pœnitentiæ incapaces, sic enim Damascenus inquit, quòd hominibus mors, hoc Angelis est lapsus. Vndè quemadmodum totum vitæ curriculum, cuiquè homini indultum est, vt in eo bonum operetur, & qualis

Fulg. de fide ad Pet. c. 3.

Vbi s. c. 23.

Damasc. 2 Fid. Ort. c. 4.

Iodoch Clic enar. in c 3. l. a D. Dam de fid. Or. in hęc ferè verba explicat Damasceni decretum. Eccl. 11.

in exitu fuerit vitæ, talis perpetuò manebit, neque vnquàm ab eo, aut boni, aut mali statu demutabitur, cum dicat Ecclesiastes, Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem: in quocumque loco ceciderit ibi erit: idest cum homo à præsentis vitæ statu per mortem separatur, more ligni, quòd securi ab radice præciditur, siuè in calore charitatis hinc discesserit, siuè in frigore peccati, in quacunq; fuerit dispositione sub ipso exitu, in eadem perpetuò semperq; manebit. Ita Angelis omnibus, constituta, & pręscripta erat, diuina lege, certa mora, in qua pro nutu suo, & arbitrio possent se, aut conuertere ad suum principiū per obedientiam, & amorem, aut ab illo se auertere per pręuaricationem, & rebellionem. Et qualis vnuscuiusq; Angelorum in extremitate huius definitæ moræ fuit, talis sanctione diuinæ legis perpetuò erat permansurus. Proindè quia exacta huiusmodi quantulacumq; duratione, defecisse à bono sunt deprehensi, absquè futuræ pęnitentiæ loco, irreparabiliter in sua prauitate sunt derelicti.

Quanquàm hæc sint, affirmari tamen potest, re ipsa, dæmones non mutare consilium à malo in bonum, quòd difficillimè à concepta sententia diuellantur: ac adeò obstinatam malitiam contraxerint, vt parati sint, Dei gratiæ resistere, etsi Deus eam sibi concederet, quod nunquàm faciet.

Non possunt dæmones resipiscere, quia licet sint præditi voluntate, quæ Dei gratiâ adiuta posset resipiscere, nunquàm illis hæc Dei gratia concedetur, quâ possint. Non resipiscunt autem, non solùm, quòd Dei gratiam non habeant, sed quòd velint ipsi perpetuò malè agere, etiam si possent resipiscere.

CAP.

CAP. Vltimum.

Cruciatus dæmonum nec breui morâ cessare: non mitigari, aut minui, nihilq́ solatij admittere, etsi iuxtà vota sæpè de mortalibus tentatores spiritus trimphent.

MINVS haberet incommodi pœnarum æternitas, si quandò, licet renouandæ cessarent, si quandò mitiores fierent cruciatus, ac fessi perpetuis molestijs dæmones aliquantulùm recrearentur cuiuspiam voluptatis condimento. Aurelius Prudentius licet ęternitatis suppliciorum gehennę non inscius, dolorum ferias concesisse videtur dęmonibus, ea nocte, quâ Redemptor Mundi, debellata morte, à mortuis reuixit. Ita canit Poeta Christianus. Prud. in hymno ad Cereum Paschalem.

Sunt & spiritibus sæpè nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ
Illa nocte (sacer qua redijt Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano lucifer imbuit,
Sed terris Domini de cruce tristibus
Maior sole nouum restituens diem)
Marcent supplicijs tartara mitibus
Exultatquè sui carceris otio
Vmbrarum populus liber ab ignibus,
Nec feruent solito flumina sulphure.

Imprudenter hac parte, , & licenter nimis locus est Prudentius, etsi haud de malis spiritibus, sed de hominibus ęterno ignis addictis sermonem haberet. Aeternę sunt tartareæ pænæ, quòd nunquàm habituræ finem; æternæ sunt, quòd sine intermissione durent, ęternę sunt, quòd nunquàm minuantur; demùm ęternę sunt, & summę, quòd nihil solatij admit- Sequenti volumine refe retur. sententias opinantium die Sabbati damnatos non cruciari.

admittant. Non leuat, aut interrupit pœnarum rigorem in inferno, mysteriorum Christi Saluatoris sūma vis, & efficacia; dęmones, & animę mortalium sempiterno incendio deputatę, sunt membra à Christo separata, ideò non sentiunt salubres Capitis influxus. In eadem semper nequitia obstinatè, tùm satanici spiritus, tùm improbę mortalium animę, in gehenna, eodem tenore, perseuerant: nihil prorsus de culpa detrahitur; pœna similiter, omnibus horis, eadem erit, acerbissima, ac vniuersis miserijs plena. Ideò omnem etiam excludet solidę voluptatis speciem. Summa voluptas omnem fugat dolorem; summa tristitia omnem pellet voluptatem. Versantur spiritus mali in magno suppliciorum pelago, quid esse illis vero solatio potest? Nihil sibi putant accidere iocundi posse, qui oculis capti nequeunt cęli lumen intueri. An quapiam voluptate perfundentur dęmones, orbati diuino lumine, atq; in ijs tenebris, & cruciatibus constituti, è quibus certò sciunt se nunquàm educendos?

Quid videatur probare, gaudere aliquando dæmones.

Non caret, inquis, voluptate desiderata assequi; post certamen, victoriam tenere, ex uenatione prædam reportare. Sitit tartarea bestia hominum perditionem: aggreditur, quantâ potest sęuitiâ, mortales, ut de illis triumphet: tanquàm crudelis leo circuit perpetuò quęrens, quem uoret. Quot ruunt in sempiternum interitum, impellente dæmone: quot, eo certante, Dei castra deserunt, se seq; illi dedunt: quot istius uoracissimę bellue faucibus deglutiuntur? Gaudebit ergo, & exultabit, cum cum euentus desiderio respondebit; Id Patres haud negarunt. Sanctus Ignatius Episcopus Antiochenus, ait Principem mundi huius gaudere, cum quis Crucem negarit. Hieronymus, inquit contrarias fortitudines, rectores, & principes tenebrarum istarum gaudere in peccatis nostris. Augustinus etiam scribit, diabolum lętari de infelici potestate, quam habet in eos, qui præcepta Dei contemnunt.

Ignat. Epist. ad Philip.

Hier. in c. 7. Osee.

August. l. 2. contra Manic. c. 17.

Responsio.

Sentio omnia desiderata delectare, cum obtinentur, modò delectationis, aut uoluptatis bonum admittat, qui uoti fit compos: at si quis in summis doloribus uersetur, qui nec

minui

minui posſint, nec deponi: neq; deſiderio, neque aſſecutione deſiderati gaudebunt, quemadmodum ſumma uoluptate perfuſus, eo ſtatu durante, triſtitiæ moleſtias non capit. Sancti angeli, tutelares noſtri percupiunt ſibi creditos mortales ad cęlum ducere: quot ruunt in gehennam? Filij, qui Deum uidentes in Paradiſo degunt, exoptant parentum ſalutem, & contrà; quot parentes, quorum nati beatitate in cęlo fruuntur, cruciantur in inferno, & è contrario. Neq; tamen Angeli boni, aut Beati triſtitiâ afficiuntur, quòd cujuſuis conditionis homo à iuſto Iudice ſempiternis flammis damnetur: quoniam eorum ſtatus, qui eſt omnium bonorum aggregatione perfectus, nullius mali moleſtiâ perturbari poteſt. Damnatorum ſtatus eſt contrarius conditioni beatorum, ideſt omnium malorum aggregatione triſtisſimus, ideò, ut beati dolorem, ſic damnati gaudium non admittunt. Deſiderium ſtat cum miſeriâ, nam is maximè deſiderat, qui in quapiam eſt calamitate: uoluptas autem in damnatos non cadit. Ità ex antiquis Scholaſticis Gulielmus Ocham propoſitam quæſtionem ſoluit. [Dici poteſt, inquit, quòd in voluntate damnati eſt vehemens triſtitia conſequens actum nolendi, & illa non compatitur ſecum quamcumq; delectationem propter formalem repugnantiam; & ideo licet damnatus ſummè velit, & diligat ſe, non tamen delectatur.] Ocha. 2. Sen. q. 19. ad 5. dub.

Idem doctor aliam rationem aſſignat, cur miſerrimi illi verè non gaudeant, etſi ad optata perueniant; nimirùm Deum in pœnam ſubtrahere ſuum concurſum, qui neceſſarius eſt ad actũ delectationis: quod haud abſurdè dicitur. [Licet, ait Gulielmus, deſiderium ſequatur delectatio, vel triſtitia, quoniam tamen eſt res diſtincta ab omni actu voluntatis, ſicut abſolutum diſtinguitur ab abſoluto, ideò Deus poteſt facere primam rem, puta actum volendi, ſine ſecunda puta ſine delectatione, & triſtitia. Et ſic fortè Deus ordinauit in pœnam damnati, quòd posſit habere intenſum actum volendi reſpectu ſui ipſius, vel alterius, & tamen non delectari.]

Quapropter gaudium illud, quòd Patres tribuunt dæmonibus, haud eſt verum gaudium, ſed, vt aiunt D. Thomas,

S. Thom. 4. d.45.q.2.a.2. q^la.1.ad 4. Alens. 2.p.q. 200.m.4.a.1. mas, & Alexander Alensis, phantasticum, & amaritudine plenum, vel certè dicuntur dæmones lætari, quòd perinde se gerant, ac si lætarentur, non quòd verus lætitiæ affectus eos exhilaret. Sicut enim Deus dicitur iratus, non propter affectum iræ; sed propter modum irascentis, dum punit peccata; sic diabolus gaudere dicitur, non propter affectum lætitiæ, sed propter modum lætantis, dum implet desideria.

Sed, cur nō desistunt ab impugnatione mortaliū, si nihil indè percipiunt emolumenti? Concepta in homines inuidia, inueteratum in mortales odium, & peruersa malitia, impellunt eos, & stimulāt ad procurandam, etiam proprio malo, hominum ruinam. Si sapimus, quantâ illi curâ, sine vllo suo commodo, nobis insidias struunt, vt à cælo, vndè ipsi corruerunt, auertant, tanto nos studio contendemus, magno nostro bono, eorum conatus eludere, vt IESV CHRISTI REDEMPTORIS nostri ope, in ijs sedibus collocemur, è quibus ipsi deturbati fuêre.



D. O. M.

D. E. I. P. V.

D. D. AMBROSIO, ET CAROLO

L. H. G.

INDEX RERVM.

A

B

Dæmones

 talium

E

F

Figuræ

Ignis

Luci-

Mon-

Q

R

S

T

V


Z



Haud notantur ſingula, quæ irrepſerunt in hunc codicem, menda. Quædam ex grauioribus, ſic emenda.

Pag. 42.	ſpopondeant	ſpondeant
p. 53.	lueret	luerent
p. 55.	aliam	alium
p. 62.	numerat	numerant
p. 86.	tartarum	tartareum
p. 90	pſalmaſti	plaſmaſti
p. 119.	eſſe additum	eſſet additum
p. 120.	ſcribit peccatorum	ſcribit. Pec.
ibidem	quod in inferno	in inferno
p. 195	non poſſe	poſſe
p. 198	riget	viget
p. 199	accedit	accendit
p. 200.	eo conſeruante	eum conſeruāte
p. 205.	æterni	æternis
p. 211.	illo loca	illo loco
ibidem	loco ille	loco illo
p. 240.	infra terra	infra terram
p. 254.	vita particeps	vitæ particeps
p. 278.	auris famæ	auri famæ
p. 279.	dæmonū fallaciæ	dæmonis fal.
p. 288	ſpopondebat	ſpondebat
p. 316.	pendere	pondere
p. 318	poteſtas	poteſtates
p. 320	idem	ijdem
p. 326.	ipſe colno	ipſe colono
p. 331	prauis hominis	præ hominibus
p. 343.	numerum	munerum
p. 344.	minime	nomine.
p. 345.	credulis	crudelis.
ibidem	contereret	contereret.
p. 352.	pſalmationem	plaſmationem.
p. 357.	per eo	pro eo.
p. 364.	perduci	produci.
p. 394.	quamplurimum	quamplurimorū.
p. 397	videatur	videantur.
p. 411.	imponeretur	imponerentur.
p. 442.	antecedentes	antecedens.
p. 450.	binis luminibus	binorū luminū.
p. 458	veniſſet	veniſſent.
p. 470.	conueniat	conueniebat.
p. 472.	nuncupat	nuncupant.
p. 492.	aduerſaris	aduerſarias.
ibidem	cuſtodiret	cuſtodirent.
p. 493.	debeant	debebant.
p. 500.	Angeli diaboli	Angelis diab.
p. 502.	numerum	munerum.
p. 524.	redigeantur	redigantur.
p. 525.	à certo dæmoni	certo dæmoni.
ibidem	ſufficiat	ſufficiant.
p. 567.	illiq; gratiæ	illiſq; gratiæ.
p. 573.	lin 13. Aliquot exemplaria habent condicioni damnatorum corrige conditioni beatorum.	

Animaduerte Libro ſecundo erratum circa ordinem capitum, nam poſt VIII. ſtat. XI. idem in indice capitum.



Registrum.

abcd ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee.

